CA
...reo...
...Regno
...I.....
...12.....

3211

BIBLIOTECA
Monte Fusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE I
NUMERO 42

MONTEFUSCO
MUNICIPIO DI

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

I

BIBLIOTECA

3211

R. P. NATALIS

ALEXANDRI

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM

IN S. FACULTATE PARISIENSI DOCT. & EMERITI PROFESSORIS

HISTORIA ECCLESIASTICA

VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum: Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA,

Notis & Animadversionibus, quoad Historiam & Dissertationem novi Testamenti, aucta ad castigationem & illustrationem opinionum quorundam Auctoris,

OPERA ET STUDIO

CONSTANTINI RONCAGLIA

LUCENSIS, CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Quibus accedunt, præter animadversiones

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis ejusdem in secunda Lucensi editione inserta, aliæ insuper ejusdem Auctoris noviter elucubratæ.

TOMUS SEXTUS.

BIBLIOTECA DEI MIN. CAPPUCCINI
MONTEFUSCO
LETT. E... PALC. N. 6...
VOLUME N. 1.....

VENETIIS, MDCCLXXI.

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

Superiorum Permissu.

BIBLIOTECA O.F.M. CAP.
MONTEFUSCO (AV)

INDEX

Capitum, Dissertatiouum, Articulorum, Propositionum, & Paragraphorum, Voluminis VI. Historiam Ecclesiasticam III. & IV. Sæculi continentis.

CAPUT I. DE Persecutionibus, quæ in Ecclesiam grassatæ sunt tertio nominis Christiani sæculo. 1

Cap. II. De Summis Pontificibus, qui Ecclesiæ præfuerunt tertio sæculo. 2

Cap. III. De Erroribus, Hæresibus, Schismatibus, quæ Ecclesiam tertio sæculo infestarunt. 8

Art. I. De Berillo, & Privato. *ibid.*

Art. II. De Arabibus, & Valesiis. 9

Art. III. De Schismate Feliciſſimi. *ibid.*

Art. IV. De Schismate, & Hæresi Novatianorum. 12

§. I. De Novato. *ibid.* §. II. De Novatiano. 13

§. III. De errore palmari Novatiani, & Novatianorum. 15

§. IV. De cæteris Novatianorum erroribus. 19

§. V. De Conciliis adversus Novatianum, & ejus Hæresim celebratis. 21

Art. V. De Rebaptizantium errore. 22

§. I. Qui primus illius Auctor. *ibid.*

§. II. Error ille Orientem pervasit, & Conciliis ibi firmatus est. *ibid.*

§. III. Eidem errori magnas vires addidit S. Cyprianus, & tria sub ipso, Carthagine celebrata Concilia. 23

§. IV. Sanctus Stephanus Romanus Pontifex veritatem sedulo defendit invictissimo Traditionis clypeo. 24

§. V. Quomodo S. Cyprianus Stephani Pontificis Romani Decretum exceperit. 26

§. VI. Quæ momenta Sancti Cypriani errorem elevent. *ibid.*

Art. VI. De Angelicis, & Apostolicis 29

Art. VII. De Praxeanis, Noetianis, & Sabellianis. 30

Art. VIII. De Paulo Samosateno, & Paulianistis. 32

§. I. De Persona, & Moribus Pauli Samosateni. *ibid.*

§. II. De Erroribus Pauli Samosateni. 33

§. III. De Conciliis contra Paulum Samosatenum celebratis. 35

Art. IX. De Manichæorum Hæresi.
§. I. De ejus Auctoribus.
§. II. De Erroribus Manichæorum.
§. III. De Moribus Manichæorum.
§. IV. De Manichæorum Debellatoribus.
Art. X. De Hieracithis.
Art. XI. De Nepote.
Art. XII. De Origene, & Originistis.
§. I. De Origenis persona, & fortuna.
§. II. De Origenis erroribus.
§. III. De Origenis Sectatoribus, Defensoribus, & Impugna
Cap. IV. De Auctoribus Ecclesiasticis tertii Sæculi.
Art. I. De Minutio Felice, S. Hippolyto & Cajo.
Art. II. De Scriptis Origenis.
Art. III. De Ammonio, Julio Africano, & Sancto Cor
Art, IV. De Sancti Cypriani, & Pontii Diaconi lucubrat
Art. V. De Sancto Gregorio Neocæsareensi.
Art. VI. De duobus Dionysiis, Romano, & Alexandrin
Art. VII. De Novatiano & Pierio.
Art. VIII. De Sixto Secundo, & S. Zenone Veronensi.
Cap. Ultimum. De Imperatoribus, qui rerum summa
tertio nominis Christiani Sæculo.
Dissert. I. De Fide Zephirini Romani Pontificis.
Art. Unicus. Utrum Zephirinus Pontifex Maximus M
resim propugnaverit, aut ipsi faverit.
Prop.
Dissert. II. De statu Controversiæ inter Lapsos in Persecu
& Clerum Romanum Sancto Cypriano, ejusque C
sentientem: Deque ejus progressu & exitu.
Prop. I.
Prop. II.
Prop. III.
Dissert. III. De Libellis Indulgentiæ, quos Martyres L
debant.
Quis eorum modus? Quæ vis essent?
Prop. I.
Prop. II.
Prop. III. IV. & Ultima.

Differt. IV. De poteſtate Diaconorum, qui in carceres mittebantur, ut Martyrum deſideria exciperent, & conſiliis ſuis dirigerent. 107
Quæſt. Unica. Utrum Diaconi Lapſos, abſentibus Epiſcopis & Præsbyteris, Sacramentaliter abſolverent. *ibid.*
Propoſitio. *ibid.*
Differt. V. De Libellaticorum facinore & variis eorum generibus. 114
Art. Unicus. Utrum omnes Libellatici fidem abnegarent. *ibid.*
Propoſitio I. 115. Propoſitio II. 116
Differt. VI. De peccatis publicæ Pœnitentiæ legibus tertio Sæculo, & deinceps obnoxiis. 118
Quæſt. I. De peccatis mortalibus in ordine ad Pœnitentiam publicam. *ibid.*
Art. I. Utrum omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ olim Eccleſia ſubjecerit? *ibid.*
Propoſitio. *ibid.*
Quæſt. II. De peccatis occultis, in ordine ad Pœnitentiam publicam. 138
Art. I. Utrum primis Eccleſiæ Sæculis peccata occulta, ſi graviora eſſent, ſubjicerentur Pœnitentiæ publicæ? *ibid.*
Propoſitio I. *ibid.*
Propoſitio II. 141
Differt. VII. De Abſolutionis denegatione, in ſupremo vitæ diſcrimine, quorumdam criminum reis. 155
Art. Unicus. Utrum primis Eccleſiæ Sæculis, & tertio præſertim, negata ſit Abſolutio Sacramentalis quibuſdam criminibus? *ibid.*
Propoſitio I. *ibid.* Propoſitio II. 158. Propoſitio III. 159
Differt. VIII. De variis Pœnitentiæ publicæ Gradibus. 170
Art. I. De prima Pœnitentiæ publicæ ſtatione, ſcilicet de Fletu. *ibid.*
Art. II. De ſecunda Pœnitentiæ publicæ ſtatione ſcilicet de Auditione. 172
Art. III. De tertia Pœnitentiæ publicæ ſtatione, ſcilicet de Subſtratione. 173
Art. IV. De quarta Pœnitentiæ publicæ ſtatione, ſcilicet de Conſiſtentia. 174
Art. V. Utrum Pœnitentes ad ſuperiorem ſtationem ab inferiori quandoque aſcenderent, media prætermiſſa? 176
Propoſitio. *ibid.*
Differt. IX. De tempore quo Sacramentalis Abſolutio primis Eccleſiæ Sæculis concedebatur. 177
Propoſitio I. *ibid.*
Propoſitio II. 178

Prop.

Propoſitio III.
Propoſitio IV. 179 V. 180 VI. & VII.
Differt. X. De Unitate Pœnitentiæ.
Quæſt. Unica. Utrum iis, qui acta publice Pœn
mina perpetrabant, omnis aditus Pœnitentiæ
cluderetur.
Propoſitio I. *ibid.* Propoſitio II.
Differt. XI. De Pœnitentia Clericorum.
Quæſt. Unica. Utrum Clerici primis Eccleſiæ Sæ
publicæ addicerentur.
Propoſitio I.
Propoſitio II. *ibid.* III.
Propoſitio IV. 203 Ultima.
Differt. XII. De progreſſu Controverſiæ, quæ Sanct
& Africanos Epiſcopos, Firmilia numque, & O
Stephano Romano Pontifice commiſit.
Art. I. Utrum Stephanus Cyprianum & Firmilianum
ob errorem de rebaptizandis Hæreticis, excommun
Propoſitio I. *ibid.* II. 206 III.
Art. II. Utrum Firmilianus, aliique Orientales errorem
Hæreticorum Baptiſmate depoſuerint.
Propoſitio.
Art. III. Utrum Sanctus Cyprianus errorem depoſuerit
Propoſitio.
Art. IV. Utrum Sanctus Cyprianus, & Africani Epiſco
verint dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod
bant, ad fidem ſpectare?
Propoſirio.
Differt. XIII. De Stephani Pontificis Maximi Decreto ci
collationem in nomine Chriſti.
Quæſt. Unica. Utrum Stephanus primus Romanus Pon
verit Baptiſma in nomine Chriſti collatum, validu
timum eſſe.
Propoſitio I.
Differt. XIV. De Fide Stephani Romani Pontificis circa
Hæreticorum.
Art. Unicus. Utrum Stephanus Pontifex in errorem opp
cti Cypriani errori lapſus fuerit, omnium Hæretico
mate ratihabitio?

ibid.
181
190
a, nova cri-
Eccleſia præ-
ibid.
163
197
s Pœnitentiæ
ibid.
ibid.
199
204
Cyprianum
entales, cum
ibid.
Coepiſcopis,
averit. ibid.
207
de iterando
211
ibid.
215
ibid.
exiſtima-
propugna-
216
ibid.
Baptiſmi
224
ex decre-
ac legi-
ibid.
ibid.
tiſmum
232
um San-
Baptiſ-
ibid.
rop.

vij

Propoſitio. ibid.
Diſſert. XV. De moribus Origenis. 239
Quæſt. I. De Origenis Ordinatione. ibid.
Art. Unicus. Utrum evitatio Origenis fuerit canonicum illius Ordinationis impedimentum? ibid.
Propoſitio. ibid.
Quæſt. II. De Negatione, & Thurificatione Origenis. 242
Art. Unicus. Utrum Origenes in perſecutione Decii lapſus fuerit, & Idolis thus adoleverit? ibid.
Propoſitio. ibid.
Diſſert. XVI. De Fide Origenis. 247
Art. I. Utrum ab omni prorſus errore poſſit Origenes vindicari. ibid.
Propoſitio. ibid.
§. I. Extrinſecis teſtimoniis probatur Propoſitio. 248
§. II. Origenis Doctrinam erroris puram aſſerere vetat Eccleſiæ Judicium. 252
§. III. Ex Scriptis Origenis probatur ipſius doctrinam nullatenus erroris puram & immunem aſſeri poſſe. 256
§. IV. Diluuntur argumenta in gratia Origenis ab ipſius defenſoribus adducta. 257
Art. II. Utrum Origenes de Filio Dei recte ſenſerit. 265
Propoſitio. ibid.
Art. III. Utrum Origenes Pelagiani, & Semipelagiani erroris fundamenta jecerit. 270
Propoſitio. ibid.
Art. IV. Utrum Origenes de Euchariſtiæ Sacramento recte ſenſerit. 273
Diſſert. XVII. De Origenis Defenſoribus. 278
Art. Unicus. Utrum omnes Origenis Defenſores de ſuſpicione hæreſeos fuerint periclitati. ibid.
Propoſitio I. 279
Propoſitio II. 280. Propoſitio III. 281
Diſſert. XVIII. De Canone undecimo Epiſtolæ Canonicæ Sancti Gregorii Neocæſareenſis. 286
Art. Unicus. Utrum undecimus ille Canon ſubditicius ſit. ibid.
Propoſitio. ibid.
Diſſert. XIX. De Sententia S. Dionyſii Alexandrini circa Myſterium Trinitatis. 290
Art. Unicus. Utrum S. Dionyſius Alexandrinus Arianis faverit, eorumque hæreſim præformaverit. ibid.
Propoſitio. ibid.

Diſſert.

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av)

Differt. XX. De Lapſu Marcellini Romani Pontificis, & de Sinveſſana Synodo. 299
Art. Unicus. Utrum Marcellinus thus Idolis adoleverit, ob idque in Sinveſſana Synodo fuerit damnatus. *ibid.*
Propoſitio I. Propoſitio II. 298
Differt. XXI. De Concilio Illiberitano. 301
Art. I. De Concilii Illiberitani Epocha. *ibid.*
Propoſitio I. *ibid.* Propoſitio II. 303. Propoſitio III. 304
Art. II. De Concilii Illiberitani Canonibus, & auctoritate. 308
Propoſitio. *ibid.*
Differt. XXII. Adverſus Novatianos. 324
Quæſt. Unica. Utrum Eccleſia poteſtatem habeat remittendi peccata, nullumque ſit crimen quod Eccleſiæ clavibus remitti non poſſit? Propoſitio. *ibid.*
Differt. XXIII. Quæſt. unica. Adverſus Rebaptizantium Errorem. 342
Utrum Baptiſmus ab Hæreticis collatus irritus ſit, baptizarique iterum debeant, qui extra Eccleſiam baptizati ſunt. *ibid.*
Propoſitio. *ibid.*
Differt. XXIV. Præcedentis Appendix. De Concilio Plenario, quod controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum diremit, juxta ſententiam S. Auguſtini. 365
Quæſt. Unica. Utrum nomine Plenarii Concilii in quo Quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt S. Auguſtinus Arelatenſe Primum, vel Nicænum intellexerit. *ibid.*
Propoſitio I. *ibid.* Propoſitio II. 368
Differt. XXV. Contra Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos. 375
Quæſt. Unica. De Perſonarum divinarum Trinitate. *ibid.*
Art. Unicus. Utrum ſint revera tres in Deo Perſonæ? Prop. *ibid.*
Differt. XXVI. Adverſus Manichæos. 391
Quæſt. Unica. De libero arbitrio hominis ad peccandum. 392
Art. Unicus. Utrum libero arbitrio præditus ſit homo, quo peccatum vitare poſſit? Propoſitio. *ibid.*
Differt. XXVII. Contra Origeniſtas. 411
Art. I. Utrum Animæ creatæ fuerint ante corpora, & propter peccata ante Mundi corporei creationem commiſſa, fuerint in illa velut in carceres detruſæ. *ibid.*
Propoſitio. *ibid.*
Art. II. Utrum finem habitura ſit dæmonum, & hominum impiorum damnatio? 415
Propoſitio. *ibid.*

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TERTII SÆCULI SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Perſecutionibus, quæ in Eccleſiam graſſatæ ſunt tertio nominis Chriſtiani Sæculo.



Eccleſia, quæ prioribus Severi Imperatoris annis nonnulla pace potita fuerat, anno ipſius Imperii decimo, gravi afflicta perſecutione eſt. Tum ducenteſimusquartus Chriſti annus, ſecundum Annales Eccleſiaſticos vertebatur. Quinta vocari ſolet hæc perſecutio: Nos eam ſeptimam numeramus. Per hanc Leonides Origenis Pater Alexandriæ Martyrii coronam aſſecutus fuit, teſte Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 1. Hac procella ſæviente Origenes annum circiter decimumſeptimum agebat. Martyrii tanta ſanctum adoleſcentem incendebat cupiditas, ut neceſſe fuerit piam ejus matrem veſtes ejus abſcondere, ne mortis pro Chriſto quæſiturus occaſionem, clam ſe domo ſubduceret. Patrem, quem in Martyrio comitari non licuit, prohibente matre, literis ad patiendum pro nominis Chriſtiani Confeſſione hortatus eſt. Ita fere ſcribens: *Obfirmat te, Pater, Martyrium fortiter ſubſtine, nec aliud quidquam noſtra cauſa molire.* (Ex Euſebio lib. 6. c. 2.) Hac etiam perſecutione Sanctus Irenæus Lugduni, maxima cum populi ſui parte, ſublatus eſt anno Chriſti 205. Felicitas item & Perpetua heroicæ fortitudinis in fragili ſexu ſpecimen ediderunt, Carthagine ad beſtias damnatæ. Paſſionis illarum Acta ſincera edita ſunt ab *Holſtenio*, *Valeſio*, & noviſſime a Dom. *Theodorico Ruinart* Monacho Benedictino, inter Acta ſelecta Martyrum. Tam acerba hæc perſecutio fuit, ut Judas Scriptor Eccleſiaſticus, qui tunc temporis Commentarios in ſeptuaginta Danielis hebdomadas edidit, Antichriſti adventum ſcripſerit imminere, ut teſtatur Euſebius l. 6. c. 6. Hujus

perſecutionis, antequam Edicto decreta eſſet, quædam in Afri
nino primum, deinde Scapula Provinciam illam adminiſtran
mitigaret Tertullianus, luculentum plane librum ad ipſum ſ
ne conſummati ſunt Carthagine Sanctus Speratus, aliique Ma
II. Octava perſecutio ſæviit ſub Maximino Imperatore, ſt
faſtigium aſcendit, concitata anno Chriſti 237. ſecundum Ann
edixit ob gravem invidiam, qua flagrabat contra Alexandri Se
liam, in qua multi Chriſtiani verſabantur. Soli Eccleſiarum
ſunt. In ea Pontianus Romanus Pontifex Martyrium obiit
21. & Paulum Oroſium l. 7. c. 12.

III. Nonam perſecutionem in Chriſtianos Decius excitavit
Chriſti 252. Divinis viſionibus prænuntiatam hance tempeſtat
teſtatur Epiſtola 8. qua Clerum, Plebemque Carthaginenſem
nendam ad hortatur. Multorum Fidelium ea in perſecutione
ut conſtat ex eodem Patre variis in Epiſtolis, & libro de Lapſ
ſebius l. 6. Hiſtoriæ c. 32. Meminit & Sanctus Dionyſius Alexa
Germanum, apud Euſebium, c. 33. libri citati, & in Epiſtola
num, apud eumdem Hiſtoricum, c. 34. ejuſdem libri. Qua
Alexadrinorum hac in perſecutione triumphos celebrat. In ea
S. Fabianus Romanus Pontifex. Paſſa eſt Sancta Agatha in Si
Sancta Apollonia. Flagravit pari ardore ſub Gallo & Voluſiano
rio ſucceſſerunt: ſub quibus Sanctus Cornelius Papa Romæ pa
& *Voluſiani* perſecutio localis fuit, ac Romæ tantum excitata.
ctus *Auguſtinus* l. 18. *De Civitate Dei*, cap. 51. nec *Sulpitius*
rant, nec *Euſebius* in Chronico aut in Hiſtoria Martyres ſub G
commemorat. Immo Oroſius qui lib. 7. decem perſecutiones,
cleſia, cum decem Ægypti plagis confert, ſeptimam plagam
peſtilentiam fuiſſe, non vero Fidelium ſupplicia, indicat.

IV. Decima perſecutio mota eſt a Valeriano, & Gallieno In
perii ipſorum 5. Chriſti 259. ut Annales Eccleſiaſtici tradunt.
primum faverat Valerianus, ſed a Principe quodam Magorum A
ad Fidelium perſecutionem incitatus eſt, teſte Euſebio, l. 7. c.
nyſius Alexandrinus confeſſionis gloriam promeritus eſt. Quant
in exilio, teſtatur ipſe apud Euſebium lib. 7. c. 10. Per eamden
cti Stephanus & Sixtus, Romani Pontifices, Laurentius, & H
palmam retulerunt,

V. Undecimam perſecutionem Eccleſiæ intulit Aurelianus, a
Baronius notat) quæ in variis Romani Imperii Provinciis Mart
Quamquam Euſebius ſcribat illum divina ultione a conſilio m
revocatum fuiſſe, enervatis brachiorum commiſſuris, cum Edi
nos ſcriberet, l. 7. c. 24. Lege Oroſium lib. 7. c. 15.

VI. Duodecima perſecutio auctores habuit Diocletianum, &
ipſo labente ipſorum Imperii 18. vel 19. Chriſti trecenteſimo ſecu
de ad ſequentis ſæculi exordium referri poteſt, ut ad iſtius finem
ejus apparatus. In hac perſecutione, Eccleſiæ ſolo æquatæ, Scrip
ſumptæ: Chriſtiani qui publicis honoribus aucti fuerant, exaucto
te privati. Multos hæc perſecutio Martyres cœlo dedit. Nonnul
cenſet Euſebius lib. 8. Hiſtoriæ a c. 3. ad 26. In Eccleſiaſticis Tabu
liani; Coſmæ & Damiani; Vincentii, Agnetis, Luciæ, Mauritii,
bærorum, illuſtria Martyria, hujus perſecutionis tempore conſigna
ſecutione lege Lactantium libro *De Mortibus Perſecutorum*, & O

Nota.

PErsecutionem sub Gallo & Volusiano brevem fuisse admitto, localem vero, ac Romæ tantum arsisse non admitto. Nam & in Africa sæviisse docet S. Cyprianus in lib. ad Demetrianum, quem sub his Imperatoribus Proconsulatum Africæ gessisse plerique agnoscunt. Ait enim Proconsuli illi Sanctus Præsul: *innoxios istos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis.* Et post pauca: *admoves laniandis corporibus longa tormenta: multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, &c.* Addit idem Cyprianus in sua Epistola ad Cornelium, se tunc postulatum fuisse ad Leonem, populo in Circo clamante. Plura in hanc rem ex epistolis, & operibus S. Cypriani decerpit P. Ruinart in Præfatione ad Acta Martyrum sincera, ex quo alii post ipsum sua desumpserunt. Cum vero insectatio ista provenerit, occasione depulsæ pestilentiæ, quam Imperatores Apollini accepto retulerunt, ideo Orosius plagam hanc pestilentiam appellat.

CAPUT II.

De Summis Pontificibus, qui Ecclesiæ præfuerunt tertio Sæculo.

I. ANno circiter nono Imperii Severi, Christi vero 203. *Zephirinus* Victori in Romanæ Ecclesiæ regimine successit. Ad ejus pedes Natalius Confessor, ab Asclepiodoto, & Theodoto hæreticis seductus & illorum sectæ Episcopus inauguratus, exomologesim solemnem fecit, teste Eusebio lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 27. Montanismum Zephirino affingunt Novatorum nonnulli; an jure, propria Dissertatione expendemus. Decem & octo annos Ecclesiam rexit Zephirinus. Huic *Calistus* successit, anno Christi 221. Annis quinque cum Ecclesiam gubernasset, Martyrio consummatus est. Huic successit *Urbanus*, anno Christi 227. Annis ferme septem Ecclesiæ præfuit. Tiburtium & Valerianum, cum Sancta Cæcilia in fide Christiana ipsum instituisse, Annales Ecclesiastici tradunt, & Acta antiqua testantur. *Zephirinus.* *Calistus.* *Urbanus.*

II. Sancto Urbano successit *Pontianus*. Per annos quinque, menses duos & septem dies Pontificatum gessit. Ipsius in locum, subrogatus est *Anterus*. Mensem dumtaxat unum sessionis numeravit, teste Eusebio lib. 6. c. 22. dum erroris arguitur liber Pontificalis, in quo legitur ipsum sedisse annos 12. Ipsi suffectus est *Fabianus*, prodigio cœlesti, scilicet columbæ in caput ejus advolantis, eique insidentis indicio, ad Pontificiam evectus dignitatem anno Christi 238. quod Eusebius ibidem testatur. Quatuordecim Urbis regiones inter septem Diaconos divisit, singulis binas assignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent: Unde Diaconi Regionarii nominati sunt. Notariis qui Martyrum Acta colligebant, septem Subdiaconos præfecit, ex libro Pontificali. Fama est, Philippum Christianorum Imperatorum primum, propter multa delicta, quæ ab eo ferebantur admissa, publicæ Pœnitentiæ ab ipso addictum fuisse; hunc vero exomologesi religiose fuisse perfunctum. Quod quidam colligere sibi videntur ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 34. Valesianæ Versionis; sed de Sancto Babila Episcopo Antiocheno, non de Fabiano, intelligendum esse Eusebium, Valesius in Notis confirmat auctoritate Chronici Alexandrini & Sancti Joannis Chrysostomi. Annis 14. rexit Ecclesiam. Quæ habentur in Editionibus Conciliorum ejus & præcedentium Pontificum Epistolæ, pseudepigraphæ sunt, omnium virorum doctorum judicio. Supposititia pariter quæcumque a Gratiano velut Fabiani Decreta laudantur. *Pontianus.* *Anterus.* *Fabianus.*

III. Post gloriosum S. Fabiani in Deciana persecutione Martyrium, prohibente Tyranni immannitate ne Clerus ad Pontificis electionem conveniret, vacavit Pontificia Sedes biennii spatio: quo tempore Sanctus Cyprianus exulavit (ut constat ex ejus Epistola 40. ad Plebem Carthaginensem data.) Biennii tamen solidi non fuisse integrum *Interpontificium post Martyrium S. Fabiani.*

probat Annalium Parens . Vacantis tamdiu Sedis tempore temporibus , Clerus Romanus Christiani Gregis toto terr ſcepit ex officio, ut conſtat ex Epiſtola , quam ad Clerum ſeceſſu Sancti Cypriani , quæ in Editione Pamelii & Riga *cum incumbat nobis* , inquit , *qui videmur eſſe Præpoſiti* , *Gregem: Si negligentes inveniamur* , *dicetur nobis: Quoniam & errantem non correximus* , &c. Hac Epiſtola Clerus Ro agentibus non negandam eſſe Communionem decernit , ſi rint: ſuæque Epiſtolæ exemplum ad omnes Eccleſias , d ſtulat. *Et alia* , inquit , *quæ incumbunt vobis* , *etiam ipſa hanc tentationem inciderunt* , *cœperint apprehendi infirmitat ſui* , *& deſiderent Communionem* , *utique ſubveniri eis*

Florentiſſimo Romanæ Eccleſiæ Clero Sanctus Cyprianus omnium , quæ in ſeceſſu ſuo egerat , & Diſciplinæ , & dili eſt Epiſtolæ ipſius 14. *Nam ſicut* , inquit , *Domini mandat bationis impetu* , *primo cum me clamore violento frequenter neam ſalutem* , *quam quietem fratrum publicam cogitans* , *ſecundam præſentiam noſtram ſeditio* , *quæ cœperat* , *plus p corpore* , *nec ſpiritu* , *nec actu* , *nec monitis defui* , *quomin pta* , *Fratribus noſtris* , *in quibus poſſem* , *mea mediocritate rim* , *loquuntur vobis Epiſtolæ pro temporibus emiſſæ* , *num tranſmiſi. In quibus nec Clero conſilium* , *nec Confeſſoribus quando oportuit* , *objurgatio* , *nec univerſæ fraternitati ad diam allocutio noſtra defuit ..... Poſteaquam vero & to tortis fratribus noſtris* , *ſive adhuc ut torquerentur incluſis* , *fortandos eos noſter ſermo penetravit . Item cum comperiſſem bus manus ſuas* , *atque ora maculaſſent* , *vel nefandis libel polluiſſent* , *exambire ad Martyres paſſim* , *Confeſſores quoque precatione corrumpere* , *ut ſine ullo diſcrimine atque exa quotidie libellorum millia contra Evangelii legem* , *literas fe feſſores conſilio meo* , *quantum poſſem* , *ad Dominica Præcep teris & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor* , *ut quidam & temeraria feſtinatione præcipites* , *qui cum Lapſis comm primerentur* , *intercédentibus nobis . Plebi quoque ipſi* , *q compoſuimus* , *& ut Eccleſiaſtica Diſciplina ſervaretur* , *in*

Hac tempeſtate , Lapſorum plurimi , libellis Martyru rumpebant , & Communionem extorquere nitebantur , nul quam niſi obtinerent , deſpici Martyres, eiſque injuriam fi ro tumultum Sanctus Cyprianus , Cleruſque Romanus fic quo ſtatutum ab ipſis eſt , ut ii qui libellos a Martyribus donarentur , in diſcrimine mortis conſtituti , modo Pœnite rorum vero cauſa in ſuſpenſo maneret , donec pace reddi creato , ſingulorum cauſæ maturo examine liberari poſſent S. Cypriani 13. & 14. ad Clerum ſuum datis , ex 15. & manum , & ex Epiſtolis duabus Romani Cleri ad Sanctum ejus Epiſtolas extant 30. & 31. Sed de ſtatu controverſiæ ne Decii , & Clerum Romanum Sancto Cypriano ejuſque C que ejus progreſſu & exitu , ſingularem Diſſertationem im patitur Synopſis ratio .

Cornelius. IV. Sedata nondum perſecutione Decii , electus eſt Ro ſiæ Pontifex in Fabiani locum *Cornelius* anno Chriſti , ſecu ſecundum alios 241. Tunc Novatiani Schiſma primum in tipapam . De quo Schiſmate infra agemus .. Anno Chriſt alios , Concilium Romanum a S. Cornelio celebratum eſt ,

TICÆ

tam periculosis Ecclesiæ
um orbe diffusi curam su-
Carthaginensem dedit de
i ordine secunda est : *Et*
& vice Pastoris custodire
erdotum non requisivimus,
anus Lapsis Pœnitentiam
nfirmitate apprehensi fue-
a occasione transmitti po-
ubdidimus, ut si, qui in
& agant pœnitentiam fa-
debret.
rationem reddidit eorum
entiæ. Istud argumentum
instruunt, orto statim tur-
opulus flagitasset, non tam
terim secessi, *ne per inve-*
vocaretur. Absens tamen
secundum Domini Præce-
consulerem. Et quid ege-
o tredecim, quas ad vos
exhortatio, nec extoribus,
eprecandam Dei misericor-
menta venerunt, sive jam
ad corroborandos, & con-
os qui sacrilegis contactis.
nihilominus conscientiam
opportuna & gratiosa de-
ine singulorum, darentur
, quibus Martyres & Con-
revocarem. Item Presbs-
minus Disciplinæ memores,
icare jam cœperant, com-
antum potuimus, animum
ruximus.
n muniti in Ecclesiam ir-
a licet pœnitentia functi;
eri effutiebant. Hunc por-
uciario Decreto sedarunt ;
accepissent, Communione
tiam professi essent : cæte-
a Ecclesiæ, & Pontifice
Ista constant ex Epistolis
9. scriptis ad Clerum Ro-
Cyprianum, quæ inter
nter Lapsos in persecutio-
bliegiis consentientem, de-
ituemus. Plura enim non

anæ & universalis Eccle-
lum Annales Baronii 254.
de Sancti Petri erexit An-
254. aut 252. secundum
in quo Decretorio judicio
Lapso-

Lapsorum causa finita est, statutumque ut Lapsi ad Communionem non admitterentur, nisi peracta Pœnitentia diuturna & integra : ita tamen ut ipsis in supremo vitæ discrimine subveniretur, neque Absolutio, & Communio negaretur. Mitius cum Libellaticis actum est, quibus acta in antecessum Pœnitentia, persecutionis tempore, sufficere visa est, in Ecclesiam ut reciperentur. Ista patent ex Epistola 52. Sancti Cypriani ad Antonianum data. Triennium circiter Sedis Cornelio tribuit Eusebius lib. 7. c. 2. Ultra annum unum, 5. menses & dies 4. ejus Pontificatum non prorogant Annales Ecclesiastici. Ejus cum electionem, tum virtutes commendat S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum data, ubi cum præmisit ipsum ad Sacerdotii sublime fastigium omnibus religionis gradibus ascendisse, nec optasse Episcopatum, sed vim passum esse ut Episcopus fieret, de illius electione hæc subdit : *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de Plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato; quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multum licet de se jactans, & sibi plurimum vendicans, prophanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit ; quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non secundus ille, sed nullus est.*

Post hæc, ejus virtutes commendat, maxime invictum robur animi, & firmitatem fidei, cujus specimen dedit. *Sedens intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cum Tyrannus infestus Sacerdotibus Dei, fanda, atque infanda comminaretur : cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Addit denique Cornelium in persecutione Decii, *Quantum ad ejus devotionem pertinet, & timorem, passum esse quidquid pati potuit, & Tyrannum armis & bello postmodum victum priorem Sacerdotio suo vicisse.*

V. Sancto Cornelio in Ecclesiæ Romanæ & universalis regimine successit *Lucius* anno Christi 255. vel 253. Ipsi de reditu ab exilio, in quod fuerat ob Christi confessionem relegatus, Sanctus Cyprianus gratulatus est Epistola 58. Vix octo continuis mensibus Ecclesiam rexit, secundum Eusebium lib. 7. cap. 2. ultra annum, secundum Baronium ; ultra tres annos, secundum Auctorem libri Pontificalis. *Lucius.*

VI. Lucio successit *Stephanus* anno Christi 257. vel 255. cum quo celebris de Baptismate Hæreticorum controversia Sanctum Cyprianum & Africanos Episcopos, Firmilianum & plurimos Orientis Antistites commisit. Hujus controversiæ statum & progressum infra exponemus. Quæri solet utrum Stephanus Sanctum Cyprianum, Firmilianum, & consentientes ipsis in errore de rebaptizandis Hæreticis Episcopos excommunicaverit. Negantem sententiam Dissertatione singulari stabiliemus. A nonnullis ex Heterodoxorum grege affingitur ipsi error circa formam Baptismi, quod scilicet in solius Christi nomine valide ipsum conferri decreverit ; quo ab errore ipsum propria etiam Dissertatione vindicabimus. Biennii spatio Pontificatus ministerium obiit Stephanus, secundum Eusebium Lib. 7. c. 4. ultra tres annos, secundum Baronium ; ultra septem, ut placet Auctori libri Pontificalis. Extant duæ Sancti Cypriani ad ipsum Epistolæ, 67. de Marciano Arelatensi Episcopo, qui ad Novatianum defecerat, abstinendo, & exauctorando, quam eruditi quidam viri Sancto Cyprianio immerito abjudicarunt ; & 72. de baptizandis iis qui ab Hæreticis sunt baptizati. *Stephanus.*

VII. Stephano successit *Sixtus* II. hujus nominis Pontifex, anno Christi 257. vel 260. secundum Annales Ecclesiasticos. Martyrium passus est sub Valeriani persecutione, teste S. Cypriano Epist. 82. Undecim annis ipsum rexisse Ecclesiam scribit Eusebius l. 7. Hist. c. 22. Vix unum sessionis annum Baronius & Binius vendicant : annos pene duos antiquus Catalogus ab Henschenio editus in Propylæo ad Acta SS. mensis Maji. Sub hujus Pontificatu emersit Sabellii hæresis. *Sixtus II.*

VIII. Huic in Cathedra Sancti Petri suffectus est *Dionysius* anno 258. aut 261. Ex *Dionysius.*

Monachorum inſtituto ad Pontificiam dignitatem aſſumptum tradunt Annales Eccleſiaſtici, poſt librum Pontificalem. Ipſum Curatos inſtituiſſe, ignari quidam ajunt, cum Parochiis dumtaxat, quæ graſſante perſecutione, Rectoribus ſuis viduatæ fuerant, Sacerdotes præfecerit; illarumque fines diſtinxerit, ut colligitur ex libro Pontificali, & ex Epiſtola 2. eidem Pontifici falſo adſcripta. Cæterum jure divino inſtitutos eſſe ſecundi Ordinis Sacerdotes, qui ad nutum Epiſcoporum plebem regerent: Et hac ratione venerabilem Parochorum ordinem jure divino inſtitutum eſſe certum eſt; idque ex Scriptura & Traditione facile poſſet demonſtrari, ut exiſtimat ſacra Facultas Pariſienſis, quæ contrariam confixit opinionem. Quamvis juris non eſſe divini ut eis perpetua Parochiarum cura credatur, & ut amoveri ad nutum Epiſcoporum non poſſint; nec Apoſtolici inſtituti, ſed Eccleſiaſticæ dumtaxat diſciplinæ, nemo eruditorum diffiteatur. Sub Dionyſii Pontificatu Pauli Samoſateni hæreſis in duobus Conciliis Antiochenis confoſſa eſt. Novem annos ſedis ipſius Euſebius numerat, lib. 7. cap. 24. annos undecim & tres menſes Baronius; liber Pontificalis ſex annos, & duos menſes. Sub hujus tempora floruit S. Paulus Eremitarum ſignifer.

Felix I. IX. Succeſſorem in Romanæ Eccleſiæ adminiſtratione Dionyſius habuit *Felicem Primum*, anno Chriſti 270. aut 272. Huic ritum celebrandi Miſſas ſupra Memorias Martyrum refert acceptum liber Pontificalis. Quinquennium ſedis ipſi aſſignat Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ, cap. 26. quinque menſes ſupra biennium Baronius, tres ſupra quadriennium liber Pontificalis. Suppoſititiæ ſunt, quæ ſub ejus, & præcedentium Pontificum circumferuntur venerandis nominibus Epiſtolæ & Decreta.

Eutychianus. X. Poſt Felicem, Romanus Pontifex creatus eſt *Eutychianus*, anno Chriſti 275. Sub ejus Pontificatu exorta eſt Manichæorum hæreſis. Huic acceptus refertur fruges & fructus benedicendi ritus. Vix decem menſibus ipſum ſediſſe, Euſebius auctor eſt lib. 7. Hiſtoriæ, cap. 26. annos octo, & quinque menſes ipſi aſſignant Annales Baronii; unum dumtaxat annum cum menſe, liber Pontificalis. Ejus quoque Epiſtolæ & Decreta pſeudepigrapha ſunt.

Cajus. XI. Eutychiano ſubrogatus eſt *Cajus*, ſive *Gajus* Diocletiani Imperatoris ex fratre Maximino nepos, anno Chriſti 283. Quindecim annos ſedis ejus numerat Euſebius lib. 7. c. 26. duodecim tantum & 4. menſes Annales Baronii. Quæ legitur 1. Tomo Conciliorum ejus ad Felicem Epiſcopum Epiſtola, ſuppoſita eſt ut cæteræ priorum, & ſequentium Pontificum uſque ad Siricium; iis exceptis, quas Sancti Patres, vel antiqui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores referunt. In hac nonnulla legere eſt ex Codice Theodoſii, & Aniano, plurima ex S. Leone Epiſtola 97. quædam etiam ex Innocentio I. Epiſtola 2. & ex Vigilio Epiſtola etiam 2.

Marcellinus. XII. Cajo in Sede Pontificia ſucceſſit *Marcellinus*, anno Chriſti 296. Ipſum in perſecutione Diocletiani minis mortis adactum thus adoleviſſe idolis, tradit auctor libri Pontificalis, actaque pœnitentia, poſt paucos dies Martyrio coronatum fuiſſe. In Concilio Sinueſſano, cujus etiamnum habentur Acta, propria confeſſione, & ducentorum Epiſcoporum ſuffragio, ob nefandum ſacrificium damnatus dicitur. De Marcellini porro thurificatione, & Sinueſſana Synodo quæri ſolet an veræ ſint? Affirmantem ſententiam non Magdeburgenſes tantum Centuriatores, aliique Hæretici, ſed viri etiam eruditi inter Catholicos propugnant. Nos utramque ceu meram fabulam propria Diſſertatione exſufflabimus. Sedit Marcellinus annos octo, menſes tres, dies 25.

Sub Marcellini Pontificatu habita eſt Illiberitana Synodus, ante perſecutionem Diocletiani & Maximiani. In hac 81. Canonibus Diſciplina Eccleſiaſtica ſancita, inſtaurata, communita eſt. Horum explicationem omnibus eruditionis qua Eccleſiaſticæ, qua profanæ ornamentis inſtructam habemus in eximio Opere Clariſſimi Doctiſſimique Viri Ferdinandi de Mendoza, *De confirmando Concilio Illiberitano ad Clementem VIII. Pontificem Maximum*, in tres libros diſtributo, Tom. 1. Conciliorum Editionis P. Labbæi. Quod Opus nemo cum faſtidio, nemo abſque fructu uſquam leget. Porro de Concilii Illiberitani tempore, & recta fide ſingulari Diſſertatione agemus.

SCHO-

SCHOLION.

Ad hoc caput, p. 12. Edit. primæ hanc Propositionem in Indiculo suo notant Religiosi Censores: *Parochorum Ordo est de jure divino.*

R. Sententia est Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ contrariam Propositionem damnavit, ejusque propugnatores ad palinodiam compulit. *F. Joannes de Gorello* anno millesimo quadringentesimo octavo hanc Propositionem defenderat: *Curati non sunt de institutione Christi & Ecclesiæ primaria, sed per Dionysium Papam fuerunt ordinati*, &c. quam retractare compulsus est hunc in modum: *Dico nunc ex ordinatione ejusdem Facultatis matris meæ, & ultronea voluntate Veritates quæ sequuntur; Prima: Domini Curati sunt in Ecclesia Minores Prælati & Hierarchæ ex institutione Christi.*

F. Joannes Sarrazin hanc Propositionem propugnaverat: *Dicere, Inferiorum Prælatorum potestatem Jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate a Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.* Palinodiam cecinit ex Sacræ Facultatis Decreto hunc in modum:

Dicere Inferiorum Prælatorum potestatem Jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat Veritati.

Curatos non esse immediate institutos a Christo, larvatus quidam Auctor scripserat. Hanc ejus doctrinam Sacra Facultas confixit diebus 24. & 26. Maji, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, his verbis: *Hæ sex Propositiones quatenus asserunt, vel inferunt, Potestatem Jurisdictionis Curatorum non esse immediate a Christo quantum ad institutionem primariam, falsæ sunt & Decretis sacræ Facultatis contrariæ; Salva semper immediate Episcoporum in Prælatos minores seu Curatos & plebem subditam auctoritate.*

Venerabilis *Gersonius*, lib. *De Statibus Ecclesiasticis*, ubi de Curatorum Statu agit, Consideratione 1. *Status*, inquit, *Curatorum succedit statui 70. Discipulorum Christi; ac proinde status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum a principio fundationis Ecclesiæ, quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum, tam generalium quam specialium, magis ac magis innotuit.*

Joannes Major Dist. 24. Q. 3. *Curati*, inquit, *sunt de jure divino*.

Nota.

QUæcumque fuerit Facultatis Parisiensis sententia, quæ etiam ad palinodiam compulit negantes Parochorum ordinem esse de jure divino, utique immerito condemnantur, qui immediatam Parochorum institutionem in Christum referendam negant.

Illud igitur certum est, ea quæ divini juris sunt a Sac. Scriptura vel D. Traditione nobis exhiberi; ac proinde ubi nullum ex eis habeatur testimonium, quo demonstretur Christum in Ecclesia sua Parochos instituisse, ille profecto redarguendus non esset, qui primariam Parochorum institutionem juris esse divini negaret. Unicum adversæ opinionis argumentum illud est quod Parochi septuaginta Discipulorum vices implent, cumque hos Christus elegerit, ad ipsum etiam primaria Parochorum electio referenda videtur. At quis non videat per quamdam solummodo similitudinem, & convenientiam dictum esse Parochos Discipulorum locum obtinere; quatenus scilicet sicut Discipuli Christo populos parare debebant, idem munus obeundi Parochis incumbit? Ita Parochos Discipulorum induere similitudinem explicat inter alios Venerabilis Beda *in cap. 20. Luc.* Et re vera Parochi non valent inspicere Discipulos tamquam primævos parochos a Christo, atque ita tamquam ipsorum successores non possunt immediatam a Christo originem jactare. Animadvertant igitur septuaginta Discipulos missos quidem fuisse in omnem civitatem & locum, quo Christus erat venturus, ad animos ejusdem adventui præparandos; at certum est non fuisse sacerdotali charactere insignitos, non ipsis collatam auctoritatem populos regendi, nec ad Sacramenta administran-

BIBLIOTECA
MONTEFUSCO
(Av)

da assumptos, cum evidentissime evangelicus textus edoceat potestatem clavium non fuisse a Christo nisi Petro, & Apostolis delegatam. Longe ergo Discipuli ab iis, quæ proprie Parochum constituunt, aberant; atque ita falso innixi fundamento diceremus Parochorum ordinem a divino jure dimanare, quia Christus septuaginta elegerit Discipulos.

Ita autem e converso liceat ratiocinium instituere. Sicuti Discipuli propria Parochorum potestate ac ministerio ab initio exuti, id obtinuere quando ab Apostolis quatenus Ecclesiæ Præsules erant ad populos spiritualiter gubernandos missi sunt; ita vere Parochi tunc postea instituti fuere, quando Pontifices, & Episcopi impares solis suis viribus omnium fidelium gubernium sustinendo, in partem curæ pastoralis Parochos assumpserunt, plus minusve illis de propria communicando potestate. Atque ita sane conveniens erat ad commodius regimen Ecclesiarum, quamquam enim diceremus Parochos immediate a Christo institutos, potestatem regendi populos cum dependentia ab Episcopis obtinuisse, non rara nihilominus jurgia oriri potuissent: atque facile a Præsulum obedientia sese subtrahere tentassent, in pluribus casibus affirmando non esse juris Episcoporum potestatem jure divino habitam subtrahendi, limitandive.

In hoc solum sensu Parochos ex divina esse institutione concedendum; quatenus Christus voluit in sua Ecclesia Ordinem esse Episcopalem, ex quo velut a fonte, sacra Parochorum potestas dimanat.

CAPUT III.

De Erroribus, Hæresibus, Schismatibus, quæ Ecclesiam tertio Sæculo infestarunt.

HÆreseon auctores extiterunt tertio nominis Christiani sæculo, Berillus, Privatus, Arabes, Valens qui Valesiorum sectam instituit; Novatus & Novatianus, qui hæresim cum schismate conjunxerunt. In Ecclesia Africana paulo ante schisma fecit Felicissimus. Dehinc Rebaptizantium error negotium Ecclesiæ facessivit. Postea Angelici, Apostolici, Noetiani, Sabelliani, Paulus Samosatenus & Paulianistæ, Manes & Manichæi, Hieracithæ suarum hæreseon venena profuderunt. Ecclesiam etiam turbavere suis erroribus Nepos & Coracion. Ad hoc etiam sæculum revocamus Origenistarum hæresim, quod illius Auctor Origenes ab anno Christi 204. ad annum 254. floruerit. De his omnibus ordine agendum est, & singularum origo & errores singulis Articulis exponendi.

ARTICULUS PRIMUS.

De Berillo & Privato.

I. BErillus, Bostrorum in Arabia Episcopus, ausus est asserere Filium Dei non ante fuisse, quam in humanam carnem immigraret, neque propriam habuisse ex se divinitatem, sed solam Patris in eo extitisse. Ab Origene confutatus est, & ad Fidem Catholicam revocatus. Id constat ex Eusebio lib. 6. c. 26. Ea de causa celebrata est Synodus in Bostra circa annum Christi 247. aut 249. Hujus meminit Eusebius, qui & illius Acta Synodi, & Origenis cum Berillo disputationes, & Berilli ipsius monumenta quædam ad suam usque conservata testatur ætatem. Hanc etiam Synodum, refert Libelli Synodici Auctor.

II. Privatus, incertæ hæreseos Auctor, in Concilio Labesitano ab Africanis Patribus damnatus est, Præside Donato Carthaginensi Episcopo S. Cypriani decessore. Confirmata est Synodi sententia a Fabiano Pontifice Maximo. Habita est ea Synodus circa annum Christi 240. aut 242. Varias in Africa turbas excitavit. Schismatis adversus sanctum Cyprianum præcipuus fuit incentor. In Romanæ Ecclesiæ Communionem fraudulenter irrepere tentavit. Hæc constant tum ex Epistola Cleri Romani ad sanctum

ctum Cyprianum, quæ in Editione Pamelii & Rigaltii 30. eſt, tum ex Epiſtola ipſius Cypriani 55. ad Cornelium data : Sic enim Clerus Romanus ad ſanctum Cyprianum de Privato ſcribit: *Quod autem pertinet ad Privatum Labeſitanum, pro tuo more feciſti, qui rem nobis ſolicitam nunciare voluiſti : Omnes enim nos decet pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias quaſque Provincias membra digeſta ſunt, excubare ; ſed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipſius nequitiæ cohorte veniſſet vexillarius Privati, & furto ac fraudulenter literas a nobis elicere curaret: nec quis eſſet, latuit: nec literas, quas volebat, accepit.*

Ad Cornelium vero ſic de eodem ſcribit S. Cyprianus : *Per Felicianum ſignificavi tibi, Frater, veniſſe Carthaginem Privatum veterem Hæreticum, in Labeſitana Colonia, ante multos fere annos, ob multa & gravia delicta, nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatum; Anteceſſorum etiam noſtrorum, quod & veſtram conſcientiam non latet : Fabiani, & Donati literis ſeveriſſime notatum, qui cum cauſam ſuam apud nos, in Concilio quod habuimus Idibus Maiis quæ proxime fuerunt, agere velle ſe diceret, nec admiſſus eſſet, Fortunatum iſtum ſibi Pſeudoepiſcopum dignum Collegio ſuo fecit.*

ARTICULUS II.

De Arabibus & Valeſiis.

I. ARabes quidam, animæ rationalis immortalitatem palam impugnarunt, Philippi Imperatoris temporibus; eam una cum corpore extingui, & cum eodem reſurrecturam effutientes. In Concilio Arabico multis ab Epiſcopis damnati ſunt, & ab Origene ibidem præſente confutati, anno 247. aut 249. De his Euſebius l. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 30. S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, cap. 38. & Libellus Synodicus dictam Synodum memorans, cui 14. Epiſcopos abfuiſſe teſtatur.

II. Eadem ferme tempeſtate Valeſii eruperunt. Auctor ſectæ Arabs quidam nomine Valens fuit. Horum non alius refertur error, quam quod ſe Eunuchos facerent, omneſque ſuæ ſectæ ut aggregarent, quoſcumque obvios mutilabant, ſi viribus ipſi prævalerent, ſalutem obtineri non poſſe aſſerentes, niſi membra quæ offenſioni ſunt, & in quibus regnat concupiſcentia, abjicerentur. De his S. Epiphanius Hæreſi 58. & S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, n. 37. Damnatos a Synodo Achajæ, ſcribit Auctor *Prædeſtinati* lib. 1. c. 37. *Jam trigeſimam & ſeptimam hæreſim*, inquit, *Valeſii incurrunt, qui infelices & ſeipſos caſtrant & hoſpites ſuos. Hoc modo dicunt illud implevi: QUI ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia ; ſed quæ illa ſint, nec ipſe Epiphanius commemorat, nec uſpiam potui reperire. A Synodo damnati ſunt Achajæ.*

ARTICULUS III.

De Schiſmate Feliciſſimi.

FEliciſſimus, qui electioni S. Cypriani, cum quinque aliis Presbyteris adverſatus fuerat, conjurationis animum contra Sanctiſſimum Epiſcopum numquam depoſuit (ut conſtat ex Epiſtola 40. ipſius S. Cypriani.) Quorumdam Confeſſorum mentes, quos beatus Antiſtes fraterne corripuerat, ob nimiam eorum erga Lapſos facilitatem, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ everſionem, ille corrupit, & Lapſos contra Cyprianum commovit, omnes abſque ſatisfactione mox recipiendos contendens. Hujus Schiſmatis incentor fuit Novatus, qui Feliciſſimum inconſulto Sancto Cypriano Diaconum conſtituit, quo majorem ad res novas moliendas in Clero auctoritatem haberet, ut teſtatur Cyprianus ipſe Epiſtola 49. *Idem eſt Novatus*, inquit, *qui apud nos primum diſcordiæ & Schiſmatis incendium ſeminavit, qui quoſdam iſthic ex Fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas fratrum mentes alia*

quæ-

rē, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo pra ad quos perfidia habere non possit accessum.

Denique ostendit Cyprianus quam iniquum sit ac præposteru ipsum tulerunt Schismatici, ipsum Episcopatu abdicantes, & Fo *An*, inquit, *ad hoc deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, fidelis atque incorrupta majestas, & sacerdotalis quoque auctori dicare se velle dicant de Ecclesiæ præposito extra Ecclesiam co Hæretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, cerdote sacrilegi? Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio c Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri nostri consessum simulacra atque idola cum aris suis transeant, & adversum nos atque increpandi largior & plenior materia præst caverunt, & Christum publice negaverunt, non tantum rogari tia admitti, sed adhuc insuper cœperint terroris sui potestate d* let, integram legat S. Cypriani Epistolam.

ARTICULUS IV.

De Schismate, & Hæresi Novatianorum

§. I.

De Novato.

Euseb. l. 6. Histor. c. 35. S. Epiphanius Hær. 39. S. Cornel. in Epist. ad Fab. Antioc. & in Epist. ad S. Cyprian passim, S. Pacian. in Epist. ad Sympronia. simil.

NOvatianorum hæresim Novatus & Novatianus condiderun in unum miscent Eusebius, Sanctus Epiphanius & Theod guunt Sanctus Cornelius, Sanctus Cyprianus, & Sanctus Pacia tus Presbyter Carthaginensis erat, gravissimorum criminum reu pediem ab Episcopis damnandum, excommunicandumque prævi tim discessit, & Romam profectus, Novatiano conflandi schism elogium scribit Sanctus Cyprianus Epistola 49. ad Cornelium *Novato nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cum magis per vatus ostendi, rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexple dus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper ist gnitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium Sacerdotum ius semper ut prodat, ad hoc adulator ut fallat, numquam fid ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad gia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. a vobis recedente, id est, procella & turbine recedente, ex est, & glorioси ac boni Confessores qui de Ecclesia illo incitanoe ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt ..... Plane qu sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & grav hic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum feci pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, nas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percus rante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet cum sit illè nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, scientiam criminum jampridem timebat, propter hoc se non de tum, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisset. Quam iste voto quodam evadendæ, & lucrandæ damn omnia commisit, & miscuit; ut qui ejici de Ecclesia, & excl voluntaria discessione præcederet.*

Eadem Novati scelera ubi recensuit Sanctus Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum, hæc subjungit de ejus ad incendendum Schisma concursu: *Nec multo post Novatianum istum Episcopatu Cornelii anxium, cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus, nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid speret, hortatur: invenit aliquos ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserunt; apud quos hanc ipsam de Lapsis receptis Cornelio constaret invidiam: dat eorum Epistolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate Epistolarum, sedente jam Romæ Episcopo adversum fas Sacerdotii singularis alterius Episcopi sibi nomen assumit: Cornelium Lapsis communicasse arguit, se vendicat innocentem, &c.*

§. II.

De Novatiano.

NOvatianus quondam energumenus, in lecto baptizatus urgente morbo, ex quo cum convaluisset, cæremonias Baptismatis in se suppleri nequaquam curavit, nec Sacramentum Confirmationis, quod ex Ecclesiæ disciplina statim post Baptisma conferebatur, suscepit. Id constat ex S. Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum, cujus fragmenta refert Eusebius lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 43. secundum Versionem Valesii: *Cui causam*, inquit, *atque initium credendi præbuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquamdiu commoratus. Cumque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus, Baptismum suscepit, si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est: Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Post Baptismum aliquanto tempore elapso, Presbyter factus est, Episcopo de Regulis Ecclesiasticis cum ipso dispensante, quæ prohibebant ad Clerum eos promoveri, qui in lecto baptizati essent: cui dispensationi Clerus universus, multique ex populo refragabantur; qui ægre tandem ejus Ordinationi consenserunt. Quam indignus esset tam eximio gradu, tempore persecutionis innotuit: Admonitus enim & rogatus a Diaconis, ut ex cubiculo, in quo seipsum incluserat, egressus, Fidelibus succurreret, tantum abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin potius ira percitus discessit: Presbyterum se amplius esse nolle contestatus, sed alterius Philosophiæ desiderio teneri: Ista narrat Cornelius in laudata ad Fabium Epistola.

Quibus autem artibus Romanum Episcopatum invaserit, his verbis aperit ibidem: *Egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se Episcopatum non concupiscere: repente tamquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et is qui se Doctorem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ propugnatorem ferebat, cum Episcopatum sibi a Deo minime concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit: ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet: constantissime affirmans ipsos quamprimum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum una cum aliis Episcopis interventu, atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent, eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos, & crapula oppressos; adumbrata quadam, & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit: eumque nullo sibi jure competentem, per fraudem atque insidias vindicat.* Eadem refert Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum, cap. 5.

Narrat denique Cornelius Novatiani in firmando Schismate, suaque factione fulcienda sacrilegam versutiam, & extortum a suis partiariis in ipsa Eucharistiæ participatione execrandum juramentum, de non revertendo usquam ad Cornelium. *Oblatione facta*, inquit, *portionem singulis dividens; dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus suis manibus com-*

comprehenſas retinens, nec prius dimittens, quam jurati iſta dix illius verbis; Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini noſtri quam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. guſtare finitur, quam ſibi ipſe malum imprecatus ſit. Et cum pe dicere debuiſſet, Amen, ejus loco dicit; Non revertar deinceps

Factus Antipapa Novatianus miſit Legatos ad Sanctum Cypri Epiſcopum, cum famoſis contra Cornelium, Ordinationemque prianus nec cum Schiſmaticis communicavit, nec Novatiani Ord nec confictis in Cornelium calumniis aures præbere voluit; ut ſius 1. ad Cornelium data.

Miſerat Sanctus Cyprianus Caldonium & Fortunatum Roman præſentia ſua, pacem Eccleſiæ procurare niterentur: Sed cum taſſent, augerique vidiſſent in dies Schiſmaticorum contumacian num reverſi ſunt, qui de Cornelii Ordinatione legitima certio ſum dedit, quibus ſibi probatam illius Ordinationem teſtaretur rum in electione, & poſt electionem Cornelii geſtarum ſeriem no Epiſcopo. Id conſtat ex Epiſtola 42. ipſius Sancti Cypriani

Nec Carthagine ſolum, ſed per Africam univerſam, unitate lire conatus eſt ac tueri Sanctus Cyprianus, datis ad ſingulos C bus eos hortatus eſt, *Ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem rent:* & communione jungerentur Cornelio legitimo Pontifici. Ordinationis illius *Et origo neceſſaria, & ratio juſta, glorioſa* probata eſt. Id conſtat ex Epiſtola 45. ſancti Cypriani ad eum

Cæterum cum Novatianus Confeſſores a Cornelio & ab Eccle maticos ex Martyrii candidatis efficiens, eorum ut nominibus f auctoritatem, ad ipſos literas dedit Sanctus Cyprianus per M prius cum Cornelio communicandas, ut eos ad Eccleſiam Cath conſtat ex Epiſtola 43. S. Cypriani ad Cornelium data, & ex Maximum, Nicoſtratum, & cæteros Confeſſores.

Suum retulere fructum ſancti Cypriani literæ: ſiquidem Max donius, & Macarius Confeſſores, & plerique Catholici qui ſe e cleſiæ unitatem redierunt, ſe circumventos ac deceptos fuiſſe ſe animo tenus ſemper in Eccleſia fuiſſe; nec ignorare unum De ſtum Dominum, quem confeſſi fuerant, unum Spiritum Sancti in Catholica Eccleſia eſſe debere: ac ſupplicibus petiere votis u & in oblivionem cederent. Annuit ſanctus Cornelius cum qui Maximum Presbyterum in ſui gradus honorem ac munia reſtit genti populi ſuffragio recepit; omnia remittens Dei judicio. ſancti Cornelii ad ſanctum Cyprianum, quæ inter Cypriani Epi

His a Cornelio acceptis literis, ſuum eidem teſtatus eſt gau nus, & communem Carthaginenſis Eccleſiæ ob reditum Confe ſtola 47.

Incredibili porro lætitia perfundebatur ſanctus Cyprianus, n Eccleſiaſticæ pacis & unitatis, ſed quod, aſpirante Deo, Con num revocaſſet, tum hortatoriis Epiſtolis, cum maxime egreg libro, quem velut antidotum nefando ſchiſmati oppoſuit. Scri librum antequam Confeſſores Schiſmati faventes ad Eccleſiam rec pe finem poſita innuunt: *Nec quiſquam miretur, etiam de Co iſta procedere, inde quoque aliquos tam nefanda, quam gravia Confeſſio immunem facit ab inſidiis diaboli, aut contra tentation curſus, atque impetus ſæculares adhuc in ſæculo poſitum perpe ..... Nemo per Confeſſoris exemplum pereat; nemo perfidiam diſcat .... Cæterum ſi culpabilis poſtmodum fuerit; ſi Confeſſion ſatione prodegerit; ſi vitam ſuam turpi fœditate maculaverit; ſi*

Confessor factus est, derelinquens, & unitatis concordiam scindens, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per Confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipso magis creverint merita pœnarum ... Stat Confessorum pars major & melior in fidei suæ robore, & in legis ac Disciplinæ Dominicæ veritate: nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt: atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui juncti Confessionis consortio fuerunt, a contagio criminis recesserunt; nec vero illuminati Evangelii luminæ, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in diaboli congressione victores.

Confessores ad Ecclesiam reversi, de reditu suo, & pace cum sancto Cornelio inita sanctum Cyprianum certiorem fecerunt, data ad eum Epistola quæ inter Cyprianicas quinquagesima est. Ipsis vicissim gratulatus est Cyprianus felicem ex Schismate reditum, Epistola 52.

Miserat paulo ante Novatianus magnificam legationem in Africam, quam Novatus, Evaristus, Nicostratus, Primus, ac Dionysius Schismatici susceperant; de qua monitum voluit Cyprianum Cornelius Pontifex, ut sedulo ab illorum artibus & dolis caveret, ac concreditum sibi gregem ab eorum insidiis tueretur. Cornelii literas retulit Nicephorus Acolythus, qui Carthaginem pervenit postridie adventus Novati & Schismaticorum cæterorum. Ista constant ex Epistola 39. S. Cypriani ad Cornelium data.

Literas etiam dederat ad Ecclesiam Alexandrinam Novatianus, quibus callide contestabatur se invitum electum fuisse, ut eo verborum fuco detestandum Schismatis facinus excusaret: ad quem rescripsit sanctus Dionysius Alexandrinus tunc Episcopus in hæc verba: *Si invitus, ut dicis, huc inductus es, illud plane ostendes, si sponte ab eo recedas. Oportuerat enim omnia incommoda potius subiisse, quam Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. Atque illud Martyrium quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minus certe, sed multo plus habet commendationis, quam illud quod suscipitur, ne Idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro una quisquis anima suffert Martyrium: in illo autem pro tota Ecclesia.* Integram Epistolam refert Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 37. secundum Versionem Christophorsoni. Ejusdem Epistolæ meminit sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Dionysio Alexandrino.

§. III.

De errore palmari Novatiani, & Novatianorum.

QUod sanctus Basilius Epistola 1. Canonica ad Amphilochium, Canone 1. Schismaticos Hæreticis opponens, & Schisma definiens eorum, *Qui propter Ecclesiasticas causas & medicabiles quæstiones ab Ecclesia dissident*, Novatianos in exemplum affert; non sic est intelligendum, quasi nullius hæresis auctor fuerit Novatianus, sed quod ejus error Deum ipsum directe non attingat. Ita enim ibi sumit hæreseos nomen Basilius. Significat etiam Novatianorum sectam a schismate cœpisse. *Quoniam*, inquit, *separationis initium per Schisma*. Et propterea qui primi ex illis ab Ecclesia recesserunt, *Ordinationem a Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam*. Unde ipsam videri poterant cæteris per Baptismum, & Ordinationem tradidisse. Sed non negat S. Basilius quin ad Schisma hæresim quoque adjunxerint.

In eo autem positus fuit palmaris Novatiani error, ut negaret Ecclesiam Lapsis in persecutione, id est Sacrificatis, & Libellaticis indulgere posse: Deinde cæteris etiam criminibus post Baptismum commissis nullam ab ea tribui posse veniam assereret. Primum constat ex sancto Cypriano libro de Lapsis scribente. *Cogitanti mihi, & intolerabiliter animo æstuanti, quidnam agere deberem de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est per longam temporum seriem agentes, pœnas darent: ecce ex adverso obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus; qui non tantum,*

ut

ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos vel Levites jacent teriret, ſed ingenioſa ac nova crudelitate, ſauciatum potius occide ſalutis, denegando miſericordiam Patris, reſpuendo pœnitentiam

II. Idem conſtat ex Epiſtola 57. ejuſdem ſancti Cypriani ad Co *ad hæc*, inquit Novatianus .... *in perniciem Fratrum lingua ſua cundiæ venenatæ jacula contorquens, magis durus ſæcularis Philoſo Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus, deſertor Eccleſiæ, miſer fector Pœnitentiæ, deſertor charitatis.*

Subſtituendum eſt, Novatianus.

III. Idem conſtat ex Euſebio, libro 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. c quit, *Romanæ Eccleſiæ Presbyter, arrogantia quadam & faſtidio aſſeruit, non amplius illis (quamvis omnia quæ viderentur ad ve converſionem animarum, ad puram denique Confeſſionem ſpectare, ſpem ullam ſalutis omnino reliquam fieri. Unde propriæ cujuſdam rum, qui præ inflata quadam mentis inſolentia ſeipſos* Καθαρους *aſſeverant, dux fuit.*

IV. Idem conſtat ex Socrate, libro 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vatiano ita ſcribit: *Deinde omnibus Eccleſiis ubique ſcripſit liter lacris immolaſſent, minime ad Myſteria admitterent, ſed hortaren remiſſionemque permitterent Deo, qui poteſt & habet auctoritate Quibus literis ad Provincias perlatis, ſinguli pro ſuo ingenio de catis judicium fecerunt. Nam quia erat a Novato ſignificatum, peccatum ad mortem commiſerant, ad Myſteria non eſſe recipiend promulgatio quibuſdam acerba & ſevera nimis viſa eſt; a non te æqua & ad vitam recte inſtituendam multum afferens adjumen eos agitatur controverſia, literæ Cornelii Epiſcopi allatæ ſunt, q veniæ etiam illis eſſe reliquam, qui poſt Baptiſmum deliquiſſent* mortem irremiſſibile eſſe ab Eccleſia aſſeruit Novatianus, & pe eſſe cenſuit, qui poſt Baptiſmum idolis immolaſſent.

At Novatianum poſtea notionem peccati ad mortem ad quælib tendiſſe, colligitur ex colloquio Attici Epiſcopi Conſtantinopolit Novatiano Epiſcopo, quod ſcriptis prodidit idem Socrates libro 7 cap. 25. De Novatiano ſcilicet loquens Atticus ait: „ Ego illum „ illis qui Idolis ſacrificaſſent, communicare recuſavit. Nam ſi „ ciſſem. At Novatianos minime probo quod laicos qui leviter „ nione excludant. Ad hæc reſpondet Aſclepiades: Præter Id „ tum, ſunt alia multa peccata ad mortem, uti ex Sacris Lit „ ob quæ vos ſolum Clericos, nos laicos etiam Communione „ ſoli Deo illis ignoſcendi permiſſa. “

Immo quælibet generatim delicta poſt Baptiſmum commiſſa, remitti poſſe negavit Novatianus. Id conſtat ex Sancto Epipha bente: „ Cathari exorti ſunt a Novato, ut fama percrebuit. „ perſecutionis illius tempore fuit, quæ eam anteceſſit, quam „ quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit. Quamobrem p „ perſecutione lapſi fuerant, cum arrogantia una cum ſuis inf „ nionem nollet admittere, qui poſt perſecutionem Pœnitentiar „ ſe convertit hæreſim, nullam ut eſſe ſpem ſalutis aſſereret „ xat eſſe Pœnitentiam. Qui autem poſt Baptiſmum delinquer „ miſericordiam adhiberi poſſe “. Nullam porro ſpem ſalutis tendebat per Eccleſiæ claves obtinendæ. Nam illos ſalutem a debere non negabat: & ideo illos ad Pœnitentiam adhortabatu tiam lachrymis promererentur ac laboribus, ſed hoc negabat u Fidelium Communionem eos recipi oportere: atque penes Eccl di jus ullum eſſe ac poteſtatem. Quippe unicam ſuam peccat illius arbitrio verſari, quæ per Baptiſmum obtinetur.

In multis tamen contra hiſtoriæ veritatem peccavit iſta in narratione ſanctus Epiphanius: quod notare operæ pretium eſt, ne Lectori pariter errandi præbeat occaſionem. Erravit primo, quod Novatum confuderit cum Novatiano. 2. Quod ante Maximini perſecutionem Novatianæ hæreſis ortum conſignaverit, quæ aliquot poſt Maximini obitum annis emerſit, anno ſcilicet primo Galli & Voluſiani, ut Euſebius notat in Chronico. Præterea idem Auctor lib. 6. Hiſtoriæ, cap. 35. ex ſancto Dionyſio Alexandrino refert, Novatiani Schiſma propter eos ortum eſſe, qui in perſecutione Deciana lapſi, ad Pœnitentiam recepti fuerant. At poſt Maximinum imperavit Gordianus annis 6. Philippus annis 7. Decius uno alterove anno, tum Gallus & Voluſianus. Non igitur ante Maximini perſecutionem orta eſt Novatiana hæreſis. Tertio lapſus eſt ſanctus Epiphanius, cum eam perſecutionem Decii aut Aureliani fuiſſe ſcripſit, quæ Maximini perſecutionem anteceſſit. Maximini enim perſecutionem ſecuta eſt Deciana, ut mox notavimus; Aurelianus vero viginti circiter annis poſt Decii mortem cœpit imperare.

Sed ut ad noſtrum inſtitutum revertamur, omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa, indiſcriminatim irremiſſibilia per Eccleſiæ claves Novatianum ſenſiſſe: & Novatianos, cum diſcrimen graviorum & leviorum peccatorum fecerunt, priorum condonandorum auctoritatem Eccleſiæ negantes, non vero poſteriorum, receſſiſſe ab opinione Magiſtri ſui Novatiani, ejuſque ſeveriorem errorem nonnihil temperaſſe, teſtis eſt locutiſſimus ſanctus Ambroſius: lib. 1. de Pœnitentia, cap. 1. ubi Novatianos ita redarguit, „ Quid durius, quam ut indicant Pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veniam negando, incentivum auferant Pœnitentiæ? Nemo enim poteſt bene agere Pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam “. Et paulo poſt addit, Novatianorum Doctores „ omnia peccata Stoicorum quodam more, paribus putaſſe æſtimanda menſuris, & æque illum qui gallum gallinaceum, atque illum qui patrem ſuffocaverit, in perpetuum cœleſtibus aſſeruiſſe abdicandum Myſteriis “. Hoc eſt, ut exponit cap. 2. nullo criminum habito delectu, veniam omnibus negaſſe: & ita ſenſiſſe Novatianum ait dicto cap. 2. „ Sed ajunt, *inquit*, ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Auctor veſtri erroris Novatus qui nemini Pœnitentiam dandam putavit: ea ſcilicet contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret, ne ligando, ſperari a ſe faceret ſolutionem. In eo igitur Patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda nobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione commiſit ..... Ita nec Novatus probatus, qui veniam intercluſit omnibus; nec vos imitatores ejuſdem ſed condemnatores, qui ibi minuitis ſtudia Pœnitentiæ ubi augeri oportet; quia graviora peccata majoribus ſuſtentanda fulcris docuit Chriſti miſericordia “.

Idem colligitur ex ſancto Paciano Barcinonenſi Epiſcopo, Epiſtola 3. ad Sympronianum, ſcribente: Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, hoc continet: Quod poſt Baptiſmum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit, immo quod ipſa pereat recipiendo peccantes “. Denique id colligitur ex ſancto Auguſtino, libro de Agone Chriſtiano, cap. 31. ubi Novatianos ſic perſtringit: „ Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt. Hi ſunt qui viduas ſuas prohibent nubere, & ſuper Apoſtolos ſe prædicant mundiores. Qui nomen ſuum ſi vellent agnoſcere, mundanos ſe potius, quam mundos vocarent “. Omnia igitur peccata quæ neceſſario ſubjiciuntur Eccleſiæ clavibus, ideſt, gravia & mortalia, Eccleſiam dimittere poſſe Novatiani negarunt.

Adverſus ea quæ de Novatiani errore diximus, ſcrupulum movere poteſt ſancti Cypriani auctoritas Epiſtola 52. quæ eſt ad Antonianum, in qua Hæreſiarcham illum mœchis & fraudatoribus communicaſſe aſſerit. His enim ipſum verbis perſtringit:

„ Aut si se cordis & renis scrutatorem constituit, & judicem, *Novatianus*, per om-
„ nia æqualiter judicet, & sciat scriptum esse: Ecce sanus factus es, jam noli pec-
„ care, ne quid tibi deterius fiat; fraudatores & mœchos a latere, atque a comita-
„ tu suo separet: quando multo & gravior, & pejor sit mœchi, quam libellatici cau-
„ sa, cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit, &c. *Et infra*: Nec sibi in hoc
„ novi Hæretici blandiantur, quod se dicant Idololatris non communicare, quando
„ sint apud illos fraudatores, & adulteri, qui teneantur idololatriæ crimine, secundum
„ Apostolum dicentem: Omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator, quod est
„ idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. *Et infra*: Ita fit ut si
„ peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non de-
„ linquentem transire sua asseveratione contendunt; excusari secundum suam vocem
„ non possunt ab idololatriæ crimine, cum constet de Apostolica probatione, mœchos,
„ & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras esse". Ex quibus colligi videtur, Novatianum pacem & veniam concessisse mœchis, & fraudatoribus; adeoque non existimasse omnia delicta post Baptismum commissa, esse irremissibilia auctoritate Ecclesiæ.

Verum non difficili negotio scrupulus iste exemi potest respondendo sanctum Cyprianum non dixisse Novatianum, & ejus assectas communicare mœchis & fraudatoribus, quasi istorum criminum reis indulgere posse Ecclesiam fateretur; sed quia Schismaticam factionem suam ex iis etiam collegerat, qui iis sceleribus insignes erant, & aliis irremissibilia esse prædicabat peccata, quæ suis facile indulgeri sentiebat; quasi sui Schismatis Communione deleri possent, charitate Christi & unitate deleri non possent. Eodem argumento ad hominem Novatianos premit sanctus Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum. „ Nos, *inquit*, in Ecclesiam lupos recipimus, qui Hære-
„ ticorum ora vitamus? An potius Novatiani, qui cum ipsi sint rapaces lupi, paulo
„ miseriores oviculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos
„ tenebris cohæremus, nos idolo & Belial jungimur? Aut illi qui Evaristum, qui Ni-
„ costratum receperunt, cæterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus
„ inquinatos? Nos cum adulteris & furibus convenimus? An illi qui Novatum vitæ
„ suæ, & capiti prætulerunt, post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum,
„ miseri parentis, & partus uxoris parricidam, non modo non pœnitentem, verum
„ etiam gloriantem?

Dici etiam potest, Novatianum hæreseos suæ initio solis Idololatris negasse Communionem & pacem indulgeri ab Ecclesia posse; sed postea ut ratiocinaretur consequenter, feralem suam sententiam ad cæteros etiam peccatores extendisse. Cum autem scriberet sanctus Cyprianus ad Antonianum Episcopum in Novatiani partes aliquantulum propendentem, suam nondum hæresim quoad omnia capita meditatus prædicaverat Novatianus. Quod Cyprianus ipse significat his verbis in laudata Epistola:
„ Quod vero ad Novatiani personam pertinet, Frater charissime, de quo desideras-
„ tibi scribi quam hæresim introduxisset, scias, nos primo in loco nec curiosos esse
„ debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscumque est,
„ Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.

J O. D O M. M A N S I

Nota.

QUamvis admitto Novatianos respuisse pœnitentiam eorum, qui gravibus sese criminibus implicuerant; auctorem tamen schismatis Novatianum recipiendos ad communionem lapsos tantummodo a fide, non vero cæteros negasse arbitror. Quid enim est quod sanctus Cyprianus in suis epistolis hunc unicum errorem illi exprobret, cæteros vero sileat? Insuper idem Novatianus *fraudatores & mœchos a latere atque comitatu suo non separabat*, quæ verba sunt Cypriani in epistola 52. ex editione Pamelii. Insuper in toto libro de Lapsis, qui tunc scriptus censendus est, cum spargi inci-

inciperet hæresis Novatiana, nunquam nisi de Lapsis a fide loquitur. Sunt etiam aliæ Cypriani epistolæ, in quibus Novatianus sugillatur, nec nisi de lapsis recipiendis post pœnitentiam fit mentio ut Epistola 51. ad Confessores de reditu e schismate Epistola 49. ad Cornelium, in qua hæc leguntur: *Damnare nunc aude sacrificantium manus*; quamquam ibi de Novato potius sermo est, sed Novatum Novatiano adhæsisse ex eadem Epistola constat. Adde Concilia sub Cypriano in quibus multa de recipiendis lapsis, nihil de reliquis criminibus disponuntur. S. Cyprianus, vel forte alius, qui paulo post Decianam persecutionem scribebat opusculum ad *Novatianum* hæreticum, vulgatum inter opera S. Cypriani, hæreticum illum reprehendit in eo tantummodo, *quod Lapsos nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumant*. Idem evincit ratio, qua se Novatianus tuebatur, quæ sane ratio unice pro lapsis a fide valeat. Ajebat enim apud eundem scriptorem: *Nec ad pœnitentiam admittendos esse* (Lapsos) *præsumunt ex illa Domini pronunciatione, qui ait: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.*

§. IV.

De cæteris Novatianorum erroribus.

PRæter superiorem errorem, qui sectæ præcipuus erat, alios cum in jure, tum in facto ipsis tribuunt Auctores Ecclesiastici: nempe quod rebaptizarent eos qui a Catholicis ad illorum sectam deficiebant. Id enim de ipsis refert sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubajanum data, & sanctus Ambrosius libro 1. de Pœnitentia, cap. 6. quod etiam ex sancto Dionysio Alexandrino in Epistola ad Dionysium Romanum colligitur, apud Eusebium lib. 7. cap. 7.

II. Præterea, secundas nuptias damnabant Novatiani, & bigamos a Communione sua arcebant in perpetuum, eadem lege omnes Fideles obstringentes, cui Episcopos & Sacerdotes & Diaconos Apostolus subjicit. Id constat ex sancto Epiphanio Hæresi 59. & ex Theodoreto, libro 3. Hæreticarum Fabularum cap. 5.

III. In administratione Baptismatis, chrismatis delibutionem non adhibebant, teste Theodoreto ibidem: *Et iis*, inquit, *quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent. Quapropter eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Idem colligitur ex sancto Paciano, Epistola 3. ad Sympronianum dicente: *Vestræ Plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus Sacerdos?* Eam enim unctionem cujus prætermissio, ac neglectus Novatianis vitio versus est, non fuisse Confirmatoriam chrismationem, sed Baptismalem, ex eo constare mihi videtur, quod primævæ Ecclesiæ Disciplina Confirmationem Baptismo conjungeret semper, a quo more discessisse Novatianos veterum Patrum nemo scripsit. Immo sanctus Cyprianus Epistola 76. ad Magnum data, supponit Novatianos de quorum Baptismate fuerat ab eo interrogatus, Confirmationem contuliisse; & hoc posito ad hominem arguit contra Stephani, & aliarum Ecclesiarum sententiam, Baptismum ab iis collatum irritum esse, quia Confirmatio ab illis data irrita est, per quam scilicet non datur Spiritus Sanctus. *Itaque*, inquit, *qui Hæreticis sive Schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum Sanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum, cum jam utique illic acceptus sit, ubi si fuit, dari oportuit? Si autem foris cuncti Hæretici & Schismatici non habent Spiritum Sanctum, & ideo apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic nec est, nec dari potest; manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constat Spiritum Sanctum non habere.*

Præterea, unctio qua Ecclesiæ reconciliabantur Novatiani, non ipsis tantum, sed & aliis Hæreticis adhibita est ad Ecclesiæ sinum redeuntibus, ut constat ex Sancto Basilio Epistola 1. Canonica ad Amphilochium Canone 1. & ex Canone 7. Concilii 2. Oecumenici, & ex Sancto Gregorio Magno, qui eum ritum ab Ecclesia Orientali in Arianorum reconciliatione usurpatum testatur. Cum igitur de cæteris Hæreticis me-

moriæ proditum non sit quod Sacramentum Confirmationis non haberent, immo quod unctionem in collatione Baptismatis omitterent; non ideo præceperunt Patres Novatianos ad Ecclesiam redeuntes inungi, quod Sacramentum Confirmationis in eorum secta non conferretur, aut quod chrisma non præberent iis quos baptizabant. Quamobrem rationem hanc suo marte confinxisse videtur Theodoretus. Denique Novatianos Romana Ecclesia, & aliæ ejus Disciplinæ ac ritibus addictæ, per solam manus impositionem recipiebant, ut constat ex Siricio Pontifice Maximo in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, & ex Innocentio I. Epistola 2. & ante hos ex Eusebio lib. 7. cap. 2. & ante hunc ex Stephani I. Decreto, cujus verba refert sanctus Cyprianus Epistola 74. quæ est ad Pompejum. At si Confirmationis Sacramentum Novatiani non habuissent, illos confirmasset Romana Ecclesia, & sacro chrismate inunxisset.

IV. Novatiani celebrationem Paschatis Luna ipsa 14. vel Dominica proxime sequente, velut rem indifferentem statuerunt in Concilio Angari celebrato anno Christi 391. (ex Socrate libro 5. Historiæ cap. 20.) Id autem fecere, ut suas Ecclesias reducere in concordiam possent. Nam aliqui Episcopi Novatiani e Phrygia, habito Concilio in Pazo vico, ubi fontes sunt Sangarii fluminis, Pascha eodem tempore cum Judæis celebrandum decreverant. (Ex eodem Socrate libro 4. cap. 23.) Nullam tamen immutationem in tempore & ritu celebrandi Paschatis Novatianus induxit, ut idem Auctor testatur ibidem.

V. Novatiani suæ sectæ Auctorem Novatianum Martyrio coronatum fuisse mentiebantur: quod mendacium sanctus Pacianus Epistola 2. ad Sympronianum sic refellit: *Nam quod ante passum Novatianum putas, & Cyprianum dixisse subjungis, Præcessit me ad versarius meus; vide quam manifeste respondeam. Novatianus Martyrium numquam tulit, nec ex verbis Beatissimi Cypriani auditum istud, aut lectum est. Habes ejus Epistolas, quibus Cornelium Urbis Episcopum, cui tum Novatianus inviderat, inimicis Principibus resistentem, sæpe confessum, sæpe vexatum refert, plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, & cum plurimis glorioſissime coronatum, vivente tunc Novatiano, etiamque securo. Nam & ideo ab Ecclesia Christi recesserat, ne illum labor Confessionis urgeret. Qui primum stimulatus invidia, Episcopatum Cornelii non ferebat: inde se Novato paucorum Epistolis derisus addixerat. Hæc te omnia de Novatiano Cypriani Literæ perdocebunt. Porro etiamsi passus est aliquid Novatianus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse qui Martyr est: audi Apostolum: Et si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

Nota.

ADnotare hic vacat Novatianos vel Sacramentum Confirmationis respuisse, vel de eo conferendo non curasse, vel absque inunctione administrasse. Et quidem non refragandum, sanctum Cyprianum in Epistola ad Magnum supponere Novatianos Confirmationem contuliſſe, sed id non obstat quin postea ab ea conferenda recesserint; atque ita omissionem Chrismatis Theodoretus recenset, ut quæ originem habuerit post Novatianum, ac proinde etiam post sancti Cypriani ætatem. Deinde illa Ecclesiæ praxis, qua primo Novatiani per solam manuum impositionem recipiebantur, cum iis conciliari potest, quæ affirmat Theodoretus: sancitum nempe fuisse esse inungendos, dum ad Ecclesiam redirent, utpote qui sanctissimum chrisma non præberent; cum etenim non a suæ sectæ exordio illud omiserint, hujusmodi decretum ad illud tempus referre convenit, quo a chrismando cessarunt. Sed & maximi momenti sunt verba sancti Paciani exprobrantis Symproniano Novatianam plebem Spiritu carere, quia illam unctus Sacerdos non consignabat. Cessasse ergo apud Novatianos innuit eam chrismationem, ex qua Spiritus conferebatur, quod quo proprie dicitur de Confirmationis chrismatione, eo improprie de baptismali, ex qua non constat Sacramentum. Restat proinde vel Novatianos Confirmationem non contuliſſe, vel de chrismate in ea adhibendo non curasse.

§. V.

§. V.

De Conciliis adversus Novatianum, & ejus Hæresim celebratis.

ANno Christi 253. Romæ Concilium habitum est a Cornelio Pontifice Maximo; cui adfuerunt sexaginta Episcopi, & Presbyteri totidem, in quo Novatianus, ejusque sectatores anathemate damnati, & decretum est Lapsos pœnitentiæ medicamentis curandos esse, & ad sanitatem restituendos (teste Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 35.)

Eodem circiter tempore, Concilium in Italia celebratum est, ut Eusebius ibidem testatur, in quo Novatiani error pariter proscriptus est.

Celebratum est & aliud in Africa frequentissimum, ad quod Episcopi 42. convenerunt: qui definivere, Lapsis dandam esse pacem, peracta pœnitentia plena & diuturna, nisi vel mortis periculum, vel persecutionis immineret. Id constat ex sancto Cypriano Epistola 54. ad Cornelium data, in qua hæc habet: *Statueramus quidem jampridem, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario vel lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam: & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus & deprecantibus, spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes, sine communicatione & pace Domini dimitterentur; quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent: solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur. Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse; & crebris, atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus; plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris præparemus; & omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, & prælium flagitant, intra castra Domini colligamus; necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium (quod imminet) armari & instrui oportere.* Et infra: *Ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quod duritiam magis humanæ crudelitatis, quam divinæ & paternæ pietatis dulcedinem opponimus, oves nobis commissæ a Domino reposcantur; placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur, & ostenditur, colligere intra castra Christi milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem Lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere: quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placiturum.*

Habita est & alia Synodus a Demetrio Antiochiæ Episcopo contra Novatianum, cujus meminit Libellus Synodicus.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

COncilium illud Africanum Episcoporum XLII. pacem quidem lapsis dandam, ut ad imminentem persecutionem armarentur, decrevit; at de Novatianorum causa, nihil in eo actum esse convincit eadem epistola 54. S. Cypriani ad Cornelium: Nihil enim in illa occurrit, quod contra Novatianum directe faciat; & Novatianorum ne verbum quidem ibi legitur. Ejus Concilii indicendi causa unica fuit, ut cum in præcedenti Concilio idibus Maji celebrato sancitum fuisset lapsos post actam diuturnam pœnitentiam, majorem minoremve pro modo delicti admittendos tandem ad communionem esse; nunc vero, quoniam imminere persecutio cernebatur, visum

eſt lapſos non adhuc expleto pœnitentiæ curſu in Eccleſiam recipi, ut fortiores ad agonem fierent.

ARTICULUS V.

De Rebaptizantium errore.

§. I.

Quis primus illius Auctor.

BAptiſmum ab Hæreticis collatum primus omnium in Eccleſia Africana abdicavit Agrippinus Sancti Cypriani Deceſſor, habito ea de re Concilio, quod ad annum Chriſti 215. refert Editio noviſſima Conciliorum. Hujus Synodi meminit S. Cyprianus Epiſt. 71. ad Quintum data; ubi cum præmiſiſſet, eum *Qui ab hæreticis venit, & baptizatus in Eccleſia prius non fuit, ſed alienus in totum & profanus venit baptizandum eſſe ut ovis fiat; quia una eſt aqua in Eccleſia ſancta, quæ oves faciat.* Poſt alia nonnulla ſubjungit: *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine firmavit. Quorum ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei & Eccleſiæ Catholicæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus.*

Et Epiſtola 73. quæ eſt ad Jubajanum: *Apud nos autem*, inquit, *non nova, nec repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt; quando multi jam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint; atque exinde in hodiernum tot millia Hæreticorum in Provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi, non aſpernati ſint, neque cunctati; immo & rationabiliter & libenter amplexi ſint, ut lavacri vitalis & ſalutaris Baptiſmi gratiam conſequerentur.* Hæc autem verba Sancti Cypriani innuunt Agrippinum non fuiſſe immediatum illius Deceſſorem, ſiquidem longam ætatem inter Agrippini Synodum, & tempus, quo hanc ſcribit Epiſtolam, interfluxiſſe ſignificat.

Ad Agrippinum quoque iſtum errorem ut ad fontem revocat S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 7. *Hanc ergo*, inquit, *ſaluberrimam conſuetudinem* (de non rebaptizandis Hæreticis) *per Agrippinum Prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi: ſed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad Plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi. Irruente itaque tam magna quæſtione, cum de remiſſione peccatorum, & de ſpiritali hominis generatione, utrum poſſet apud Hæreticos, vel Schiſmaticos fieri, difficile ratio redderetur, & præcederet auctoritas Agrippini, & nonnullorum qui ei conſenſerant hominum in hac quæſtione deficientium, qui maluerunt aliquid novum moliri, quam tenere conſuetudinem, cujus defenſionem non intelligebant: irruerunt in oculos animæ veriſimiles rationes, & intercluſerunt iter inveſtigandæ veritatis.* Lege caput 8. ejuſdem libri.

Idem conſtat ex Vincentio Lirinenſi in Commonitorio primo, cap. 6. *Quondam*, inquit, *venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem atque inſtituta Majorum, rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolum Hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris.*

§. II.

Error ille in Orientem pervaſit, & Conciliis ibi firmatus eſt.

ERror de rebaptizandis Hæreticis, cujus prima fundamenta in Africa jacta fuerant, in Orientem cito propagatus eſt, ibique magni nominis viros & ſanctitate etiam

insignes propugnatores habuit, Firmilianum præcipue Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & Sanctum Dionysium Alexandrinum. Pluribus etiam in Conciliis stabilitus est, nempe in Iconiensi, & Synadensi, anno circiter 256. Prioris illius Synodi meminit Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum, quæ inter Cypriani ipsius Epistolas extat ordine 75. ubi cum de Cataphrygibus, quorum occasione convocatum illud Concilium fuerat, nonnulla præmisisset, hæc subjungit: *Sed & cæteri quique Hæretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt; quando omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manus imponendi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare, nec quidquam sancte & spiritaliter gerere, quando alienus sit a spiritali & deifica sanctitate. Quid totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti, in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & cæteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra Hæreticis firmiter & vindicandum, cum a quibusdam de illa re dubitaretur.* Hujus pariter & alterius Synodi, quam Synadis in Asia congregatam esse diximus eadem tempestate, meminit S. Dionysius Alexandrinus in 3. Epistola de Baptismate ad Philemonem Romanum Presbyterum data, cujus insignia fragmenta refert Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 6. *Hoc tamen didici*, inquit, *quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de Hæreticis rebaptizandis jam invexerunt: verum etiam longo tempore ante Episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum, tum Iconii, tum Synadis, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit: quorum judicia & sententias condemnare, irritaque facere non audeo, sicque illos in odium, & invidiam conjicere. Terminos (ut est apud Salomonem) non commutabis, quos Patres tui præstituerunt.*

§. III.

Eidem errori magnas vires addidit S. Cyprianus, & tria sub ipso Carthagine celebrata Concilia.

AFricanorum Episcoporum primi Januarius, aliique Numidiæ Episcopi de iterando Hæreticorum Baptismate ad Sanctum Cyprianum aliosque Antistites Carthagine congregatos literas dederunt. Prima igitur Synodica hac de re consultatio habita est anno Christi 256. Decretum est baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos, vel potius simpliciter baptizandos. Nam rebaptizationis nomen Patribus Africanis invisum semper fuit. *Nos enim*, inquit Sanctus Cyprianus Epistola 71. ad Quintum data, *dicimus eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est; Sed veniunt ad nos ut hic accipiant, ubi & gratia, & veritas omnis est: quia & gratia, & veritas una est.*

Istius Concilii Decretum habetur in Epistola Synodica, quam Sanctus Cyprianus una cum Episcopis sibi assidentibus scripsit ad Januarium & cæteros Episcopos Numidas, quæ inter ejus Epistolas est 70. *Cum simul*, inquit, *in Concilio essemus, Fratres charissimi, legimus literas vestras, quas ad nos fecistis de iis qui apud Hæreticos & Schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quæ una est, venientes, baptizari debeant. De qua re, quamquam & ipsi illic veritatem & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis; tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non novam promimus, sed jampridem ab Antecessoribus nostris statutam, & a nobis observatam, vobiscum pari consensione conjungimus; censentes scilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum*, &c.

Alteram eodem anno Synodum Carthagine convocavit S. Cyprianus, ad quam Episcopi 71. convenerunt, ut quæ in priore sancita erant de Baptismo Hæreticorum non recipiendo, pleniore sententia confirmarentur. Hujus meminit Sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubajanum data. In ea insuper Synodo statutum est, ut qui in Eccle-

sia ordinati, ad Hæreticos defecerant, si reverterentur in Ecclesiam, nonnisi ad communionem Laicam reciperentur. Ex hoc Concilio Sanctus Cyprianus una cum cæteris Episcopis, Synodicam ad Stephanum Romanum Pontificem epistolam direxit, quæ inter illius Epistolas 72. est, qua ipsum de suæ Synodi Actis certiorem fecit, illisque ut præberet assensum, atque auctoritatis suæ pondus adjiceret, efficere conatus est. Sic autem habet ipsius Epistolæ initio: *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium. In quo multa quidem probata, atque transacta sunt; sed de eo vel maxime tibi scribendum, & cum tua Gravitate ac Sapientia conferendum fuit, quod magis pertinet & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem; Eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud Hæreticos Schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manus imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum.* Et post multa: *Hæc ad conscientiam tuam, Frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt.* Hujus etiam Concilii, & Synodicæ Epistolæ meminit Sanctus Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos. *Conatus est*, inquit, *& Sanctus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hereticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit.* Interim Sanctus Cyprianus ad Jubajanum, qui ipsum de hac quæstione consuluerat, Epistolam 73. dedit, in qua multis argumentis ipsi persuasit Baptisma Hæreticorum nullum & irritum esse.

Eodem anno 256. tertiam Synodum Carthagine celebravit Sanctus Cyprianus cæteris frequentiorem, in qua 87. Episcopi Africani sententiam de Hæreticorum iterando Baptismate dixerunt, verisimilibus eam rationibus confirmantes. His respondebimus in Panoplia nostra, cum Sancto Augustino, cujus exercuerunt ingenium, & qui in libris de Baptismo contra Donatistas illas egregie diluit. Quam autem verisimiles fuerint Africanorum Antistitum illa in Synodo rationes, his verbis significat Vincentius Lirinensis in Commonitorio I. c. 10. *Sed forte*, inquit, *novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Immo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis oracula, sed plano novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi sola tanti moliminis causa, ipsa illa susceptæ, ipsa defensæ, ipsa laudata novitatis professio destituisset.*

§. IV.

Sanctus Stephanus Romanus Pontifex veritatem sedulo defendit invictissimo Traditionis clypeo.

Inter Epistolas Sancti Cypriani 75.

STephanum Romanum Pontificem vehementer improbasse Sancti Cypriani, & Africanorum Antistitum de Baptismo Hæreticorum, & Carthaginensis Concilii II. missa ad se Decreta, certum est: sed ejus Epistola ad nos usque non pervenit. Constat insuper ab eo durius exceptos fuisse Firmiliani, & aliorum Orientalium Legatos ut testatur Firmilianus ipse in Epistola ad Sanctum Cyprianum. Dubium est an ipsos Orientales, necnon S. Cyprianum cum Coepiscopis excommunicaverit. Censet Annalium Ecclesiasticorum Parens Stephanum illos omnes anathemate percussisse; & ne fateri cogatur viros sanctissimos extra communionem Romanæ Ecclesiæ esse defunctos, asserit eos errorem deposuisse, Dionysio Alexandrino vitam agente. Nos an ita se res habuerit, Dissertatione singulari expendemus. Satis erit impræsentiarum ostendere, Stephanum Pontificem Maximum veritatem strenue defendisse clypeo traditionis. Id constat ex Epistola 74. Sancti Cypriani ad Pompejum data, in qua stylo paulo acerbiore Stephani responsum perstringit. *Nam*, inquit, *inter cætera vel superba, vel*

ad

ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.

Hanc conſuetudinem corruptelam eſſe reſpondebat Sanctus Cyprianus, eamque volebat cedere veritati. Hoc namque nomine ſuam adornabat opinionem. Illam vero ceu traditionem vindicat Sanctus Auguſtinus paſſim in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas. Lib. 2. c. 9. poſtquam retulit verba Sancti Cypriani commemorantis Decretum Agrippini, & Coepiſcoporum in communi Concilio, hæc ſubjungit: *Hac atteſtatione ſatis oſtendit multo magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de hac re tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet. Nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem .... Hanc autem fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quæ poſtea multis diſcuſſis ambagibus, perſpecta veritate, Plenario Concilio firmata eſt, ſtatim oſtenditur ex ipſius Beati Cypriani verbis in eadem ad Jubajanum epiſtola, quæ in Concilio lecta commemoratur. Ait enim: Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet de iis, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine Baptiſmo admiſſi ſunt? Ubi certe quid fieri ſoleret, etſi non fieri vellet, ſatis oſtendit, & eo ipſo quod Concilium Agrippini commemorat, aperte indicat fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ. Neque enim opus erat hoc Concilio velle ſtatuere, ſi jam conſuetudine tenebatur: & in ipſo Concilio nonnullæ ſententiæ omnino declarant eos contra Eccleſiæ conſuetudinem decreviſſe, quod decernendum eſſe arbitrati ſunt.*

Et lib. 3. cap. 2. *Quid ergo*, inquit, *ante Agrippinum a quo iſta cœpit quaſi nova ratio adverſus conſuetudinem dimicans, numquid non erat Eccleſia? Quid denique poſt Agrippinum, quando niſi ad priſtinam conſuetudinem reditum eſſet, alterum moliri Concilium non eſſet neceſſe Cypriano, numquid non erat Eccleſia? Quia talis per omnia conſuetudo tenebatur, ut Baptiſmus Chriſti, nonniſi Chriſti Baptiſmus haberetur etiamſi apud Hæreticos, vel Schiſmaticos datus fuiſſe probaretur? Quod ſi erat etiam tunc Eccleſia, & hæreditas Chriſti non interrupta perierat, ſed per omnes gentes augmenta accipiens, permanebat; tutiſſima ratio eſt in eadem conſuetudine permanere, quæ tunc bonos & malos in una complexione portabat.*

Et rurſus lib. 2. cap. 7. ſic Donatiſtas alloquitur: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ac Baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad unitatis conſervationem. Nondum enim erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque Schiſmaticis & Hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt, ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica Traditione venientem (ſicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum), & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.*

Et lib. 5. cap. 22. *Ideoque*, inquit, *etiam illa quæ ad Quintum ſcribit Cyprianus, & illa quæ cum Collegis ſuis Liberali, Caldonio, Junio, & cæteris, ad Saturninum & Maximum & alios, bene conſiderata, nullo modo proferenda ſunt adverſus totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſionem, cuius ſe illi membra eſſe gaudebant, & unde ſe neque ipſi præciderunt, neque diverſa ſentientes præcidi paſſi ſunt: donec aliquando in Domini voluntate per Plenarium Concilium, licet poſt multos annos, quid eſſet rectius eluceret, non aliqua novitate inſtituta, ſed antiquitate roborata.*

Denique Vincentius Lirinenſis in Comonitorio, c. 9. hac de re ita ſcribit: *Neque hoc ſane novum; ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quo quiſque foret religioſior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimum Sede ſumemus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſcepta ſemel religionis integritatem.* Tum recenſito Agrippini & Cypriani de rebaptizandis Hæreticis Decreto ſubjungit: *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes*

quaqua-

quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in Epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nihil novandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim Vir Sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non qua vellemus, ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris traducere, sed a Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.

§. V.

Quomodo S. Cyprianus Stephani Pontificis Romani Decretum exceperit?

Acceptis Stephani Pontificis literis, & Decreto, Sanctus Cyprianus pristinam sententiam non deposuit; non cessit auctoritati, quam ratione censebat destitutam: non denique indeficiens existimavit esse Romani Pontificis judicium; immo ipsum errare credidit, ac Hæreticorum causæ patrocinari. Qua de re scripsit ad Pompejum Epistolam paulo duriorem, quæ est inter ejus Epistolas 74. Ejus istud exordium, ac velut totum argumentum est. *Quamquam plene ea quæ de Hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in Epistolis, quarum ad te exempla transmisimus; tamen quia desideraſti in notitiam tuam perferri quid mihi ad literas nostras Stephanus Frater noster rescripserit, misi tibi Rescripti ejus exemplum, quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis, qui Hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* Hujus Epistolæ meminit Sanctus Augustinus libro 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. deinceps ad singula ejus momenta respondet.

§. VI.

Quæ momenta Sancti Cypriani errorem elevent.

Sanctus Cyprianus graviter licet erraverit, notam tamen hæreseos non incurrit, quia ita affectus erat ut consuetudini cederet, (secundum quam ratus habebatur in Ecclesia Romana, aliisque Ecclesiis Hæreticorum Baptismus) si vel Plenarii Concilii auctoritate confirmata, vel graviori pondere rationum fuisset vindicata.

Istud probatur ex Sancto Augustino, lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 4. *Quapropter*, inquit, *Sanctus Cyprianus tanto excellentior, quanto humilior, qui documentum Petri sic amavit, ut diceret: DOCUMENTUM scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a Fratribus nostris & Collegis utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus: Satis ostendit facillime se correcturum sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab iis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent. Unde multa jam dixlmus, nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati: cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno posteriore Collega, patienter concorditerque correctum: quanto citius ipse cum Concilio Provinciæ suæ universi orbis auctoritati patefacta veritate cessisset, quia profecto & uni verum dicenti & demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata: & fortasse factum est, sed nescimus; neque enim omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ, literisque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt, novimus.*

Et

Et capite 5. eamdem ſanctiſſimi Doctoris & Martyris in veritatem ſuſcipiendam & amplectendam, ſi ipſi demonſtraretur, propenſionem, & in ſervanda pace ſollicitudinem ſic commendat: „ Plerumque Doctoribus minus aliquid revelatur, ut eorum pa„ tiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur: vel quomodo „ teneant unitatem, cum in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt; velquomodo acci„ piant veritatem, cum contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt. Quo„ rum duorum manifeſtatum tenemus unum in Beato Cypriano; ideſt, quomodo tenue„ rit unitatem cum eis a quibus diverſum ſentiebat. Ait enim: Neminem judicantes, *In exordio Concilii Carthaginenſis.* „ aut a jure Communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Alterum au„ tem, id eſt, quomodo accipere potuerit veritatem, contra id quod ſentiebat, in„ ventam; & ſi literæ tacent, merita clamant: ſi epiſtola non invenitur, corona „ teſtatur: ſi Concilium non indicat Epiſcoporum, conſortium indicat Angelorum. „ Non enim parvum documentum eſt pacatiſſimæ animæ, in ea unitate Martyrium „ meruiſſe, unde ſe diverſum ſentiens noluit ſeparare. Homines enim ſumus. Unde „ aliquid aliter ſapere quam ſe res habet, humana tentatio eſt. Nimis autem aman„ do ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus uſque ad præcidendæ Communionis „ & condendi ſchiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium pervenire, diabolica præſumptio „ eſt. In nullo autem aliter ſapere quam res ſe habet, Angelica perfectio eſt “. „ Tandem ſubjungit quod Sanctus Cyprianus „ Fuſo ſanguine, ſed in unitate fuſo, „ per Martyrii confeſſionem pervenit ad Angelicam lucem, ut ſi non antea, ibi cer„ te revelatum agnoſceret; quod cum aliter ſaperet, ſententiam diverſæ opinionis, „ vinculo non præpoſuit unitatis.

Et cap. 8. „ Nec arbitror, *inquit*, Beatum Cyprianum propter aliud contra conſue„ tudinem, quid ſentiret liberius exprompſiſſe, prioremque dixiſſe, niſiut alium, ſi „ forte exiſteret, cui eſſet melius revelatum, gratiſſime acciperet, & oſtenderet imi„ tandam non ſolum docendi diligentiam, ſed etiam diſcendi modeſtiam. Si autem „ nullus exiſteret, qui tale aliud afferret, unde illæ omnes veriſimiles rationes, qui„ bus movebatur, refellerentur, in eadem ſententia permaneret, ſibi bene conſcius „ & non occultatæ, quæ putabatur, veritatis, & retentæ, quæ amabatur, unitatis. „ Nam & illud ſic intellexit quod ait Apoſtolus: Prophetæ autem duo, vel tres lo„ quantur, & cæteri examinent: ſi alii ſedenti revelatum fuerit, ille prior taceat. „ Qua in parte, *inquit*, docuit & oſtendit multa ſingulis in melius revelari, & de„ bere unumquemque non pro eo quod ſemel imbiberat, & tenebat, pertinaciter „ congredi: ſed ſi quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti. His utique „ verbis non ſolum eos admonuit ſibi conſentire, qui melius aliquid non videbant; „ ſed etiam eos hortatus eſt, ſi qui poſſent, afferre aliquid quo prior conſuetudo ſer„ vanda potius firmaretur: ut ſi tale eſſet quod refelli non poſſet, etiam ipſe oſtende„ ret quam veraciter dixerit, Debere unumquemque non pro eo quod ſemel imbi„ berat, & tenebat, pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & utilius extiterit, li„ benter amplecti. Sed quia tunc non extiterant, niſi qui ei conſuetudinem oppo„ nerent: deſenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa ta„ lis anima moveretur; noluit vir graviſſimus rationes ſuas, etſi non veras (quod „ eum latebat) ſed tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ „ conſuetudini cedere. Quam tamen conſuetudinem niſi prior ante Agrippinus, & „ nonnulli per Africam Coepiſcopi ejus etiam per Concilii ſententias deſerere tenta„ viſſent, non auderet iſte ſaltem ratiocinari adverſus eam; ſed in tam obſcura quæ„ ſtione turbatus, & ubique intuens univerſalem robuſtamque conſuetudinem, coar„ ctaretſe potius, & prece, & intentione mentis ad Deum; ut quod poſtea Plenario Cou„ cil. viſum eſt, id verum eſſe perſpiceret, & doceret.

Secundum momentum quod ad Sancti Cypriani excuſationem facit, eſt unitatis amor, & pacis Eccleſiaſticæ & Chriſtianæ conſervatio: quod ſcilicet abſque diſpendio pacis & Eccleſiaſticæ unitatis, ſuam de rebaptizandis Hæreticis propugnaverit ſententiam.

Id perſæpe teſtatur S. Auguſtinus in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, Libro

1. cap.

1. cap. ultimo, ubi de Sancti Cypriani errore ita ſcribit : *Illum nævum in candore ſanctæ animæ, charitatis ubera contegebant.*

Et cap. 18. poſtquam Sancti Cypriani ſententiam de baptizandis Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, expoſuit, ſi Baptiſmum in hæreſi ſuſcepiſſent, de illa hæc ſubjungit : *Quod non recte fieri tanto viro propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia & humilitas, & charitas in cuſtodienda ſalubriter Eccleſiæ pace pateſceret, & non ſolum illius temporis Chriſtianis, ſed etiam poſteris, ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam ſignaretur. Cum enim tanti meriti, tantæ Eccleſiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Epiſcopus, aliud de Baptiſmo arbitraretur, quam erat inquiſita diligentius veritas firmatura, multique ejus Collegæ, quamvis liquide nondum manifeſtatum, id tamen tenerent, quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo, & poſtea totus Catholicus orbis amplexus eſt: non ſe ille tamen a cæteris diverſa ſentientibus ſeparata communione disjunxit, & hoc etiam cæteris perſuadere non deſtitit, ut ſufferrent invicem in dilectione, ſtudentes ſervare unitatem ſpiritus, in vinculo pacis. Ita enim corporis manente compage, ſi quod in quibuſdam membris infirmabatur, ex eorum ſanitate convaleſceret potius, quam præciſione mortificatum diligentiam nullius curationis admitteret.* Et infra: *Quod ergo ille Vir Sanctus de Baptiſmo aliter ſentiens, quam ſe res habebat, quæ poſtea pertractata, & diligentiſſima conſideratione firmata eſt, in Catholica unitate permanſit, & charitatis ubertate compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum.*

Hinc etiam libro 2. cap. 3. Donatiſtas exemplo pacifici Doctoris & Martyris S. Cypriani ſic urget : *Vos itaque Donatiſtæ, quid ad hæc dicetis? Si noſtra ſententia de Baptiſmo vera eſt, omnes qui aliter ſapiebant Cypriani temporibus, non ſunt ab Eccleſiæ unitate ſeparati, donec illud quod aliter ſaperent, Deus illis revelaret. Vos ergo quare ſeparatione ſacrilega pacis vinculum diſrupiſtis? Si autem veſtra ſententia de Baptiſmo vera eſt, Cyprianus & cæteri cum quibus tale Concilium celebraſſe perhibetis, cum eis qui aliter ſapiebant, in unitate permanſerunt, quare vos pacis vinculum diſrupiſtis? Quodlibet horum elegeritis, contra veſtram præciſionem ſententiam ferre cogimini. Reſpondete: Quare vos ſeparaſtis?*

Denique libro 5. cap. 17. idem argumentum uberius tractat, illa pacifici Doctoris verba in Epiſtola ad Jubajanum expendens: *Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos, cum Collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus concordiam, & dominicam pacem tenemus. Servatur a nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii. In his verbis,* inquit S. Auguſtinus, *multa conſideranda ſunt, quibus in hoc Viro qui dilexit decorem domus Domini, Chriſtianæ charitatis fulgor elucet. Primo, quia id quod ſenſit, non tacuit : deinde quia tam manſuete & pacifice protulit, quia cum his, qui aliud ſentiebant, Eccleſiaſticam pacem tenuit; quia in unitatis vinculo tantum ſalubritatem eſſe intellexit : quia eam tantum dilexit, & ſobrie cuſtodivit; quia vidit & ſenſit etiam diverſa ſentientes poſſe ſalva charitate ſentire ..... Poſtremo quia nemini præſcribens, neque præjudicans, quominus unuſquiſque Epiſcoporum quod putat, faciat, etiam nobis qualibuſcumque locum dedit pacifice ſecum iſta tractandi; Præſens eſt enim non ſolum per literas ſuas, ſed etiam per ipſam, quæ in illo maxime viguit, & mori numquam potuit, charitatem. Huic ergo inhærere & conglutinari deſiderans, ſi non impediar inconvenientia peccatorum meorum, orationibus ejus adjutus, diſcam ſi potero per Literas ejus quanta pace per eum Eccleſiam ſuam Dominus, & quanto ſolatio gubernaverit, & per ejus ſermonis affectum viſceribus humilitatis indutis, ſi quid verius ſentio cum orbe terrarum, non ei præponam cor meum, nec in eo ipſo quod aliter ſentiens, non tamen diremptus eſt ab orbe terrarum. Majus quippe in eo robur virtutis eminuit, cum iſta quæſtio nondum diſcuſſa nutaret, quod aliter ſentiens quam multi Collegæ, tantam moderationem obtinuit, ut Eccleſiæ Dei ſanctam ſocietatem nulla Schiſmatis labe truncaret, quam ſi omnia non ſolum veraciter, ſed etiam pariter ſine iſta virtute ſentiret.*

ARTICULUS VI.

De Angelicis, & Apoſtolicis.

I. MEdio circiter ſæculo tertio emerſit Angelicorum hæreſis, Auctore ignoto. Quinam fuerit illorum error palmaris, incertum eſt. Utrum iſto nomine vocati ſint, quod mundum ab Angelis conditum aſſererent: an vero quod in Angelicum ſeſe ordinem inſolenter efferrent; an denique a regione quadam ultra Meſopotamiam, quæ Angelica dicitur, appellationem ſortiti fuerint, neſcire ſe Sanctus Epiphanius, Hæreſi 60. profitetur. Forſan ſic dicti ſunt, quod in cultum Angelorum ſuperſtitioſum propenſiores eſſent, ut cum Sancto Auguſtino conjicere licet lib. de Hæreſibus, cap. 39.

II. Apoſtolici, præter Encratitarum, & Novatianorum, a quibus erant propagati, venenata dogmata, proprium errorem propugnarunt, non licere ſcilicet aliquid poſſidere. Unde rerum omnium inopia cum primis gloriabantur; ideoque ſe etiam Apoſtaticos, id eſt, renuntiatores vocabant. Sanctorum Andreæ & Thomæ Apocryphis Actis ad erroris ſui confirmationem utebantur. (Ex Sancto Epiphanio, Hæreſi 61. & ex S. Auguſtino lib. de Hæreſibus c. 40.) Præclara ſunt quæ in iſtius hæreſeos refutatione ſcripſit Sanctus Epiphanius de paupertate, & virginitate, aut continentia, quam multi ſua ætate Chriſtiani profitebantur: quibus noſtrates Hæretici vota Monaſtica damnantes confunduntur. *Habet*, inquit, *& continentiam Eccleſia, & quidem ſingularem eamque commendat, utpote quæ certamen quoddam ſuſcipit, vitamque ipſam, quaſi potentior deſpicit. Nec minus virginitatem habet, eamque magnopere prædicat ..... Nec ei deſunt certi homines, qui mundo renuntiarunt, nec adverſus eos qui adhuc in mundo verſantur arroganter inſoleſcunt, ſed iis ipſis delectantur. Quales olim Apoſtoli fuerunt, omnium ſcilicet rerum poſſeſſione vacui. Immo & Salvator ipſe Dominus omnium, cum in hac carne viveret, nihil ex hiſce terrenis rebus poſſidere voluit.*

SCHOLION.

Religioſi cenſores ad hunc Articulum Propoſitionem iſtam notant: *Chriſtus in hoc mundo nihil poſſedit.*

R. Quæſtionem de Chriſti paupertate, quæ certe ſumma fuit, hic non attigi; ſed inſignem *Sancti Epiphanii* locum contra Apoſtolicos hæreticos retuli, cujus extremam ſententiam mihi tribuere, ac veluti mea eſſet notare placuit Religioſis Cenſoribus. Cæterum ſi quando de Chriſti paupertate agam, Chriſtum interdum nullarum rerum dominium etiam in communi habuiſſe aſſeram; ſecundum illud Matth. 8. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*; & illud Lucæ 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ ei miniſtrabant de facultatibus ſuis.* Quod tempus ſpectant Sanctus Epiphanius, & Nicolaus III. cap. *Exiit*, quod refertur Titul. *De Verborum ſignificatione*, in Sexto. Aliquando vero habuiſſe rerum aliquarum dominium, in communi ſaltem, ſimul cum Apoſtolorum Collegio, ut conſtat ex Evangelio Joannis 4. 6. 12. 13. nec omittam illud Sancti Auguſtini Tractatu 62. in Joannem: *Loculos habebat Judas; habebat ergo & Dominus loculos, & a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta.* Et Joannis XXII. Extravagantem, *Quia quorumdam*, ad hujus confirmationem veritatis non omittam. *Chriſtum decuiſſe in hoc mundo pauperum vitam ducere*, quatuor præclaris rationibus probat S. Thom. 3. P. Q. 40. A. 3. *Divitias non poſſediſſe, paupertatem voluntariam elegiſſe.* Quid plura?

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

ARTICULUS VII.

De Praxeanis, Noetianis, & Sabellianis.

IN eamdem hæresim propugnandam, ac propagandam, tertio Sæculo c
Praxeas, Noetus, & Sabellius, quæ tres Sanctissimæ Trinitatis persona
confunderet, ac Patrem esse passum consequenter assereret. Hujus primus A
Praxeas. Praxeas, Montanista primum, deinde Montani hostis infensissimus, quem a
rinum Pontificem Romanum, ut nefarii architectum erroris detulit, finitque
ut a Pontifice damnaretur. Hujus rei testis est Tertullianus libro contra Pr
cap. 1. ubi tam inique ob detectam Montani hæresim, quam juste ob propri
ctam conditam ipsum lacessit his verbis: *Iste primus ex Asia hoc genus perve*
intulit Romanæ humo, & alias inquietus: insuper de jactatione Martyrii inflat
solum & simplex & breve carceris tædium: quando etsi corpus suum tradidisset
rendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cujus charismata quoque e
gnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam Prophetias Monta
Priscæ & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis eorum asseverando, & Phrygiæ infer
tem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum asseverando, & Præcessorum e
auctoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam missas, & a proposito
cipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit
Prophetiam expulit, & hæresim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit
Praxeam damnatum recantasse palinodiam, occultasse hæresim, ac eam postea excus
fa fronte iterum disseminavisse, testatur ibidem Tertullianus his verbis: *Denique ca-*
verat pristinum Doctor de emendatione sua, & manet Chirographum apud Psychicos,
apud quos tunc res gesta est: exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracle-
ti, atque defensio disjunxit a Psychicis: Avenæ vero illæ ubique tunc semen excusse-
runt. Ita aliquandiu per hypocrisim subdola vivacitate latitavit, & nunc denuo erupit:
sed demo eradicabitur, si voluerit Dominus, in isto commeatu si quominus, die suo
colligentur omnes adulteræ fruges, & cum cæteris scandalis igne inextinguibili crema-
buntur.

Noetus. II. Noetus Ephesius, ut Sanctus Epiphanius tradit, vel Smyrnæus, ut Theodoreto
placet, eamdem hæresim vehementius propugnavit, quam antea Praxeas præformave-
rat. Unde non satis accuratus est Sanctus Epiphanius, cum ante Noetum neminem
talem hæresim invexisse scribit, quam quidem ante 130. annos, quam ista lucubra-
ret, extitisse memorat. Itaque sub annum Christi 145. Noetus erupit. Ante hoc ve-
ro tempus jam illam hæresim Praxeas prædicaverat. Noetus itaque etiam asseruit
Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non natura solum, sed etiam persona unum
& singularem esse Deum, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures Deos esse ne-
gant. Unde est consequens Patrem ipsum, ut & Spiritum Sanctum, carnem susce-
pisse, ac mortem subiisse. Quod & ille asseruit, referente Sancto Epiphanio. Se Moy-
sen esse effutiebat, fratrem vero suum Aaronem, ut tradit idem Pater Hæresi 57.
De Noeto etiam agit Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum, cap. 3. ubi ab E-
pigono quodam primo hæresis Auctore, ac Discipulo ipsius Cleomene errorem illum
accepisse prodit.

Sabellius. III. Hanc hæresim suo nomine ac patrocinio celebriorem fecit *Sabellius* circa an-
num Christi 257. De eo scripsit Sanctus Dionysius Alexandrinus ad Xistum Romanum
Pontificem, Epistola 2. de Baptismate, quam refert Eusebius lib. 7. Historiæ Eccle-
siasticæ cap. 5. Edit. Christophorsoni. Ptolemaide in Lybia natus hic Hæresiarcha, in
iisdem partibus propagavit hæresim, quam sic explicat Sanctus Epiphanius hæresi 62.
Horum (Sabellianorum) hæc opinio est, eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum
Sanctum, ut ad eumdem hypostasim tres appellationes conveniant. Aiunt enimde atque
in uno homine corpus, & anima, & spiritus inest: ita & corporis [illegible] exi-
stit Filius, Spiritus denique in ipsa Divinitate humani spiritus [illegible]
corpus

etiam errorem explicabat Solis similitudine, ut idem Pater prodit, in quo triplex est energia, nimirum illuminandi vis, calefaciendi, & rotunda figura, sive corpus ipsum solare quod discum vocant. Ac vim quidem illam calefaciendi, hoc est calorem atque æstum respondere Spiritui Sancto; illuminandi vim Filio; Patrem denique totius hypostasis velut quamdam esse formam. Filium proinde radii instar certo emissum tempore peractis omnibus quæ ad Evangelii & humanæ salutis procurationem pertinerent, in cœlum rediisse, sicut radius a Sole diffusus in eundem refunditur. Spiritum vero Sanctum identidem in Fidelium illabi pectora, ut ea suo fervore succendat, in iisque spiritalem vitam instauret. De hac hæresi Sanctus Basilius, Homilia 27. *Contra Sabellianos, & Arium, & Anomæos*, scribens, illamque cum Ariana componens, ait, Arianam perfidiam Gentilem superstitionem, Sabellianam vero Judaismum invexisse. *Illi namque cum Unigenitum opus ac facturam Dei esse dicunt, & illum nihilominus adorant, aperte Gentilismum creaturæ servientes, & non Deo introducunt. Isti vero Deum ex Deo negantes, & nomine quidem Filium confitentes, reipsa vero ac veritate substantiam illius reprobantes, Judaismum denuo renovant. Nam quando verbum illum esse confitentur, interno verbo comparant; & cum Sapientiam illum esse dicunt, similem faciunt habitui, qui in anima eruditorum consistit. Quapropter & unam constituunt Patris & Filii personam, quod & homo unus dicatur, non divisus propter verbum quod in se habet, & sapientiam.*

Lege Epistolam ejusdem Patris 64. datam ad Doctores Ecclesiæ Neocæsariensis. De Sabellii hæresi legendus est & Theodoretus lib. 2. Hæreticarum Fabularum, cap. 9. S. Athanasius adversus hanc hæresim disputavit in Oratione contra Gregales Sabellii. Sanctus Epiphanius in Synopsi lib. 2. Tom. 1. adversus Hæreses, Num. 16. scripsit Sabellianos a Noetianis in eo discrepasse, quod Patrem passum esse negarent. Sed in eo assignando discrimine deceptum fuisse Sanctum Epiphanium constat ex S. Athanasio libro *de Synodis*, cujus hæc sunt verba: *Tales sunt qui apud Romanos quidem Patripassiani, apud nos Sabelliani nominantur.* Constat ex S. Augustino Tract. 36. in Joannem dicente: *Nam Sabelliani dicti sunt quidam hærerici qui vocantur Patripassiani; qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse.* Et ex lib. de Hæresibus, cap. 41. ubi & Sanctum Epiphanium notat contrarium asserentem. Constat denique ex Mario Mercatore, Auctore Sancti Augustini coævo, Dissertatione de duodecimo Anathematismo Nestoriano. *Post hæc*, inquit, *Sabellius & Marcellus Monarchiam se in Divinitatis substantia retinere debere putantes, nefando errore decepti, aiunt Deum Patrem ipsum sibi Filium, ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi Spiritum Sanctum, ipsum incarnatum, passum, crucifixum, ipsum a Judæis omnia pertulisse, resurrexisse a mortuis, & omnia peregisse, quæ nos per Christum in persona propria ejus, pro humani generis salute, gesta esse credimus, & confitemur.*

Eumdem Sabellianis errorem tribuit Sanctus Fulgentius libro contra Sermonem Fastidiosi. Sanctus Dionysius Alexandrinus Sabellium damnavit in Synodo Alexandriæ celebrata, cujus meminit Libellus Synodicus. Ejusdem refutavit errorem pluribus Epistolis.

SCHOLION.

Ad hunc & ad nonum Articulum, sive ad paginam 66. & 79. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo appinxerunt: *De Sancto Epiphanio loquitur irreverenter.*

R. Salva in *Sanctum Epiphanium* reverentia, dixi & probavi, illum in certis Historiæ capitibus *minus accuratum* fuisse & oscitanter scripsisse. Nemo Criticus est, qui non ita loquatur. Innumera hujusmodi occurrunt in doctissimi Petavii Animadversionibus *In Sanctum Epiphanium*, Pag. 78. *Non parva hic hallucinatio est* .... Pag. 81. *Manifesta est hallucinatio, & quidem duplex.* Pagina 213. *Duæ illæ quæ sequuntur notæ temporum, vel Librariorum vitio, vel Auctoris ipsius hallucinatione depravatæ sunt.* Pag. 217. *Quæ de Melchisedeci parentibus narrat Epiphanius, redolent Apocryphorum somnia, cujusmodi multa sunt in hoc Opere bona fide a Sanctissimo Patre descripta,*

scripta, quæ discutere aut refellere, otiosi, temere fidem adhibere, paru-
fuerit. Pag. 227. *Perperam Novatum pro Novatiano solet usurpare.* Pag.
otiose locum hunc e Psalmo 117. *ad Dei Verbum retulit, in quo nequaqua-*
dus est. Pag. 274. *Certissimum est a Meletiano aliquo Scriptore falsa Meletii*
scripta fuisse .... In ea cum imprudens incidisset Epiphanius veram ac sincera
esse narrationem frustra credidit. Quod utinam et in mentem non venisset! I
Multum in Historia Meletii lapsum esse supra vidimus. Largius in Arianæ de-
scriptione peccavit. Pag. 291. *Falsum est decrevisse unquam Apostolos, ut Pas-*
cha celebraretur, aut cum in etiam Christianis atque Episcopis, qui
ac minime legitimo tempore fungerentur. Quæ enim est ista ratio, aut quid in-
tem Epiphanio venit, ut ab Apostolis constitutum istud assereret?

ARTICULUS VIII.

De Paulo Samosateno, & Paulianistis.

§. I.

De Persona & Moribus Pauli Samosateni.

PAulus Samosatenus Paulianistis hæreticis nomen dedit, Anno Christi circiter 262; Valeriano & Gallieno Imprp. Antiochenum Episcopatum adeptus est. Ante Episcopatum pauper & mendicus, sceleribus, sacrilegiis, fratrum concussionibus, aliisque malis artibus immensas divitias sibi comparavit (ut testantur Secundæ Synodi Antiochenæ Patres in Epistola sua Synodica.) Divitiis abusus est ad fastum, quo maximam Christianæ religioni conflavit Ethnicorum hominum invidiam, ut referunt iidem Patres. *Fastu*, inquiunt, *& arrogantia supra modum elatus, sæculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari quam Episcopus mavult: per forum magnifice incedens; epistolas legens ac dictans inter ambulandum palam ac publice; stipatusque maxima omnium multitudine partim præeuntium, partim subsequentium; adeo ut ex illius fastu, & arrogantia incredibilis invidia, odiumque multorum adversus fidem nostram conflatum sit.*

In Concionibus nihil quærebat aliud quam plausum & gloriam. *Unde eos qui non laudarent, nec ut in theatris fieri solet, oraria concuterent, neque una cum fautoribus ipsius viris ac mulierculis indecore auscultantibus exclamarent atque exsilirent; sed cum gravitate & modestia, sicut in domo Dei decet, audirent, increpabat, & contumeliis afficiebat.*

Antiquos Doctores contemnebat homo vanissimus, se Angelum e cœlo delapsum a suis assentatoribus prædicari patiebatur, Psalmosque ad sui laudem in Ecclesia cani (ut testantur iidem Patres.) *Et alios quidem Legis nostræ Doctores jam vita functos petulanter in concione lacerabat: de se autem ipse magnifice loquebatur, non ut Episcopus, sed ut Sophista quidam & impostor. Quin etiam Psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, quasi novellos, & a recentioribus hominibus compositos abolevit. Mulieres autem magno Paschæ die in media Ecclesia, Psalmos quosdam canere ad sui ipsius laudem instituit. At vere illi qui in ejus honorem Psalmos canunt, & coram populo eum deprædicant, ipsum quem impietatis Doctorem habuerunt, Angelum esse dicunt e cœlo delapsum.*

Mulierum amator, duas eleganti forma habuit in comitatu: aliisque Clericis contubernium etiam feminarum permisit, quas Sorores dicerent. Id. testantur Patres Antiochenæ Synodi Secundæ: *Quid hic referre attinet, inquiunt, subintroductas, ut Antiocheni vocant, mulieres, tam ipsius, quam Presbyterorum ejus ac Diaconorum? In quibus non hoc solum, sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est, & quorum ipsos reos esse convicit, nihilominus tegit ac dissimulat, ut illos sibi obnoxios habeat; utque dum sibi metuunt, ipsum ob ea quæ impie agit, ac loquitur accusare non audeant.*

audeant .... Itaque etiamsi quis concesserit nihil ab eo turpe committi, suspicionem tamen vitari oportebat; ne quamquam offenderet, neve aliquos ad imitationem sui provocaret. Quo enim modo increpabit alium & admonebit ut a frequentiore mulieris consuetudine abstineat, ne forte corruat, sicut scriptum est, is qui unam quidem jam dimisit, duas vero ætate florentes, & forma conspicuas secum habet, & quocumque proficiscitur, circumducit; idque deliciis affluens, & epulis sese ingurgitans?

Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum patrocinio propagavit hæresim, quam condiderat ut ipsam demereretur. Judæa enim erat, illique ut serviret Paulus, Judaicam impietatem in Ecclesiam invexit, divinarum personarum Trinitatem, Christique divinitatem abnegans.

§. II.

De Erroribus Pauli Samosateni.

PRimum caput erroris Pauli Samosateni fuit, quod Christus semper non fuerit, nec ante Mariam Virginem: Verbum tamen & Sapientiam in eo inhabitare, sed quæ tunc primum hypostasim habere cœperint ab æterno Patre distinctam, cum in utero Virginis Christus formatus est. Hac enim temporali missione, & externa prolatione, Verbum evasisse Filium. Cæterum licet recens esset novelluſque Deus, præ-destinatione æternum fuisse. Sic ferme errorem ipsius refert Sanctus Athanasius libro de salutari Adventu Filii Dei: *Paulus Samosatensis*, inquit, *Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, & inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax e cœlo & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazarethi primum extare cœpisse: ut unus*, inquit, *supremus sit Deus Pater.* Eumdem exprimit errorem Sanctus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum. *Si igitur*, inquit, *Christus non erat, quod absit, neque Verbum erat. Tu autem dicis quod ante Mariam non erat. Filium Dei e cœlo descendisse, nobiscum confiteri renuit .... Neque id simplici asseratione nostra, sed ex ipsis, quæ ad vos misimus gestis, non semel declaratur: maxime vero ubi dicit, Jesum Christum e terra ortum fuisse.* Addunt ipsum prodito atque ejurato religionis nostræ mysterio, ad execrandam transgressum hæresim *Artemæ*. Artemas, sive Artemon, Christum nudum hominem fuisse effutiit, ut diximus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 2. Sæculi, cap. 3. art. decimo. De eodem scribit Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 22. *Abjectam & humilem nimis de Christo contra doctrinam Ecclesiasticam habebat opinionem, nempe quod solum communi natura erat cum homine præditus.* Idem constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 63. ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum, cap. 3. & Sancto Augustino lib. de Hæresibus, cap. 44.

Alterum caput erroris ex isto consequens fuit, duas esse in Christo personas, & duos Filios Dei, unum natura, alterum adoptione. Id constat ex Epistola Sancti Dionysii Alexandrini ad ipsum data: *Dicis*, inquit, *duas Hypostases esse, & duas personas unius & solius Christi, & duos Christos, ac duos Filios: unum natura Filium Dei, qui fuit ante sæcula, & unum κατ' ὁμωνυμίαν Christum, & Filium David, qui non fuit ante, & fuit in tempore, & secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii; (sicut civitas accipit nomen Domini, & domus nomen ejus qui eam ædificavit.)* Ex pravo isto dogmate velut ex fonte derivantur & consequuntur cæteræ assertiones erroneæ, quas decem Quæstionibus Sancto Dionysio Alexandrino propositis, & ad eum transmissis, complexus est Paulus Samosatenus. Enimvero si duæ sunt in Christo Personæ, consequens est Christum non esse natura Deum Apostolorum, quod asserit *Quæstione* 1. Esse natura hominem sicut nos, *Quæstione* 2. Non esse unam Hypostasim Crucifixi, & Verbi seu Sapientiæ Patris, *Quæstione* 3. Sanguinem Christi non esse incorruptibilem propter personam Verbi vitæ fontis ipsi substantialiter unitam, *Quæstione* 4. Filium Mariæ non fuisse ante sæcula, & simul cum Patre ingenito, neque esse ipsi coæternum, *Quæstione* 5. Puerum cum matre fugiente in Ægyptum, nec

...ntere, nec ubique loci, *Quæstione* 6. Verbum ...ne Hypostasi, *Quæstione* 7. Christum non posse dici non qui duodecimum annum agens puer a parentibus quæsitus, & ne 8. Non Deum magnum, & æternum, qui esuriit, laboravit, stione 9. Denique, non esse coæternum Patri, nec ullatenus Deu Dominum & Christum a Deo factum esse professus est, & qui ascendisse ad Patrem, *Quæstione* 10. Hæc, inquam, omnia confecta tis illius dogmatis, quo duas in Christo personas asserebat. Tertium caput hæreseos Pauli Samosateni, errori Sabellii erat affi namque divinarum Personarum e medio tollebat, Verbum non persona distinctam, sed efficientiam solam asserens, Deo quidem coæternam, stasi, quæ se in Jesum ut in hominem merum insinuasset. Hunc erro cat Sanctus Epiphanius Hæresi 65. *Est autem Pauli hæc opinio, Deum Filium, ac Spiritum Sanctum unum esse Deum. Verbum Dei, ejusque Spi Deo perpetuo, sicut hominis in corde proprium verbum ineſſe cernimus. subsistentiam habere per se nullam, sed in Deo subsistere. Ad hæc Dei Verbu delapsum, in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Ita unus, inquit ille, neque aut Pater est Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus Sanctus Spiritus ctus. Immo vero Deus unus est Pater, hujus in ipso Filius, ut est in homine* Idem constat ex Philastrio & ex Mario Mercatore in Dissertatione de 12. Ana tismo Nestorii, dicente: *Paulus Samosatenus, qui fuit Antiochiæ Episcopus te bus Aureliani Principis, verum est quidem, quod Christum, communiter, ut cieter tum hominem ex utroque parente definit; Verbum autem Dei Patris, non sub vum, sed prolativum, vel imperativum sensit, atque pronuntiavit, non ut fides bet Catholica, Verbum in substantia, vel essentia consubstantivum, id est, ὁμοούσιον lium Dei Patris.*

Paulo explicatius istud Paulinianæ Hæreseos caput refert Leontius, libro de Sectis Actione 3. ejusque discrimen ab hæresi Sabellii & Nestorii tradit: *Alia quoque Se eta, inquit, Pauli Samosatensis, his temporibus extitit, qui & circa divinitatem incarnationem errabat. Circa divinitatem, quia Patrem solum fatebatur: circa Incar nationem, quia purum, solumque hominem esse Christum dicebat: in quo fuisse Dei monem non arbitrabatur; nec ea sentiens quæ Nestorius: Quippe Nestorius, licet Chri ratum. Paulus autem Samosatenus subsistentem per se Dei Sermonem ac Filium, in homine illo fuisse fatebatur. Non enim circa Trinitatem aliquod Nestorii fuit er Deus (ut ipse loquebatur) fieri per illum hominem quod volebat, idemque per illum non dicebat; sed volebat, sermonem esse jussum quoddam ac mandatum: hoc est, jussit eumdem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Deumque rem trini condebat. Nec erat eadem Pauli de divinitate sententia, quæ Sabellii. Nam Sabellius nominis appellabat, nullam prorsus esse Trinitatem statuens: Paulus vero non eundem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: sed Patrem ajebat illum esse Deum, qui omnia creasset; Filium, purum illum hominem; Spiritum, illam gratiam que super Apostolos venerit. Cæterum Verbum in Christo operatum dumtaxat esse Nec in Fidei dumtaxat Professionem, sed & in Baptismatis formulam, errorem de Trinitate suum invexerunt Paulianistæ: (An Paulo Samosateno auctore, incertum est). Unde Nicæna Synodus Canone 19. decrevit ut Paulianistæ ad Ecclesiam re deuntes baptizarentur. De quibus Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvult deum, cap. 44. ita scribit: *istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam Baptismatis non te nere; quam secum multi Hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eam que custodiunt.*

§. III.

De Conciliis contra Paulum Samosatenum celebratis.

DUo Concilia adversus Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrata sunt. Primum anno Christi 264. Dionysio Pontifice Maximo. Ad hoc plures undique Episcopi convenerunt: quos inter celebres erant Sanctus Gregorius Neocæsareensis, & Athenodorus ejus Frater, Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Helenus Tarsensis, Nicomas Iconii, Hymenæus Hierosolymorum, Theotecnus Cæsareæ in Palæstina, & Maximus Bostrorum. Sanctus Dionysius Alexandrinus valetudinem & senectutem excusavit ne Synodo adesset: Epistolam tamen dedit ad Patres, qua suam de Paulo Samosateno & ejus errore sententiam aperiebat.

Accurate & diligenter in Pauli fidem a Patribus inquisitum est: sed ipsis Catholicæ Fidei simulatione, & emendationis specie, vaferrimus Hæresiarca illusit. Ista constant ex Eusebio lib. 7. cap. 22. Editionis Christophorsoni, ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum, cap. 8. & ex Epistola Synodica 2. Synodi Antiochenæ. Extat Epistola ad Paulum Samosatenum scripta Tom. 1. Concil. quæ Professionem Fidei continet contra ipsius hæresim. Scripta quidem ea est a sex Episcopis, quorum quatuor Primæ Synodo Antiochenæ contra ipsum habitæ interfuisse constat ex Eusebio, omnes vero Secundæ Synodo. Sed ex neutra scripta videtur. Sic enim ad ipsum scribunt Patres: *Scire volumus an eadem nobiscum sentias, & doceas: & nobis significes, an iis, quæ superius scripsimus, assentiaris, an non.* At in utraque Synodo præsens loqui poterat Paulus: Itaque hæc Epistola non est ad eum data nec ex priori, neque ex posteriori; sed inter utramque ut colligitur ex Epistolæ exordio, quod jam conveniisse Patres propter negotium fidei indicat: *Jam quidem, inquiunt, in congressum & colloquium inter nos venimus, ac fidem nostram ostendimus.*

Erumpente iterum Pauli Samosateni hæresi, quam fuco Patribus facto occultaverat Synodo adhuc in Cathedra S. Petri Romæ sedente, ad quem, & ad Maximum Alexandrinum, cæterosque orbis Christiani Episcopos, extat Epistola Synodica a Patribus istius Concilii data, apud Eusebium lib. 7. Historiæ, c. 24. Quot Episcopi ad hanc Synodum convenerint, non est constans Veterum opinio: conveniisse pene infinitos scribit Eusebius. S. Athanasius in lib. de Synodis, septuaginta tantum numerat. Libellus supplex Basilii Diaconi, & Monachorum ad Imperatores contra Nestorium, centum & octoginta recenset. Patribus iterum illudere conatus verspellis Hæresiarcha, a Malchione Philosopho cum primis erudito & subtili, Scholæ Antiochenæ Magistro, & Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero, impietatis & hæreseos convictus est; anathemate percussus, & Episcopatu abdicatus; suffecto ejus in locum Domno. Verum cum e domo Episcopali egredi nollet proscriptus Hæreticus, Aurelianus Imperator a Catholicis Episcopis interpellatus, Ethnicus licet, tam justam ea in causa sententiam Itali Christianæ Religionis Antistites, & Episcopus Romanus scriberent concedendam. dixit, quam proferre potuisset Christianus Imperator: Iis domum tradi jussit, quibus ista constant ex Eusebio lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 23. & 24. & ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabular. c. 8.

ARTICULUS IX.

De Manichæorum Hæresi.

§. I.

De ejus Auctoribus.

HUjus Sectæ primus parens Scythianus quidam Saracenus genere, in Arabia nutritus, qui ingentibus ex mercatura partis divitiis, in Ægyptum se contulit, &

Alexandriæ Græcas disciplinas, ac præsertim Philosophiam
pestilentissimi vir ingenii ad condendum dogma de duobus pr
Idem apud Hypsalen Thebaidis oppidum, meretricem elegan
lupanari abductam matrimonio sibi junxit. Tum libros consc
hæresim stabiliret; unum Mysteriorum, alterum Capitulorum
gelium inscripsit, quartum Thesaurorum. Post hæc profectus
bintho discipulo, non sub Apostolorum tempora (ut Sanctus E
psit) sed post annum Christi ducentesimum; cum fidem Christi
tis evertere non poterat, a Presbyteris Ecclesiæ Hierosolymitan
giis concutere conaretur, in eumque finem summum ædium
inde, ulciscente Deo, lapsus in præceps, miserrime periit.

Terbinthus auri, librorum, & heræseos ipsius factus hæres,
jam ex perversitate nimium notus erat, secure manere non posse
fugit, ac mutato nomine, Buddam se nominavit. Verum adversa
thræ Sacerdotes, multisque disputationibus ab ipsis lacessitus, a
viduam habitavit. Deinde Scythiani Magistri exemplo, in sumi
dens, ac maleficiis operatus, ibidem correptus a dæmone, atque
tus, infelicem animam efflavit.

Anus pecuniarum omnium, ac librorum compos facta, servum
cum nomine, quem manumissum adoptavit, in Persarum erudiend
nis, ac librorum, atque pecuniarum conscripsit hæredem. Qui, ne
ei probrosum esset, Manes appellari deinde voluit, quæ vox Pers
allocutionem, significat, ut ait Sanctu Cyrillus Hierosolymitanus.
Græcos male sonaret hoc nomen, ac ab insania & furore videretur
nichæum, quasi *Manna fundentem*, hunc nominavere postea Discipul
stino teste, lib. de Hæresibus, c. 46. Interim multos discipulos in
errorem, viginti duos selegit nefariorum suorum dogmatum, impiari
prædicatores, in quibus tres præ cæteris insignes esse voluit, Thoma
& Addami. Interim cum de Christiana Religione multa audivisset, c
nia sacræ Scripturæ libris, veritatem admiscuit mendacio, ut sectam
liorem faceret. Cui ut majorem conciliaret auctoritatem, filium Regis
forte tunc ægrotabat, magicis artibus ac præstigiis confisus, curandum
cum Medicorum auxilio destitutus, ac Maneti relictus Princeps mor
carcerem Præstigiator conjectus est. Inde clam aufugit, corruptis pecu
missisque varias in partes Discipulis, ut hæresim suam longe lateque s
Mesopotamiæ fines ipse contendit. Ibi Marcellum virum nobilitate &
stianæ Religionis officiis celeberrimum, qui in oppido Caschara moraba
molitus est, data ad eum Epistola præcipuos errores suos continente; q
refert Sanctus Epiphanius Hæresi 66. In ea se *Apostolum Jesu Christi*
stor. Nec mirum quod istud sibi nomen arrogaret, qui & Spiritum San
re ausus est, quos ambitionis blasphemæ titulos insectatur Sanctus Au
contra aliam ejus Epistolam edito, quæ vocata est ab ejus Discipulis *E*
menti, cap. 5. 7. & 8. Marcellus ipsum accersivit, & in congressum ve
chelao Episcopo doctissimo curavit, a quo convictus & fugatus est. In
Persarum venit potestatem; quo jubente, cutis illi vivo detracta est.
chæi super arundines cubabant: quod arundine pellis detracta esset Mane
stant ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 6. Illuminatorum, e
phanio Hæresi 66. & Socrate lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17. qui
cerpsisse ex Disputatione Archelai cum Manete testatur. Agit etiam d
siarcha Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, sed minus accurate, & ni
ut Socrates notavit. Eadem magna ex parte refert Theodoretus libro
rum Fabularum, cap. 26.

Orta est porro Manichæorum hæresis sub Imperio Probi. Quo præcis
no, inter Antiquos non convenit. Legendus hac de re vir non modo re

gicarum ; verum etiam temporum peritiſſimus Petavius in ſuis Annotationibus ad Sanctum Epiphanium.

§. II.

De Erroribus Manichæorum.

1. MAnichæi duo Principia ſuprema inter ſe adverſa, & pariter æterna, quorum unum bonorum, alterum malorum numen eſſet: duaſque naturas & ſubſtantias eſſe, boni ſcilicet ac mali propugnabant. Palmaris hic erat error Sectæ. (Ex Sancto Auguſtino libro de Hæreſibus, cap. 46. Ex S. Epiphanio Hæreſi 66. & ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum, cap. 26.)

2. Carnem ex materia, & materiam a mali principio procreatam effutiebant. Ideo Affirmabant tertio, Chriſtum non fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe : ubi non ſolum mortem, verum etiam reſurrectionem mentiretur. (Ex iiſdem.)

3. Generationem execrabantur, & impediebant, nuptiaſque damnabant conſequenter, etſi mulieribus uterentur, quod ea via materiam augeri, & mali proinde principii cauſam agi exiſtimarent: & quod divinam ſubſtantiam in omnibus, ut ſomniabant, alimen-tis permixtam, & in eos cum ciborum ſubſtantia ingreſſam, vinculis carneis per generationem ligari in prole cenſerent. (Ex Sancto Auguſtino ibidem, & lib. 19. contra Fauſtum, cap. 29. ſed maxime lib. 13. cap. 5. 6. & 7.)

4. Ob eamdem rationem, quod ſcilicet nullum adminiculum dandum eſſet materiæ, execrabantur eos qui pauperibus eleemoſynam darent, quod ſcilicet eo actu mali Principio gratificarentur. Unde S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios ait: *Pro re hoſtili habetur apud Manichæos pauperum commiſeratio.* Quamquam Sanctus Auguſtinus libro de Moribus Manichæorum, cap. 16. nummos pauperibus importunis ipſos erogaſſe dicat; panem, vel cibum quemvis nuſquam, quod nefas putarent, ab aliis quam a ſuis Electis divinam ſubſtantiam in alimentis detentam, & quaſi inquinatam purgari & liberari. Sed de his ſermo inferius recurret.

5. In odium carnis execrabantur Sanctorum reliquias, ut colligitur ex S. Auguſtino lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21.

6. Conſequenter ad idem principium, Chriſtum non ad corpora liberanda, ſeu ad ſolas animas reparandas veniſſe dicebant; & animarum tantummodo reſurrectionem per prædicationem veritatis nunc adimpleri; corporum autem reſurrectionem nuſquam futuram. (Ex S. Auguſtino libro de Hæreſibus & libro 4. contra Fauſtum, cap. 2.)

7. Eouſque dementiæ productum eſt Manichæorum delirium, ut Chriſtum ſerpentem fuiſſe dicerent, qui Adamo, atque Evæ per eſum pomi ſcientiam boni & mali infudiſſet. (Ex Sancto Auguſtino libro de Hæreſibus.)

8. Chiſtum Solem eſſe hujus orbis, eos tradidiſſe, Theodoretus refert. Sed revera Chriſtum in Sole potius, quam eſſe ipſum commenti ſunt: nec Deos eſſe Solem & Lunam ſunt arbitrati, ſed attributorum ejus magnifica quædam domicilia, ſicut & aerem Spiritus Sancti ſingulare Palatium eſſe fabulati ſunt. Id conſtat ex Fauſto Manichæo apud Sanctum Auguſtinum lib. 20. contra ipſum edito, cap. 2. *Igitur*, i quit, *nos Patris quidem Dei omnipotentis, & Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti unum idemque ſub triplici appellatione colimus Numen: ſed Patrem quidem ipſum lucem incolere credimus ſummam ac principalem, quam Paulus alias inacceſſibilem vocat: Filium vero in hac ſecunda ac viſibili luce conſiſtere, qui quoniam ſit & ipſe geminus, aut eum Apoſtolus novit, Chriſtum dicens eſſe Dei virtutem, & Dei Sapientiam, virtutem quidem ejus in Sole habitare credimus, ſapientiam vero in Luna: necnon & Spiritus Sancti, qui eſt Majeſtas tertia, aeris hunc omnem ambitum ſedem fatemur, ac diverſorium.*

9. Jeſum ex Spiritu Sancto & terra patibilem gigni, & in omnibus herbis & arboribus eſſe ſuſpenſum effutiebant; ſive alium illum cenſerent ab eo, quemper Solem, Lunamque diſtentum comminiſcebantur, & diverſum etiam ab eo, quem ſpecie tenus

ſub Pontio Pilato crucifixum ſentiebant ; ſive eumd
lib. 20. contra Fauſtum , c. 11. *Quid autem hinc dica*
Sancti Spiritus , ac ſpiritali profuſione terram quoque
Jeſum , qui eſt vita ac ſalus hominum omni ſuſpenſus
terra de Spiritu Sancto concipere patibilem Jeſum ; &
para , ſi audes , Virginalia viſcera tanta caſtitate ſanct
ubi arbores herbæque gignuntur . Itane in illa femina e
gis uterum pudicitiæ dedicatum : & in hortis omnibus
cinis aquis Jeſum gigni non exhorreſcis ?

Et infra : *Poſtremo dicite nobis quot Chriſtos eſſe dicat*
ritu Sancto concipiens terra patibilem gignit , omni non
etiam jacens in herba : & alius ille quem Judæi crucifix
tertius ille per Solem Lunamque diſtentus ? An unus atq
ligatus in arboribus , ex quadam vero liber , eidem ligatæ

Et infra reſpondens mendacio Fauſti , qui dixerat Ca
& Calicem cum Manichæis religionem eſſe , ait : *Noſter*
quilibet (quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis
ſed certa conſecratione Myſticus fit nobis Chriſti Corpus , n
non ita fit , quamvis ſit panis & Calix , alimentum eſt ref
Religionis ..... Vobis autem per fabulam veſtram in eſcis
ponitur : ligandus adhuc veſtris viſceribus , ſolvenduſque ruc
ducatis , Dei veſtri defectione vos reficitis , & cum digeritis ,

10. Vetus Teſtamentum rejiciebant Manichæi , Deum qu
dit, & in Prophetis locutus eſt , non eſſe verum Deum , ſ
Principibus , aſſerentes . Novi vero Teſtamenti Scripturas ad
bant ; nec in totum admittebant ut veras. Id conſtat ex S. A
ſibus, & in libris contra Manichæos paſſim , & lib. 17. contra
c. 3. *Undique* , inquit, *tergiverſatio veſtra confunditur ; aperte*
Chriſti Evangelio : nam qui in Evangelio quod vultis creditis , q
ditis , vobis potius quam Evangelio creditis .

11. De Adami & Evæ creatione ſic fabulabantur. Illos ex par
mi natos aſſerebant : cum Pater eorum nomine Saclas omnium
tus devoraſſet , & quidquid inde commixtum divinæ ſubſtantiæ
commercium habens , in carne prolis tamquam tenaciſſimo vin
Sancto Auguſtino lib. de Hæreſibus.) Eam fabulam aliter refert
Hæreticarum Fabularum, cap. 26. Aliter refert & S. Epiphanius
licet qui dixit : *Venite , faciamus hominem ad imaginem noſtram &*
cipem eſſe, ſecundum Manichæos, qui reliquis Principibus dixer
bi ex illa luce , quam accepimus , & faciamus hominem ad noſtr
aſpeximus : Atque ita hominem condidiſſe . Eadem ratione fabr
de ſua cupiditate ad decipiendum Adamum impertiviſſe .

12. Non unam cuilibet homini inſitam animam aſſerebant ,
unam dicebant partem Dei eſſe, alteram de Gente tenebrarum ,
rat Deus, & quæ Deo eſſet coæterna : harum unam bonam eſſe
Iſtam propriam eſſe carnis, illam vero ex adventitia Dei parte, c
Gente conflixerit , atque utramque miſcuerit ; & omnia quidem b
mæ bonæ ; omnia vero mala illi malæ animæ tribuebant . (Ex
bro de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 1. & ſequentibus
cap. 13.)

Carnalem concupiſcentiam negabant eſſe infirmitatem ex primi
nobis ſuperſtitem , ſed ſubſtantiam eſſe contrariam aſſerebant , nob
rentem , ut ſeparata & avulſa a nobis ſubſiſtat , quando liberamur
& in ſua natura etiam ipſa immortaliter vivat . Concupiſcentiam i
ſus ſpiritum , & ſpiritus adverſus carnem , nihil aliud eſſe propugna

rum animarum pugnam. Nec vitium illam esse dicebant in nobis aliquando sanandum in æterna felicitate; sed substantiam malam a nobis secludendam, & post conflagrationem mundi in globo quodam, velut in carcere victuram. (Ex S. Augustino, libro de Hæresibus.)

14. In homine non esse liberum arbitrium ad peccandum; alioquin peccatum in Deum refundendum esse. Quem errorem tribus libris de libero Arbitrio S. Augustinus expugnat.

15. Baptismum esse negabant ad salutem necessarium: & suorum baptizabant neminem. (Ex S. Augustino lib. de Hæresibus.)

16. Fidei necessitatem & utilitatem impugnabant irridentes in Catholicæ Fidei Disciplina, quod homines credere juberentur imprimis, non autem ratione ducerentur ad veritatis notitiam. Id testatur Sanctus Augustinus in lib. *De utilitate credendi* ad Honoratum amicum suum a Manichæis deceptum, cap. 1. „ Est igitur mihi proposi„ tum, *inquit*, ut probem tibi, si possum, quod Manichæi sacrilege ac temere inve„ hantur in eos, qui Catholicæ Fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum „ quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illumi„ nes homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mira & „ simplici ratione, eos qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni „ liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem spreta Religione, quæ „ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire; „ nisi quod nos superstitione teneri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent; „ se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate?

17. Animarum transmigrationem admittebant, Animas quippe Auditorum suorum in Electos, id est, in Manichæos perfectiores revolvi arbitrabantur; aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut sic purgatæ, nulla amplius in corpora reverterentur. (Ex S. Augustino libro de Hæresibus.)

18. Plantas & arbores, non vegetante dumtaxat, sed sentiente vita præditas esse, & doloris esse capaces somniabant. Unde agriculturam, tamquam plurium homicidiorum ream, accusabant homines dementissimi. (Ex S. Augustino ibid.)

19. Solem & Lunam quasdam naves esse effutiebant ex pura Dei substantia fabricatas, per quas lux, quæ secundum ipsos erat Dei natura, regno Dei tamquam propriis sedibus redderetur. Addebant, Solem esse triangulum, non rotundum. Sanctas denique Virtutes in his residere sideribus fingebant, quæ se in masculos transfigurarent, ut feminas Gentis adversæ illicerent, & his illecebris commota eorum concupiscentia lumen ipsorum membris permixtum excuteret; quod purgandum susciperetur ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponeretur, ad regna propria transvehendum. Has fabulas refert Sanctus Augustinus libro de Hæresibus, & lib. 20. contra Faustum, cap. 6. eas irridet, & refellit. „ Unde vos, *inquit*, verius dixerim „ non Solem istum colere, ad cujus gyrum vestra oratio circumvolvitur. Nam & „ de ipso tam falsa, & tam detestanda jactatis, ut si suas vindicaret injurias, jam „ flammis ejus vivi arderetis. Nam primo eum navim quamdam esse dicitis; ita „ non tantum, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed & natatis. Deinde cum omnium „ oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit, „ vos eum triangulum perhibetis; id est, per quamdam triangulam cœli fenestram „ lucem istam mundo, terrisque radiare .... Verum hæc tolerabilius, vel ridentur, „ vel flentur in vobis: illud est intolerabiliter sceleratum, quod de ipsa navi puellas „ pulchras & pueros proponi dicitis, quorum formosissimis corporibus inardescant „ Principes tenebrarum, ad feminas masculi & ad masculos feminæ; ut in ipsa fla„ granti libidine, & inhianti concupiscentia, de membris eorum, tamquam de tetris, „ fordidisque compedibus, Dei vestri membra solvantur.

20. Quinque elementa Genti tenebrarum propria propugnabant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum; ex fumo animalia bipedia, & homines originem ducere; ex tenebris serpentia; ex igne quadrupedia; ex aquis natatilia; ex vento volatilia

fingebant. His quinque elementis malis debellandis, & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse lucem; igni malo ignem bonum; aquæ malæ, aquam bonum.

21. Bellum illicitum prorsus esse contendebant, ut contra Faustum, c. 74. 75. 76. & 77. quibus hunc error

22. Promissionem Christi de alio Paracleto mittendo ctore completam esse fabulantur. (Ex S. Augustino libr Damnati dicuntur Manetis errores in Synodo quadar illo, cujus meminimus, Archelao, Carcharorum Episcop ctor libelli Synodici) sed nemo veterum Synodi hujusmo to est, conflictam esse. Disputationis quidem contra Mai Cyrillus Hierosolymitanus, & Epiphanius meminerunt; S

§. III.

De Moribus Manichæorum.

1. MAnichæorum Secta duobus ordinibus constabat, Electorum. Auditores & carnibus vescebantur, & agros bebant, si vellent, quorum nihil faciebant Electi. Sed ante E ut eis supplicibus manus imponerentur, non a solis Episcopis, Diaconis eorum, sed a quibuslibet Electis, ut testatur Sanctu 74. quæ est *ad Deuterium Episcopum*. Porro inter Electos Manerant præcipui, atque eximii, quos vocabant Magistros: quibus Princeps præsidebat. Episcopos habebant 72. qui creabantur a M teros, qui ab Episcopis ordinabantur, necnon etiam Diaconos. H nichæorum Hierarchia. (Ex S. Augustino libro de Hæresibus.)

2. Carnibus abstinebant Manichæorum Electi, earumque interd fugiente sensim, ut ajebant, in omnium motibus & alterationibus substantiæ divinæ particula, fœx quædam sordidissima remanebat, cubitum caro formaretur. (Ex S. Augustino, lib. de Moribus Man 15. & lib. de Hæresibus.) Ovis etiam, & lacte uti nefas existimab fel Principum tenebrarum aversabantur, quamvis uvas comederent. gustino ibidem) unde etiam lib. 20. contra Faustum, c. 13. ipsum tholicis parem esse Religionem circa Panem & Calicem, sic refellit: *bitretur Faustus parem nobis esse Religionem circa Panem & Calicem Manichæis vinum gustare, non Religio, sed sacrilegium sit. In uva e Deum suum, in cupa nolunt: quasi aliquid eos calcatus & inclusus offen* unica specie Manichæi communicabant; quo indicio eos manifestos for monet Serm. 44. de Quadragesima: *Quod Sanguinem Redemptionis nostr nino declinant.*

3. Agros colere, fruges metere, fructus ex arboribus decerpere, pla mina quælibet evellere nefas ducebant Manichæorum electi, ne totider rum rei essent: quæ suis Auditoribus ignosci asserebant, a quibus hæc s parabantur. (Ex S. Augustino, lib. de Hæresibus.)

4. Die Dominica jejunabant. (Ex eodem, Epistola 64.)

5. Orabant ad Solem conversi, ipsumque, & Lunam adorabant. (Ex & Epist. 74.)

6. Manichæorum Auditores uxoribus suis miscebantur solius libidinis exp tia, & impediebant ne filios conciperent. (Ex Sancto Augustino, lib. de H & passim in libris contra Faustum; sed præcipue lib. 15. cap. 7. ubi ait: *præceptum, non mœchaberis, ita violatis, ut hoc maxime in conjugio de quod filii procreantur: ac sic Auditores vestros, dum cavent ne feminæ qu*

ſcentur concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis: Ducunt enim eas, ex lege Matrimonii Tabulis proclamantibus, Liberorum procreandorum cauſa, ex veſtra lege metuentes ne particulam Dei ſui ſordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem, feminis impudica conjunctione miſcentur. Filios autem juncti ſuſcipiunt, propter quod ſolum conjugia copulanda ſunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quod de te tanto ante prædixit Apoſtolus, quando id conaris auferre de nuptiis unde ſunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices uxores, thalami fornices, ſoceri lenones. Idem conſtat ex eodem Sanctiſſimo Doctore, libro de Moribus Manichæorum, cap. 18. ubi addit, Manichæorum Electos ſolitos eſse monere ſuos Auditores, ut obſervarent, quantum fieri poſſet, tempus quo ad conceptum mulier, poſt genitalium viſcerum purgationem apta eſſet, eoque tempore a concubitu temperarent, ne carni anima implicaretur.

7. Quod vel cogitatu horrendum, & execrandum eſt, Euchariſtiam humano ſemine conſperſam ſumere Manichæorum Electi cogebantur, quod ex confeſſione cujuſdam quaſi Sanctimonialis, & alterius puellæ, propter hoc ſceleſtum Myſterium violatarum, coram ſæculari Judice facta, Sanctus Auguſtinus probat lib. de Hæreſibus & lib. de Moribus Manichæorum, cap. 19. & 20. teſtatur Manichæos in omnem intemperantiam, & libidinem effuſos fuiſſe, quamvis de temperantia ſingulari, & eximia caſtitate gloriarentur: & refert graviſſima ac plane deteſtanda ipſorum flagitia, publicis teſtimoniis & actis comprobata; quorum ipſe magna ex parte teſtis fuit.

8. Tria ſignacula ſuis in moribus magna oſtentatione jactabant, *oris, manuum & ſinus*: id eſt ſe ore, manibus, & ſinu prædicabant puriſſimos & ſanctiſſimos. Ad oris ſignaculum pertinere dicebant, quod ab omni ſe continerent blaſphemia: cum tamen nulli alii Hæretici majores in Deum Blaſphemias evomuerint. Oris ſignaculum ſibi inſuper arrogabant, quod nec vinum biberent, nec carnibus veſcerentur. De manuum ſignaculo ambitioſius gloriabantur, quod ab animalium nece, & a ſtirpium laceratione temperarent. De ſignaculo denique ſinus quod caſtitatem colerent, nec ducerent uxores Manichæorum Electi. Hæc conſtant ex S. Auguſtino, lib. de Moribus Manichæorum, c. 10. & ſequentibus.

9. Quæ ipſis ad epulas miniſtrabantur, tota a ſuis conſumenda eſse ſentiebant, nefaſque putabant reliquias ciborum ſuorum, vel aliis dare, vel abjicere, ne cibis inſita lux, & divinæ particula ſubſtantiæ, non purgata maneret. Unde non ſolum ad ſatietatem, ſed ad cruditatem & ructum uſque frequentius comedebant. (Ex S. Auguſtino, lib. de Moribus Manichæorum, c. 16.)

10. Quod ad hanc infamem Diſciplinam conſequens erat, panem, vel cibum cujuſcumque generis pauperibus dare nefas arbitrabantur, ne ab illis pateretur divina ſubſtantia, ſecundum illos cibis commixta. Nummos tamen ipſis dari non prohibebant. Quod ita irridet S. Auguſtinus libro de Moribus Manichæorum: *Quid hic prius arguam, inquit, crudelitatem, an vecordiam? Quid enim ſi eo loco res agatur, ubi venalis cibus inveniri non poteſt? Homo egens ille fame moriturus eſt, dum tu vir ſapiens & benignus magis cucumerem, quam hominem miſererearis. Hæc eſt profecto falſa miſericordia, & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim ſi nummis illis quos dederis, ſibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa veſtra divina, qui hanc ſumit a venditore, paſſura eſt, quod paſſura erat, ſi te dante, ſumpſiſſet? Involvit igitur ſordibus precator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis nummis ad tantum ſcelus adjutus .... Quid ad hanc inſaniam addi poteſt? Ita enim fit ut aut homo moriatur, ſi venalem non invenerit cibum; aut cibus ipſe ſi invenerit: quorum alterum eſt verum homicidium, alterum veſtrum, vobis tamen ita tribuendum, tamquam utrumque ſit verum.* Idem refert, & ridet, l. 15. contra Fauſtum, cap. 7. &

fingebant. His quinque elementis malis debellandis, a
& ſubſtantia Dei miſſa eſſe, & in illa pugna fuiſſe per
lucem; igni malo ignem bonum; aquæ malæ, aquam
bonum.

21. *Bellum* illicitum prorſus eſſe contendebant, ut c
contra Fauſtum, c. 74. 75. 76. & 77. quibus hunc errorem
22. Promiſſionem Chriſti de alio Paracleto mittendo,
ctore completam eſſe fabulantur. (Ex S. Auguſtino libro
Damnati dicuntur Manetis errores in Synodo quadam
illo, cujus meminimus, Archelao, Carcharorum Epiſcopo
ctor libelli Synodici) ſed nemo veterum Synodi hujuſmod
to eſt, confictam eſſe. Diſputationis quidem contra Man
Cyrillus Hieroſolymitanus, & Epiphanius meminerunt; Sy

§. III.

De Moribus Manichæorum.

1. MAnichæorum Secta duobus ordinibus conſtabat, Electorum. *Auditores* & carnibus veſcebantur, & agros c
bebant, ſi vellent, quorum nihil faciebant Electi. Sed ante El
ut eis ſupplicibus manus imponerentur, non a ſolis Epiſcopis,
Diaconis eorum, ſed a quibuslibet Electis, ut teſtatur Sanctu
74. quæ eſt *ad Deuterium Epiſcopum*. Porro inter Electos Mani
erant præcipui, atque eximii, quos vocabant Magiſtros: quibus c
Princeps præſidebat. Epiſcopos habebant 72. qui creabantur a M
teros, qui ab Epiſcopis ordinabantur, necnon etiam Diaconos. H
nichæorum Hierarchia. (Ex S. Auguſtino libro de Hæreſibus.)
2. Carnibus abſtinebant Manichæorum Electi, earumque interd
fugiente ſenſim, ut ajebant, in omnium motibus & alterationibus
ſubſtantiæ divinæ particula, fœx quædam ſordidiſſima remanebat,
cubitum caro formaretur. (Ex S. Auguſtino, lib. de Moribus Ma
15. & lib. de Hæreſibus.) Ovis etiam, & lacte uti nefas exiſtimal
fel Principum tenebrarum averſabantur, quamvis uvas comederent
guſtino ibidem) unde etiam lib. 20. contra Fauſtum, c. 13. ipſum
tholicis parem eſſe Religionem circa Panem & Calicem, ſic refellit
bitretur Fauſtus parem nobis eſſe Religionem circa Panem & Calicem
Manichæis vinum guſtare, non Religio, ſed ſacrilegium ſit. In uva
Deum ſuum, in cupa nolunt: quaſialiquid eos calcatus & incluſus offe
unica ſpecie Manichæi communicabant; quo indicio eos manifeſtos fo
monet Serm. 44. de Quadrageſima: *Quod Sanguinem Redemptionis no*
nino declinant.
3. Agros colere, fruges metere, fructus ex arboribus decerpere, pl
mina quælibet evellere nefas ducebant Manichæorum electi, ne totid
rum rei eſſent: quæ ſuis Auditoribus ignoſci aſſerebant, a quibus hæc
parabantur. (Ex S. Auguſtino, lib. de Hæreſibus.)
4. Die Dominica jejunabant. (Ex eodem, Epiſtola 64.)
5. Orabant ad Solem converſi, ipſumque, & Lunam adorabant. (E
& Epiſt. 74.)
6. Manichæorum Auditores uxoribus ſuis miſcebantur ſolius libidinis ex
tia, & impediebant ne filios conciperent. (Ex Sancto Auguſtino, lib. de
& paſſim in libris contra Fauſtum; ſed præcipue lib. 15. cap. 7. ubi ait:
præceptum, non mœchaberis, ita violatis, ut hoc maxime in conjugio
quod filii procreantur: ac ſic Auditores veſtros, dum cavent ne feminæ

ſcentur concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis: Ducunt enim eas, ex lege Matri-monii Tabulis proclamantibus, Liberorum procreandorum cauſa, ex veſtra lege metuentes ne particulam Dei ſui ſordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem, feminis impudica conjunctione miſcentur. Filios autem juncti ſuſcipiunt, propter quod ſolum conjugia copulanda ſunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quod de te tanto ante prædixit Apoſtolus, quando id conaris auferre de nuptiis unde ſunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices uxores, thalami fornices, ſoceri lenones. Idem conſtat ex eodem Sanctiſſimo Doctore, libro de Moribus Manichæorum, cap. 18. ubi addit, Manichæorum Electos ſolitos eſse monere ſuos Auditores, ut obſervarent, quantum fieri poſſet, tempus quo ad conceptum mulier, poſt genitalium viſcerum purgationem apta eſſet, eoque tempore a concubitu temperarent, ne carni anima implicaretur.

7. Quod vel cogitatu horrendum, & execrandum eſt, Euchariſtiam humano ſemine conſperſam ſumere Manichæorum Electi cogebantur, quod ex confeſſione cujuſdam quaſi Sanctimonialis, & alterius puellæ, propter hoc ſceleſtum Myſterium violatarum, coram ſæculari Judice facta, Sanctus Auguſtinus probat lib. de Hæreſibus & lib. de Moribus Manichæorum, cap. 19. & 20. teſtatur Manichæos in omnem intemperantiam, & libidinem effuſos fuiſſe, quamvis de temperantia ſingulari, & eximia caſtitate gloriarentur: & refert graviſſima ac plane deteſtanda ipſorum flagitia, publicis teſtimoniis & actis comprobata; quorum ipſe magna ex parte teſtis fuit.

8. Tria ſignacula ſuis in moribus magna oſtentatione jactabant, *oris, manuum & ſinus*: id eſt ſe ore, manibus, & ſinu prædicabant puriſſimos & ſanctiſſimos. Ad oris ſignaculum pertinere dicebant, quod ab omni ſe continerent blaſphemia: cum tamen nulli alii Hæretici majores in Deum Blaſphemias evomuerint. Oris ſignaculum ſibi inſuper arrogabant, quod nec vinum biberent, nec carnibus veſcerentur. De manuum ſignaculo ambitioſius gloriabantur, quod ab animalium nece, & a ſtirpium laceratione temperarent. De ſignaculo denique ſinus quod caſtitatem colerent, nec ducerent uxores Manichæorum Electi. Hæc conſtant ex S. Auguſtino, lib. de Moribus Manichæorum, c. 10. & ſequentibus.

9. Quæ ipſis ad epulas miniſtrabantur, tota a ſuis conſumenda eſse ſentiebant, nefaſque putabant reliquias ciborum ſuorum, vel aliis dare, vel abjicere, ne cibis inſita lux, & divinæ particula ſubſtantiæ, non purgata maneret. Unde non ſolum ad ſatietatem, ſed ad cruditatem & ructum uſque frequentius comedebant. (Ex S. Auguſtino, lib. de Moribus Manichæorum, c. 16.)

10. Quod ad hanc infamem Diſciplinam conſequens erat, panem, vel cibum cujuſcumque generis pauperibus dare nefas arbitrabantur, ne ab illis pateretur divina ſubſtantia, ſecundum illos cibis commixta. Nummos tamen ipſis dari non prohibebant. Quod ita irridet S. Auguſtinus libro de Moribus Manichæorum: *Quid hic prius arguam*, inquit, *crudelitatem, an vecordiam? Quid enim ſi eo loco res agatur, ubi vernalis cibus inveniri non poteſt? Homo egens ille fame moriturus eſt, dum tu vir ſapiens & benignus magis cucumerem, quam hominem miſererearis. Hæc eſt profecto falſa miſericordia, & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim ſi nummis illis quos dederis, ſibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa veſtra divina, qui hanc ſumit a venditore, paſſura eſt, quod paſſura erat, ſi te dante, ſumpſiſſet? Involvit igitur ſordibus precator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis nummis ad tantum ſcelus adjutus .... Quid ad hanc inſaniam addi poteſt? Ita enim fit ut aut homo moriatur, ſi venalem non invenerit cibum; aut cibus ipſe ſi invenerit: quorum alterum eſt verum homicidium, alterum veſtrum, vobis tamen ita tribuendum, tamquam utrumque ſit verum.* Idem refert, & ridet, l. 15. contra Fauſtum, cap. 7. & lib. 4. Confeſſionum, cap. 10.

§. IV.

De Manichæorum Debellatoribus.

QUi Manichæorum Sectam scripserunt Titus Bostrus Tarsensis, Georgius Laodicenus homo Arianus, Eusebium Phœnicem vocat; Eusebius Cæsareen Theodoretus Eusebium Phœnicem vocat; Eusebius Cæsareen Sanctus Athanasius, Apollinaris Laodicenus, ut testantur S. & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum, cap. 26. Sanctu Origenem, sed ratio temporis repugnat. Mortuus enim est Or antequam Manichæorum superstitio in lucem emergeret. Siquid Imperatoris persecutione, anno ejus Imperii 10. ætatis annum 17 febius asserit lib. 6. cap. 3. Obiit vero anno ætatis 70. Imperante Auctore, lib. 7. c. 1. diu antequam Manichæorum nomen auditum et his adjungentur Didymus, & Zacharias Mitylenensis Episcopus & He cedonensis, de quo Photius in Bibliotheca cap. 85. Sed nemo Patrum hanc hæresim luculentius impugnavit, nemo debe Sancto Augustino, qui Manichæa superstitione novem annis detentus est hac in Secta fuit. Elucubravit porro adversus ipsos Opera sequentia. 1. Librum *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, & alterum *de moribus Man* statim atque Romam Mediolano reversus post baptismum est, anno Christ 388. Horum meminit lib. 1. Retractationum, c. 7. Deinde tres libros *de li* 2. Librum *de* quo prælaudatos, secundum & tertium in Africa jam Pre Hipponensis Ecclesiæ ordinatus absolvit anno circiter 391. aut 392. In Africam a rediit anno 389. (1. Retractationum cap. 9.) 3. Librum duplicem *de* Genesi contra Manichæos (lib. 1. Retractationum c. 10.) 4. Librum *de* vera Religione adversus eosdem elaboravit adhuc in Presbyteoru ordine positus (1. Retractationum cap. 13.) 5. Librum *de* Utilitate credendi, *ad Honoratum* (1. Retract. cap. 15. 6. Librum *de* duabus Animabus (1. Retract. cap. 14.) cum a Notariis exceptæ essent, quando Sanctus Augustinus adhuc Presbyter illo Hæretico congressus est Hippone, in librum deinde ab eodem Sanctissimo Do- ctore collatæ sunt (lib. 1. Retractationum cap. 16.) 7. Librum *contra* Fortunatum Manichæum, duas Disputationes continentem, quæ 8. Librum *contra Adimantum Manichæi discipulum*, qui Disputationes quasdam con- scripserat adversus Legem & Prophetas, velut contraria eis Evangelica & Apostoli- ca sentiret, ab anno scilicet 391. Christi, quo Presbyter a Valerio Hipponensi Epi- scopo ordinatus est, trigesimum septimum agens annum ætatis (ex Possidio, in Vi- ta S. Augustini) ad annum 395. quo creatus est Episcopus. In hunc enim annum incidit Olibrii & Probini Consulatus, sub quo S. Augustini consecrationem Episcopa- tem Prosper in Chronico notavit. 9. Librum *Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti*, edidit jam Epi- scopus (lib. 2. Retractationum cap. 2.) 10. Libros *Triginta tres contra Faustum Manichæorum Episcopum*, blasphemantem in Legem & Prophetas, & eorum Deum, necnon Christi Incarnationem. In his li- bris S. Augustinus verba ipsa Fausti in volumine, quod adversus Catholicam Verita- tem ediderat, refert, illisque responsionem suam subjungit. Constat ex illis hunc Hæreticum ingenii, & eloquentiæ laude inter suos fuisse conspicuum. Hunc olim Carthagine noverat S. Augustinus, & cum eo familiaritatem iniverat (ut ipse te- statur l. 5. Confession. cap. 3. & sequentibus.) Hoc Opus elucubravit ante annum Christi 404.

11. Hoc

n Episcopus, Diodo-
ius Emisenus, quem
Serapion Thumensis,
hanius Hæresi 66.
piphanius his addit
nes annis fere 20.
grassante Severi
regerat, ut Eu-
llo, ex eodem
. Sed verius
clianus Chal-

vit felicius
& Auditor

Manichæorum,
circiter
...o Ar-
...imum
...yter
...tem

11. Hoc ipso anno, in quem Honorii Augusti sextus incidit Consulatus, S. Augustinus contra Felicem Manichæum Doctorem, in Ecclesia Hipponensi, præsente populo, biduo disputavit. Victrix evasit per Augustinum veritas, victus est Felix, & clade sua felicior factus est atque glorioſior: siquidem Manichæam hæresim solemniter ejuravit. Disputatio porro S. Augustini in duos libros ab ipso redacta est, cum a Notariis antea excepta esset. Inscribuntur, *De Actis cum Felice Manichæo*. Abjuratio autem Manichææ hæreseos a Felice facta, & ejus subscriptio inserta est I. 2. in fine (l. 2. Retractationum c. 8.)

12. Scripsit librum *de Natura boni*, non longe post illam disputationem, & forsan anno (lib. 2. Retractationum cap. 8.)

13. Librum *contra Secundinum Manichæorum Auditorem*, qui ad ipsum honorifice scripserat velut ad amicum, urbane ipsum objurgans, quod hæresim illam oppugnaret (lib. 2. Retract. cap. 8.)

14. Duos libros edidit S. Augustinus *contra adversarium Legis & Prophetarum*, qui contra Manichæos æque ac Marcionitas pugnant. Eos conscripsit ut libro cujusdam Anonymi responderet, quo asserebatur, Mundi conditorem, & auctorem legis Mosaicæ, inspiratoremque Prophetarum non esse verum Deum. Hoc autem elucubravit anno circiter 420. (lib. 2. Retract. cap. 58.)

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

OMnium primus, qui Manichæos oppugnare aggressus est, statuatur oportet Archelaus Charræ in Mesopotamia Episcopus, qui cum Manete disputatione coram delectis ex Paganorum secta judicibus bis instituta hominem confecit. Hujus vero disputationis acta ipse per se Archelaus, S. Epiphanio hær. LXVI. teste, scripsit Græce, in Syriacum dialectum postea conversa. Hieronymus vero Scriptor. Eccl. cap. LXXVII. Hegemonius Archelaum in Græcum transtulit, quæ Heracliani Chalcedonensis Episcopi sententia est apud Photium Cod. LXXXVIII. eademque tertius alius Hieronymus ad calcem suarum Scriptor. Eccl. cap. Denique superiori exeunte sæculo Cl. Laurentius Alexander Zacagni, Vaticanæ bibliothecæ præfectus ex Cassinensi codice MS. annorum 600. acta illa integra, vel fere integra produxit, exhibuitque in Collectaneo Monumentorum veterum Ecclesiæ Græcæ, Romæ anno 1698. ex hoc fonte derivatum est quidquid de Manichæorum origine Patres tradiderunt; quare cum P. Alexander narrationem de Manichæis suam ex Patribus acceperit, bene fere omnia expressit, eademque Manichæorum historia qualis hic describitur, in Actis pariter legenda sese offert. Nihil tamen habet Archelaus de lapsu Scythiani e summo studio ædium tecto; quo casu oppressus interemptis redegit, & quidem Syriace, ut aserit Sanctus Epiphanio hær. LXVI. teste, Hujus vero Buddam affirmat. Quo vero genere Scythianus obierit non exprimit. Ita pariter nonnisi obreptione quadam Veteribus nonnullis persuasum fuit Mithræ Sacerdotes aggressos Buddam validis argumentis hominem convicisse. Archelaus enim scripsit Labpacum Mithræ filium mendacii præstigiatorem illum arguisse. Hæc duo in Alexandro emendanda. Denique Manes (ita enim scribendum ex Persica vocis terminatione monet Archelaus) designare homiliam seu docente S. Cyrillo Hierosolymitano tradit P. Natalis. Verum Photii

Manichæorum, quam ex codice Coislinianæ bibliothecæ primus vulgavit P. Montfaucon Bibl. Coislin. par. 2. *pag.* 335. vocis etymon hoc proponit : *Hoc nomen Lingua Perſica ſignificat diſertum, & in dialectica ſtrenuum*. Eſt inſuper ex hoc Archelai ſcripto diſputatio gemina Archelai cum Manete diſtinguenda (unius enim tantummodo meminit P. Alexander, nec plures alii memorant.) Semel enim coram delectis *Paganis* judicibus diſceptatum eſt Archelaum inter & Manes in urbe Charræ, iterum vero in oppido remoto illinc parum ubi Diodorus Presbyter ſacris præerat.

Reprehendit inſuper P. Alexander S. Epiphanium tamquam oſcitantius ſcripſerit Scythianum ſectæ Manichæorum primum ipſo Apoſtolorum ævo prodiiſſe. Ignoravit tamen vir doctus hæc non ſine aſſertore Epiphanium ſcripſiſſe; Archelaus in hac ipſa diſputatione affirmat Scythianum ex Scythia (non ergo ex Arabia ut P. Alexander notat) Apoſtolorum tempore fuiſſe ſectæ hujus (Manichæorum) auctorem.

Libelli Synodici auctor vetuſtus Synodum quamdam ab Archelao in Manichæos coactam invehit, & in ea ſententiam damnationis adverſus impios prolatam affirmat. Synodi hujus veritas ex veterum omnium ſilentio ſuſpicioſa P. Alexandro efficitur. Hanc tamen ipſam Synodum ſuboſcuris tamen verbis aſſeri ab ipſo rerum Manichæarum ſcriptore primo Archelao ſuſpicor. En verba ejus in capite LIV. legenda. *Congregatis igitur* (Archelaus) *omnibus Chriſtianis ferri adverſus eum ſententiam placuit, &c.*

ARTICULUS X.

De Hieracithis.

HIeracitharum hæreſis, Manichææ propago, ab Hierace, quem & Hieracham nonnulli dicunt, viro liberalium artium ſtudiis, & linguarum peritia clariſſimo, ortum in Ægypto habuit. Hæc autem invexit ille, atque propugnavit dogmata.

1. De Filii Dei generatione, & divinitate peſſime locutus eſt. Quamdam enimvero divinæ ſubſtantiæ diviſionem excogitavit, ſimilem ei quæ fit cum lampas duobus oleum inter ſe communicantibus lychnis inſtructa, duplex lumen profundit. (Ex Sancto Hilario lib. 6. de Trinitate.) Filium tamen a Patre revera genitum ipſum ſenſiſſe auctor eſt Sanctus Epiphanius.

2. Spiritalem tantum reſurrectionem agnovit, animæ ſoli, carni neutiquam convenientem. (Ex S. Epiphanio Hæreſi 67.)

3. Nuptias in veteri quidem Teſtamento licitas fuiſſe, ſed poſt Chriſti adventum rejiciendas eſſe prædicabat; nec regnum Cœlorum conſequi poſſe conjugatos, ſed ſolos cælibes. (Ex Sancto Epiphanio ibidem.)

4. Pueros ante rationis uſum vita functos, negabat ad gloriam cœleſtem pervenire, quod nullum pro pietate certamen ſubiiſſent, nec ſit coronandus, niſi qui legitime certaverit, (Ex S. Epiphanio.)

5. Paradiſum ſenſibilem, corporeumque fuiſſe locum inficiabatur. (Ex eodem.)

6. Melchiſedecum Spiritum Sanctum eſſe contendebat. (Ex eodem.)

7. Ad ſeverioris diſciplinæ normam vitam ſuam exigebat ab animatis & vino ſibi temperans. Unde & ejus diſcipuli *Abſtinentes* vocati ſunt, teſte Philaſtrio, c. 83. & neminem ſuum in cœtum admittebat, niſi Monachos, Virgines continentes, aut Viduas (ut S. Epiphanius refert loco mox laudato.)

ARTICULUS XI.

De Nepote.

NEpos Ægyptiacus Epiſcopus fabulam de millenario in terris Chriſti regno deliciis corporeis & voluptate felici, quod Sanctis poſt reſurrectionem promiſſum eſſet, inſtauravit, circa annum Chriſti 264. quo de argumento librum edidit inſcriptum Ἔλεγχοι ἀλληγοριστῶν, ideſt, *Reprehenſionem eorum qui allegorias componunt*. Hic

error

error poſt mortem Nepotis in hæreſim & ſchiſma erumpere cœpit, cujus propagationem impedivit S. Dionyſius Alexandrinus, qui duos libros *De Promiſſis* ad eum refellendum conſcripſit; & multis diſputationibus propugnatores iſtius dogmatis confutavit, quorum Dux Coracion ejuravit errorem.

Cæterum Nepos Schiſma non fecit, nec fuit in errore pertinax, ut colligitur ex Sancto Dionyſio Alexandrino qui ipſum cum ob multas alias dotes, tum etiam ob fidem commendat his verbis: *Quamquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector, & diligo, ut pro fide, pro ſtudio in doctrina poſito, pro aſſidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque ac variis Pſalmis, Hymniſque ab eo compoſitis; verum etiam propterea quod ex hac vita migravit, hominem multo magis revereor: veritas tamen multo amiciſſima eſt, & omnibus rebus merito anteponi debet.* Legatur Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 24. & Theodoretus l. 3. Hæreticarum fabularum, c. 6.

ARTICULUS XII.

De Origene, & Origeniſtis.

§. I.

De Origenis perſona, & fortuna.

ORigeniſtæ ab Origene Adamantio nomen ſumpſerunt. Is Patria Alexandrinus Leonidis Martyris filius, ſacras Literas una cum humanioris literaturæ ſtudiis combibit. Pater ſententias aliquot Scripturæ ſacræ, quas ei memoriter recitandas præſcribebat, ab eo in dies ſingulos exigebat. Non ſatis videbatur admirabili puero ſimplices & apertos ſacrarum Literarum ſenſus eruere: ſed reconditiores in ea etiam ætate, & magis abſtruſos ſcrutabatur. Pueri dormientis pectus cum reverentia ſæpius exoſculabatur pius parens, velut ſacrum Spiritui Sancto templum. (Ex Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ Eccl. c. 2.) *Origenis parentes.*

Poſt ſanctiſſimi parentis Martyrium, completo anno 17. ætatis, una cum matre, & ſex fratribus minoribus natu, opibus paternis in fiſcum relatis, in magna rerum egeſtate relictus eſt. Hunc mulier nobilitate conſpicua, & opibus potens ſumma humanitate excepit, fovitque. Ejus in domo cum Paulo cuidam homini hæretico convivere cogeretur, adduci numquam potuit, ut precibus una cum illo intereſſet, ab ineunte ætate Canonum obſervantiſſimus, & infenſiſſimus hoſtis erroris.

Annum ætatis 18. agens, Scholæ Chriſtianæ inſtitutioni Alexandriæ præfectus eſt. Ad eum multi ex Gentibus Dei verbum audituri commeabant, inter quos Plutarchus inſignis Martyr, & Heraclias germanus Plutarchi frater, poſt Demetrium Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus. *Origenis functiones.*

Aquila Præfecturam Alexandriæ gerente, graſſata eſt perſecutio: in qua Martyribus præſto fuit Origenes, eoſque multis Chriſtianæ pietatis officiis promeritus fuit. Eam ob rem Ethnicorum inſidiis appetitus eſt: adeoque contra eum perſecutionis æſtus efferbuit, ut tota civitas Alexandriæ non amplius illum tenere, tuerique potuerit; ſed ubique vexatus, domicilium ſubinde mutare cogeretur.

Grammaticæ ſubinde profeſſioni nuntium remiſit, ut quæ Sacrarum Literarum tractationi eſſet inutilis: Veterumque Oratorum libros divendidit, pacta conditione ut ab emptore quatuor obolos ad victum in dies ſingulos acciperet, ne externis indigeret ſubſidiis. Severa fuit imprimis Origenis adhuc adoleſcentis vita, omnium expugnatrix voluptatum, omnium laborum patientiſſima. Hæc omnia conſtat ex Euſebio l. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 3.

Multi ex Origenis Schola Doctores & Martyres prodierunt, de quibus Euſebius c. 4. ejuſdem libri. *Origenis audax facinus.*

Dum Alexandrinam Scholam regeret, & non ſolum viri, ſed & mulieres forma ple-

ex codice Coisilinianæ bibliothecæ
...simm. par. 2. pag. 335. vocis etymon hoc pro
...significat disertum, & in dialectica strenuum. Et
...ſcripto diſputatio gemina Archelai cum Manete diſtinguend
...modo meminit P. Alexander, nec plures alii memorant.)
...rum vero in oppido remoto illinc parum ubi Diodorus Presb
...ctis Paganis judicibus diſceptatum eſt Archelaum inter & Man
...Scythianum ſectæ Manichæorum primum ipſo Apoſtolorum ævo
...Reprehendit inſuper P. Alexander S. Epiphanium tamquam
...tamen vir doctus hæc non ſine aſſertore Epiphanium ſcripſiſſe; A
...diſputatione affirmat Scythianum ex Scythia (non ergo ex Arabi
...notat) Apoſtolorum tempore fuiſſe ſectæ hujus (Manichæorum) a
...Libelli Synodici auctor vetuſtus Synodum quamdam ab Archelao
...coactam invehit, & in ea ſententiam damnationis adverſus impios pr
...Synodi hujus veritas ex veterum omnium ſilentio ſuſpicioſa P. Alexa
...Hanc tamen ipſam Synodum ſuboſcuris tamen verbis aſſeri ab ipſo reru
...rum ſcriptore primo Archelao ſuſpicor. En verba ejus in capite LIV. le
gregatis igitur (Archelaus) *omnibus Chriſtianis ferri adverſus eum ſententiam p*

ARTICULUS X.

De Hieracithis.

HIeracitharum hæreſis, Manichææ propago, ab Hierace, quem & Hiera
nonnulli dicunt, viro liberalium artium ſtudiis, & linguarum peritia clariſſ
ortum in Ægypto habuit. Hæc autem invexit ille, atque propugnavit dogmata.
1. De Filii Dei generatione, & divinitate peſſime locutus eſt. Quamdam enim
ro divinæ ſubſtantiæ diviſionem excogitavit, ſimilem ei quæ fit cum lampas duob
oleum inter ſe communicantibus lychnis inſtructa, duplex lumen profundit. (Ex San
ſto Hilario lib. 6. de Trinitate.) Filium tamen a Patre revera genitum ipſum ſen
ſiſſe auctor eſt Sanctus Epiphanius.
2. Spiritalem tantum reſurrectionem agnovit, animæ ſoli, carni neutiquam conve
nientem. (Ex S. Epiphanio Hæreſi 67.)
3. Nuptias in veteri quidem Teſtamento licitas fuiſſe, ſed poſt Chriſti adventum
ſolos cælibes. (Ex Sancto Epiphanio ibidem.)
4. Pueros ante rationis uſum vita functos, negabat ad gloriam cœleſtem perve
nire, quod nullum pro pietate certamen ſubiiſſent, nec ſit coronandus, niſi qui le
gitime certaverit, (Ex S. Epiphanio.) conſequi poſſe conjugatos, ſed
5. Paradiſum ſenſibilem, corporeumque fuiſſe locum inficiabatur. (Ex eodem.)
6. Melchiſedecum Spiritum Sanctum eſſe contendebat. (Ex eodem.)
7. Ad ſeverioris diſciplinæ normam vitam ſuam exigebat ab animatis & vino ſibi
temperans. Unde & ejus diſcipuli *Abſtinentes* vocati ſunt, teſte Philaſtrio, c. 83. &
neminem ſuum in cœtum admittebat, niſi Monachos, Virgines continentes, aut Vi-
duas (ut S. Epiphanius refert loco mox laudato.)

ARTICULUS XI.

De Nepote.

NEpos Ægyptiacus Epiſcopus fabulam de millenario in terris Chriſti regno deli-
ciis corporeis & voluptate felici, quod Sanctis poſt reſurrectionem promiſſum
eſſet, inſtauravit, circa annum Chriſti 264. quo de argumento librum edidit inſcri-
ptum Ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, ideſt, *Reprehenſionem eorum qui allegorias componunt.* Hic
error

error post mortem Nepotis in hæresim & schisma erumpere cœpit, cujus propagationem impedivit S. Dionysius Alexandrinus, qui duos libros *De Promissis* ad eum refellendum conscripsit; & multis disputationibus propugnatores istius dogmatis confutavit, quorum Dux Coracion ejuravit errorem.

Cæterum Nepos Schisma non fecit, nec fuit in errore pertinax, ut colligitur ex Sancto Dionysio Alexandrino qui ipsum cum ob multas alias dotes, tum etiam ob fidem commendat his verbis: *Quamquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector, & diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque ac variis Psalmis, Hymnisque ab eo compositis; verum etiam propterea quod ex hac vita migravit, hominem multo magis revereor: veritas tamen multo amicissima est, & omnibus rebus merito anteponi debet.* Legatur Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 24. & Theodoretus l. 3. Hæreticarum fabularum, c. 6.

ARTICULUS XII.

De Origene, & Origenistis.

§. I.

De Origenis persona, & fortuna.

ORigenistæ ab Origene Adamantio nomen sumpserunt. Is Patria Alexandrinus Leonidis Martyris filius, sacras Literas una cum humanioris literaturæ studiis combibit. Pater sententias aliquot Scripturæ sacræ, quas ei memoriter recitandas præscribebat, ab eo in dies singulos exigebat. Non satis videbatur admirabili puero simplices & apertos sacrarum Literarum sensus eruere: sed reconditiores in ea etiam ætate, & magis abstrusos scrutabatur. Pueri dormientis pectus cum reverentia sæpius exosculabatur pius parens, velut sacrum Spiritui Sancto templum. (Ex Eusebio lib. 6. Historiæ Eccl. c. 2.)

Origenis parentes.

Post sanctissimi parentis Martyrium, completo anno 17. ætatis, una cum matre, & sex fratribus minoribus natu, opibus paternis in fiscum relatis, in magna rerum egestate relictus est. Hunc mulier nobilitate conspicua, & opibus potens summa humanitate excepit, fovitque. Ejus in domo cum Paulo cuidam homini hæretico conviverе cogeretur, adduci numquam potuit, ut precibus una cum illo interesset, ab ineunte ætate Canonum observantissimus, & infensissimus hostis erroris.

Annum ætatis 18. agens, Scholæ Christianæ institutioni Alexandriæ præfectus est. Ad eum multi ex Gentibus Dei verbum audituri commeabant, inter quos Plutarchus insignis Martyr, & Heraclias germanus Plutarchi frater, post Demetrium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus.

Origenis functiones.

Aquila Præfecturam Alexandriæ gerente, grassata est persecutio: in qua Martyribus præsto fuit Origenes, eosque multis Christianæ pietatis officiis promeritus fuit. Eam ob rem Ethnicorum insidiis appetitus est: adeoque contra eum persecutionis æstus sed ubique vexatus, domicilium subinde mutare cogeretur.

Grammaticæ subinde professioni nuntium remisit, ut quæ Sacrarum Literarum tradationi esset inutilis: Veterumque Oratorum libros divendidit, pacta conditione ut ret subsidiis. Severa fuit imprimis Origenis adhuc adolescentis vita, omnium expugnatrix voluptatum, omnium laborum patientissima. Hæc omnia constat ex Eusebio ab emptore quatuor obolos ad victum in dies singulos acciperet, ne externis indigeret. §. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 3.

Multi ex Origenis Schola Doctores & Martyres prodierunt, de quibus Eusebius c. ejusdem libri.

Cum Alexandrinam Scholam regeret, & non solum viri, sed & mulieres

plerumque elegantes, & juventute floridæ ad eum confluerent, sermones de rebus divinis audituræ, ille castitati suæ timens, seipsum eunuchum fecit. Hoc ipsius facinus admiratus primum Demetrius Alexandrinus Episcopus, deinde improbavit, maximamque propterea apud totius orbis Episcopos ipsi conflavit invidiam: & Ordinationem ipsius atque promotionem ad Sacerdotium, factam a Theoctisto Cæsareæ Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum, palam impugnavit. Quod an jure fecerit, an injuria, singulari Dissertatione expendemus. De hoc interim Origenis facto legatur Eusebius cap. 8. lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ.

Origenis Ordinatio.

Zephirino Pontifice Maximo adhuc superstite, Romam profectus est Origenes, Ecclesiæ antiquissimæ visendæ studio. Inde reversus Alexandriam, solitum docendi munus, hortante Demetrio, repetiit. Et cum regendæ Scholæ solus non sufficeret, Heracliam discipulorum suorum primarium in partem laboris vocavit, commissa ei Catechumenorum, & recens baptizatorum institutione. (Ex Eusebio l. 6. Historiæ Eccles. c. 15.)

Scripturæ Sacræ Versiones ab Origene inventæ.

Sacrarum Literarum intelligendarum studium incredibile Origenem impulit ut linguam Hebraicam disceret; utque præter Hebraicos Codices, & Versiones Vulgatas *Septuaginta Interpretum*, *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*, alias maxima solicitudine quæreret. Favit ejus votis & propenso in Ecclesiæ obsequium ingenio Deus præpotens. Invenit namque tres antiquissimas Scripturæ sacræ interpretationes, unam Necopoli ad Actium litus, aliam alibi æque fausto eventu, tertiam in dolio repertam in urbe Hiericho temporibus Antonini Caracallæ, qui Severi filius fuit. Ex his Hexapla adornavit, cum antea Tetrapla conscripsisset. *Tetrapla* vocavit editionem Scripturæ sacræ, quatuor columnis per singulas paginas distinctam. Prima exhibebat Versionem 70. Interpretum; altera translationem Aquilæ; tertia Symmachi; quarta Theodotionis. *Hexapla* inscripsit editionem ejusdem Scripturæ sex columnis per singulas paginas distinctam, quarum quatuor exhibebant priores quatuor Versiones, & aliæ duæ posteriores, *Quintam & Sextam* Anonymi Interpretis, vel Anonymorum Interpretum. *Octapla* octo columnas exhibebat, nimirum sex illas Versiones, & aliam præterea in dolio repertam, necnon Textum Hebraicum his omnibus præjacentem. Hæc colliguntur ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 16. ex S. Epiphanio libro de Mensuris & Ponderibus, & ex S. Hieronymo in caput tertium Epistolæ ad Titum.

Origenis Tetrapla & Hexapla.

Interim Philosophiæ animum adjunxit Origenes, Pythagoricæ præsertim, & Platonicæ, has disciplinas magno sibi ratus adjumento fore ad Hæreticorum confutationem, & ad Sacrarum Literarum interpretationem. Cum Ammonio Christiano Philosopho, quem defertæ Christianæ Religionis falso Porphyrius accusavit, societatem iniit studiorum, cum Alexandriæ dictus Ammonius Philosophiam profiteretur. (Ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19.) Tantam nominis celebritatem consecutus est Origenes, ut ab Episcopis rogatus, Scripturas sacras in solemni Ecclesiæ cœtu aliquando exponeret, nondum licet Sacerdos inauguratus. Quod Cæsareæ in Palæstina ipsum fecisse a Theoctisto rogatum, testatur Eusebius loco mox laudato.

Hæretici ab Origene impugnati.

Reportatas ab Origene de Hæreticis palmas testantur debellati Arabes, profligatus Berillus, Ambrosius vir nobilitate & opibus potens, ex Valentinianorum (ut Eusebius refert cap. 18. l. 6.) vel ex Marcionitarum secta (ut Sancto Hieronymo placet in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum) ad fidem conversus. Hic Ambrosius Origenem impense fovit, Mœcenatis in sacris studiis ac laboribus beneficentiam ipsi exhibens. Septem enim scribas qui ei dictanti præsto adessent, non pauciores librarios, & Virgines ad concinne scribendum probe exercitatas ipsi addixit, quibus necessaria ubertim subministrabat. (Ex Eusebio l. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 23.) Christianam Religionem egregie ac luculenter defendit libris octo *contra Celsum*, Ambrosio nuncupatis. A Mamæa matre Alexandri Imperatoris, religiosa femina rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est. Ad Philippum Imperatorem, qui primus e Regibus Romanis Christianus fuit, & ad Matrem ejus literas dedit, quarum meminit S. Hieronymus.

In Deciana persecutione multa pro fide perpessus est Origenes, teste Eusebio libro

sexto

ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. trigeſimo nono: ipſum confeſſionis gloriam maculaſſe thus idolis adolendo, atque ad hoc nefas adactum fuiſſe metu ſtupri ab Æthiope inferendi, quem perſecutores ad violationem caſti corporis conduxerant, auctor eſt S. Epiphanius Hæreſ. 64. ubi tamen tempus diſtincte non notat quo lapſus ille Origenis contigerit. Hoc facinus ad tempora Decianæ perſecutionis non eſſe referendum, ſed ad Alexandri Severi tempeſtatem, Viri eruditi aſſerunt, inter alios illuſtris Huetius l. 1. Origenianorum, c. 4. quod tempore Decianæ Perſecutionis Origenes Alexandriæ non verſaretur. Porro an lapſus ille Origenis verus ſit, an commentitius, propria Diſſertatione expendam. Obiit anno Chriſti 256. Galli & Voluſiani Imperatorum tertio, ſeptuageſimo ætatis anno, ut teſtatur Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ, c. 1. Tyri mortuus, ac ſepultus eſt.

§. II.

De Origenis erroribus.

ORigeni ab Antiquis hi tribuuntur errores. 1. Quod Filium non eſſe natum, ſed factum, eſſe Patre minorem, & inferiorem: comparatum Patri non eſſe veritatem: & Spiritum Sanctum eſſe tertium dignitate & honore poſt Patrem & Filium, Filioque inferiorem dixerit. Hunc ipſi errorem tribuunt Sanctus Hieronymus Epiſtola 59. quæ eſt ad Avitum, & Epiſtola 65. ad Pammachium, & Oceanum data, & l. 5. Apologiæ adverſus Ruffinum, Sanctus Epiphanius Hæreſi 64. & Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, Sanctus Auguſtinus libro de Hæreſibus, Juſtinianus Imperator in Tractatu adverſus Origenis errores miſſo ad Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui a Quinta Synodo, necnon a Vigilio Pontifice Maximo poſtea probatus eſt. Hunc errorem proprium eſſe Origenis, ex variis ipſius Operum locis conſtat, quæ Sanctus Hieronymus, & Juſtinianus proferunt.

2. Senſit Origenes hominum animas ante corpora creatas fuiſſe, & cœleſtes fuiſſe virtutes, quæ ob peccatum animæ evaſerunt; & in corpora veluti in carceres quoſdam ſupplicii cauſa immiſſas eſſe. Ad quem errorem probandum, hoc Regii Vatis loco abutebatur, Pſalmo 118. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*: verba illa animæ tribuens, quæ antea deliquiſſet, quam corpori illigaretur. (Ex Sancto Epiphanio Hæreſi 64. ex Sancto Hieronymo locis citatis, & ex Juſtiniano in Tractatu adverſus Origenis errores.) Sanctus Hieronymus lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, poſtquam varias circa animæ creationem ſententias, & ipſius Ruffini dubiam nutantemque opinionem attulit, hæc habet: *O infelices animas, quæ tantis vitiorum lanceis vulnerantur! Non eas puto, juxta Origenis errorem, tantum laboraſſe, cum de cœlo in terras ruerent, & craſſis corporibus veſtirentur, ut nunc verbis & ſententiis hinc inde colliſas.*

3. Senſit animam Chriſti præextitiſſe Deo Verbo unitam ante Incarnationem, & generationem ex Virgine; ut teſtantur S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ adverſus Ruffinum, & Juſtinianus Imperator in Tractatu ſupra laudato; & ex ipſo Origene lib. 1. de Principiis, cap. 6. & libro 1. contra Celſum, & Tomo 1. in Joannem pag. 35. Huetianæ Editionis, & Tom. 20. pag. 307. conſtat.

4. Senſit Chriſti Paſſionem Dæmonibus ipſis profuturam: immo Chriſtum in futuro ſæculo pro Dæmonibus crucifigendum. (Ex Theophilo Alexandrino Epiſtola Paſchali 2. ex S. Hieronymo libro 1. Apologiæ adverſus Ruffinum, & Epiſtola 59. ad Avitum data, ex Poſthumiano, apud Sulpitium Severum Dialogi 1. cap. 3. & ex Juſtiniano in Tractatu ad Mennam adverſus Origenis errores.) Idem conſtat ex ipſo Origene lib. 4. Periarchon.

5. Futuram aliquando diaboli ſalutem, & dæmonum hominumque impiorum ſuppliciis finem imponendum eſſe propugnavit. Id teſtantur S. Epiphanius in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, Theophilus Epiſtola Paſchali 2. S. Hieronymus Epiſtola 59. ad Avitum, & Epiſtola 61. ad Pammachium, & Epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum, S. Auguſtinus libro de Hæreſibus, cap. 43. Juſtinianus loco ſupra laudato,

dato, & in Epiſtola ad Quintam Synodum. Et conſtat ex ipſo Origene libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. & libro 3. cap. item 6.

6. Non pœnarum dumtaxat, ſed felicitatis tieam tempus certis circumſcriptum terminis eſſe voluit, animaſque ad perfectionis culmen evectas, ac peccati corporeæque molis ſordibus expurgatas, rurſus a virtute in vitium deflectere poſſe, quod cum fecerint, in craſſioris corporis carcerem detrudendas. Hunc errorem adſtruit Origenes paſſim, in libris περὶ ἀρχῶν locis notatis a S. Hieronymo, Epiſt. 59. ad Avitum.

7. De reſurrectione mortuorum peſſime ſenſit Origenes, ut conſtat ex Sancto Epiphanio Hæreſi 64. ex Theophilo Alexandrino, Sancto Hieronymo, & Juſtiniano, locis prælaudatis, necnon ex S. Auguſtino libro de Hæreſibus, qui ipſum criminantur quod reſurrectionem e medio ſuſtulerit. Sed revera voce tenus reſurrectionem corporis adſtruxit, carnis vero inficiatus reſurrectionem eſt, ut conſtat ex S. Hieronymo in Epiſtola ad Pammachium, ex Pamphilo in Apologia, & Methodio in libro de Reſurrectione, cujus extat Epitome apud Sanctum Epiphanium Hæreſi 64. & apud Photium, Cod. 234. & ex ipſo Origene lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 3. & in Commentariis ad Pſalmum 1. Addidit, illud qualecumque corpus, quod in mundi conſummationem recepturæ erant animæ, orbiculatum fore, figuram omnium perfectiſſimam, & rerum cœleſtium propriam novo corpori congruam exiſtimans. Id conſtat ex Juſtiniano in Tractatu ad Mennam.

8. Ignem inferni, allegorice dumtaxat intellexit, nihilque aliud eſſe voluit quam conſcientiæ peccatricis ſtimulos. Id conſtat ex ipſo Origene libro 2. de Principiis, cap. 2. & ex Oroſio in Commonitorio ad S. Auguſtinum; quo inter alia queritur, Origeniſtas quoſdam jactare ſolitos, *Ignem æternum quo peccatores puniantur, non eſſe ignem verum, dicentes dictum eſſe ignem propriæ conſcientiæ punitionem; ac ſic omnes peccatorum animas poſt purgationem conſcientiæ in unitatem Corporis Chriſti eſſe redituras*. Quo ſpectant etiam illa verba S. Hieronymi libro 3. in Epiſtola ad Epheſios: *Quia igitur ſunt plerique, qui dicunt non futura pro peccatis eſſe ſupplicia, nec extrinſecus adhibenda tormenta, ſed ipſum peccatum, & conſcientiam delicti eſſe pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in ſimilitudinem fabris, quæ non torquet extrinſecus ægrotantem, ſed corpora ipſa corripiens punit, ſine cruciatuum extrinſecus adhibitione, &c.*

9. Aſtra animata eſſe, Deum cognoſcere, ac precari, peccare poſſe, judicatum iri, ac ſalutem ſperare & poſſe conſequi, affirmavit Origenes libro 1. de Principiis, cap. 7. & lib. 5. contra Celſum. Cujus erroris ipſum etiam inſimulant Theophilus Alexandrinus Epiſtola 1. & 2. Paſchali, & S. Hieronymus Epiſtola 59. ad Avitum, & Epiſtola 61. ad Pammachium, Oroſius in Commonitorio ad Sanctum Auguſtinum, & Auguſtinus ipſe in libro contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, & Juſtinianus in Tractatu ad Mennam.

10. Circumſcriptam Dei potentiam ſenſit Origenes libro 2. De Principiis, cap. 2. quod ei crimen etiam objiciunt Theophilus Alexandrinus Epiſtola 1. Paſchali, Juſtinianus loco laudato, & Ruffinus in Libello de Fide, quem Sirmondus edidit.

11. Mundum hunc aſpectabilem & corporeum ex occaſione dumtaxat, & ſecundaria velut intentione Dei creatum eſſe aſſeruit, ad puniendas, & quibuſdam quaſi ergaſtulis concludendas naturas rationis compotes, quæ ante orbis creationem deliquerant, lib. de Principiis, cap. 1. 8. 9. & lib. 3. cap. 5. Idem conſtat ex Theophilo Alexandrino, Epiſt. Paſchali 1. ex S. Hieronymo Epiſtola 59. ad Avitum, & S. Auguſtino lib. 11. de Civitate Dei, cap. 23. & libro contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, cap. 8.

12. Perpetuam mundorum propagationem, ac ſucceſſionem admiſit Origenes. Quod conſtat ex iiſdem Auctoribus, & ex Methodio apud Photium Cod. 235.

13. Totam de Paradiſi conſitione Moſaicam narrationem ad allegoriam detorſit. Arbitratus enim eſt Paradiſum terreſtrem poſitum in cœlo fuiſſe: arbores Angelicas eſſe fortitudines, ſcorteas tunicas quibus Adamum & Evam Deus induit, eſſe terrenum corpus & mortale animabus impoſitum. Hic error ſe prodit apud Origenem lib. 4. de Principiis, cap. 2. Homilia 1. in Geneſim, & libro 4. contra Celſum: eumdem ipſi

obji-

objiciunt Methodius apud Epiphanium Hæresi 64. & Epiphanius ipse in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum.

14. De gratiæ divinæ auxiliis pessime sensit Origenes, adeo ut S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, cap. 2. Pelagii doctrinam *Origenis ramusculum* esse non immerito pronuntiaverit, & lib. 3. adversus Pelagium, cap. ultimo, jure appellaverit Origenem *Pelagianorum Anasium*. Existimavit namque Origenes animas juxta mensuram meritorum, quæ comparaverant antequam corporibus illaberentur, variis gratiæ donis cumulari. Immo & meritis in hac vita partis divinæ gratiæ præsidia largiri Deum contendit, ita ut libero humanæ voluntatis arbitrio accepta referenda sint, per quod homines talibus donis digni effecti sunt. Hoc in errore fuisse Origenem, ac proinde Pelagianis ac Semipelagianis præfulsisse, demonstrarunt Jansenius Iprensis, lib. 6. de Hæresi Pelagiana, cap. 15. & doctissimus Huetius lib. 2. Origenianorum, quæst. 3. Sed de hoc & aliis Origenis erroribus Dissertatione propria uberius agemus, inquiremusque an ab iis absolvi possit. Alios Origenis errores recenset, & excutit idem Huetius eruditione incredibili, lib. 1. Origenianorum. Sed vel benigna interpretatione molliri possunt loca quæ his infarta erroribus apud Origenem videntur: vel cum aliis Patribus ipsi communes sunt errores hujusmodi ac nævi: vel falso ipsi affinguntur, ut quod Metempsicosim admiserit, quam tamen diserte impugnat lib. 4. & 8. contra Celsum, libro 5. in Epistolam ad Romanos, & aliis in locis diligenter notatis a doctissimo Huetio, libro 2. Origenianorum, quæst. 6. num. 19. Sic etiam falso ipsi affingitur, quod senserit ementitum corpus, & specie tenus apparens Christum gestasse, non verum & nostris corporibus simile. Sed enim hunc errorem sexcentis in locis impugnat, Homilia 14. & 17. in Lucam, Tractatu 35. in Matth. Homilia 1. in Ezechielem, libro 5. in Epistolam ad Romanos lib. 2. contra Celsum, lib. 2. de Principiis, cap. 6. & in Proœmio istorum librorum, ubi ait: *Incarnatus est*, Filius Dei, *cum Deus esset, & homo mansit, quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu Sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus natus, & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte vere mortuus est; vere enim a mortuis resurrexit*. Falsum est quod ipsi tribuit Gennadius lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 2. qnod nimirum asseruerit cum Marcione, Christum carnem e cœlo detulisse. In quo dupliciter peccavit Gennadius. Nec enim is fuit Marcionis error, nec Origenis, qui Homilia 14. in Lucam illum conceptis verbis expugnat. Fateor quidem frequentem formarum mutationem ipsum Corpori Christi assignasse, adeo ut sub qua vellet, sese singulis exhiberet conspicuum, sed ascititiam Corporis Christi substantiam nullatenus existimavit. Neque vero fanaticum illud dogma ab Origene conflictum est, & constanter assertum, sed ipsi traditum ab aliis, & ab eo propositum ut non omnino incredibile. Id patet ex ipsius verbis Tractatu 35. in Matthæum. *Venit ergo*, inquit, *Traditio talis ad nos de eo, quoniam non solum duæ formæ in eo fuerunt; una quidem secundum quam omnes eum videbant: altera autem secundum quam transfiguratus est coram discipulis suis in monte, quando & resplenduit facies ejus tamquam Sol; sed etiam unicuique apparebat, secundum quod fuerat dignus. Et cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur ..... Et non mihi videtur incredibilis esse Traditio hæc, sive corporaliter propter ipsum Jesum, ut alio & alio modo videretur ab hominibus; sive propter ipsam Verbi naturam, quod non similiter cunctis apparet*, &c.

15. Origenistæ quidam, Impuris dicti, nuptias repudiabant, Monasticam vitam specie tenus profitebantur, & in omnem libidinem erant effusi. De his agit S. Epiphanius Hæresi 63. An ab Origene Adamantio, an ab aliquo alio propagati sint, ignorare se profitetur. At duos Origenes S. Athanasius, Sophronius Hierosolymorum Antistes in Epistola ad Sergium, Auctor prædestinati a Patre Sirmondo editus, & S. Joannes Damascenus lib. de Hæresibus, distinxerunt, Adamantium scilicet, & alium quemdam impurorum Origenistarum Principem.

§. III.

De Origenis Sectatoribus, Defensoribus, & Impugnatoribus.

ORigenem etiamnum viventem Demetrius Alexandrinus Episcopus damnavit anathemate, ut constat ex S. Hieronymo libro 2. Apologiæ adversus Rufinum capite 5. & ex Epistola ipsius Origenis ad Amicos, cujus ibidem meminit. Post obitum, ejus doctrinam primus impugnavit Methodius Tyri Episcopus, qui sub Diocletiani Imperio floruit. Inter ejus enim Opera libros de Resurrectione contra Origenem sanctus Hieronymus recenset in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cujus Operis Fragmentum insigne Panario suo inseruit sanctus Epiphanius Hæresi 64. cujus etiam Excerpta repræsentavit Photius Cod. 234. Hujus errores impugnavit & sanctus Petrus Alexandrinus Methodio suppar, ut constat ex ipsius testimoniis quæ adversus Origenem profert Justinianus in Tractatu ad Mennam.

Eusebius Origenis Patronus.

Erumpente Ariana factione, Ariani perversam de Filio Dei Opinationem suam collectis ex Origenis Operibus testimoniis protegere conati sunt. Contra vero Orthodoxi ad ipsius auctoritatem elevandam, qua tam impense religionis hostes gloriabantur, animum appulerunt. Eusebius Cæsareensis, Arianæ factionis signifer obtrusam postea a Ruffino, Pamphili Presbyteri & Martyris nomine, Apologiam pro Origene, sex libris distinctam conscripsit. Erat quidem Pamphilus studiosissimus Origenis, ita ut omnes ejus libros undequaque conquisitos Cæsareensi Ecclesiæ dedicaret, ut testatur S. Hieronymus in Epistola ad Marcellam, & maximam eorum partem manu propria descripsit, qui in Cæsareensi Bibliotheca Sancti Hieronymi ætate adhuc asservabantur, ut ipse testatur in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 86. Sed Apologiam non scripsit pro Origene. Licet namque scripsisse asserat ibi S. Hieronymus, nondum excusso Ruffini fuco, neque compertis dolis: tamen libro 1. & 2. Apologiæ adversus Ruffinum, re diligentius expensa, fatetur, se deceptum fuisse, & Apologiam Origenis, a Ruffino Scriptore nequam fuisse adornatam nomine Pamphili Martyris, quo majoris ponderis esset: quamvis non Pamphili sit, sed Eusebii Cæsareensis. Atque hac in parte major adhibenda fides est S. Hieronymo, quam Photio, qui ad illam Apologiam conscribendam, Eusebium & Pamphilum conjunctas operas contulisse scribit, causam que istius scriptionis hanc fuisse narrat, ut ad Confessores ad metalla propter Christum damnatos solatii ergo mitteretur. (Cod. 118.)

** Id est, de sermone ex ventre prolato Dæmonis assistentias opera.*

Dum Origeni patrocinaretur Eusebius, Eustathius Antiochenus Episcopus, veritatis contra Arianos acerrimus defensor, Origenem ipsum adorsus est, & ejus sententiam de Engastrimytho * lucubratione singulari refellendam suscepit, teste S. Hieronymo, in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 96.

Scilicet Librum illum scripsit Eustathius ad confutandam Origenis dogma, quo Samuelis animam a Pythonissa per incantamenta evocatam asseruit.

Anno circiter 393. S. Pacomias Tabbenensis in Ægypto Abbas, morti proximus, Monachis suis lectione librorum Origenis interdixit. Maxima fuit Sanctorum Basilii & Gregorii Nazianzeni de Origene existimatio, cujus ex Operibus selectiora loca in unum volumen congesserunt, *Philocaliæ* titulo inscriptum.

Origenismus apud Nitriæ Monachos in Ægypto propagatus

Propagatus est Origenismus apud Ægyptios Monachos qui Nitriam Montem incolebant Sancti Epiphanii temporibus, ut ipse testatur Hæresi 64. qua tempestate Melania senior nobilis femina Hierosolymam pietatis causa concedens, atque inter Nitriæ Monachos aliquandiu morata, cum Ruffino Aquilejensi Presbytero itineris comite, Origenis erroribus a Didymo viro doctissimo, sed professo Origenista imbuta est. Hierosolymis ubi sedem fixit, opes in pauperum ac peregrinorum effundens subsidia, ibi excepit Evagrium Ponticum, qui Ruffini ac postea Didymi consuetudine Origenista factus, inter Nitriæ Monachos nomen dedit, atque Origenis Dogmata libris editis tuitus est, ex Sancto Hieronymo in Epist. ad Ctesiphontem adversus Pelagium, cap. 2. Eodem aliquot post annos pervenit Palladius Galata, & triennio in Monasteriis transacto, cum infirma esset valetudine, secessit in Palæstinam, ibique Origenis errores, quos in Ægypto hauserat, propagavit; Paulam Romanam nobilitate & sanctitate

ctitate conſpicuam feminam his inficere fruſtra conatus, prohibente ſcilicet S. Hieronymo (ut ipſe teſtatur Epiſt. 27. quæ complectitur Epitaphium Paulæ matris, cap. 11. & 12.)

Joannes Hieroſolymitanus Origeniſmi fautor.

Eadem tempeſtate Joannes Hieroſolymitanus Epiſcopus Origeniſmi fautor extitit : cum quo eam ob rem Sancti Epiphanius & Hieronymus pedem contulerunt. Legenda ea de re Epiſtola Sancti Epiphanii ad illum Præſulem, quæ inter Hieronymianas eſt ſexageſima, & Epiſtola 61. Sancti Hieronymi ad Pammachium data. Ex ea conſtat, Archelaum Comitem virum diſertiſſimum & Chriſtianiſſimum, conciliare pacem voluiſſe inter Sanctum Epiphanium & Joannem Hieroſolymitanum. Placuit ut quoniam violatæ fidei reus Joannes agebatur, fidei profeſſione iniretur concordia. Condicto fœderis loco, quo ſe ſtata die venturum pollicitus erat Hieroſolymitanus Antiſtes, adeſſe fugit, uſus excuſatione ridicula, quod devotæ cujuſdam mulierculæ ægritudine retardaretur. Interim Theophilus Alexandrinus Eccleſiaſticæ pacis curam gerens, Iſidorum Alexandrinum Presbyterum, & Monachum ad Joannem, alioſque miſit, ortas contentiones ut ſedaret ; ſed cum Iſidorus ille propenſum in Origenis doctrinam ingenium præ ſe ferret, faveretque nimium Hieroſolymitano Antiſtiti, re infecta, diſceſſit. Ex ea inſuper Epiſtola conſtat, communionem inter Joannem Hieroſolymitanum & Sanctos Epiphanium atque Hieronymum, ipſiſque adhærentes in Palæſtina Monachos, abruptam fuiſſe. Id enim ſignificant iſta S. Hieronymi verba : *Quæ eſt tanta arrogantia non reſpondere de fide interrogantibus ? Tantam Fratrum multitudinem, & Monachorum Choros, qui tibi in Palæſtina non communicant, quaſi hoſtes publicos æſtimare ?*

Et infra ſic de ſeipſo Hieronymus loquitur : *Ego miſellus, dum in ſolitudine deliteſco, a tanto Pontifice repente truncatus, Presbyteri nomen amiſi.* Sic ſugillat Joannem Hieroſolymitanum, quem & his verbis infra perſtringit : *Nos ne ſumus qui Eccleſiam ſcindimus ? An ille qui vivis habitaculum, mortuis ſepulchrum negat, qui Fratrum exilia poſtulat ? Quis potentiſſimam illam feram, totius orbis cervicibus imminentem, contra noſtras cervices ſpiritualiter incitavit ? Quis oſſa Sanctorum, & innoxios cineres hucuſque verberari ab imbribus ſinit ? His nos blandimentis bonus Paſtor invitat ad pacem, & proprium arguit facere Principatum ; qui omnibus rectam dumtaxat fidem tenentibus, & Communione, & charitate ſociamur. An tu ſolus Eccleſia es : & qui te offenderit, a Chriſto excluditur ?*

Ruffinus Origeniſta.

Anno Chriſti 397. Romam reverſus cum Melania Ruffinus libros περὶ ἀρχῶν Origenis a ſe latinitate donatos, una cum priore libro Apologiæ Euſebii pro ipſo Origene, quem Pamphili Martyris nomine inſcripſit, edidit in publicum : conteſtatus ſe reliquis dogmatibus intactis, adſcriptos Origeni errores de Trinitate Sanctiſſima, utpote ab Hæreticis intruſos (ut pertendebat) expunxiſſe, vel emendaſſe.

Interim S. Hieronymus librorum περὶ ἀρχῶν interpretationem adornavit, qua lucubratione Ruffinianæ interpretationis perſpectam fecit perfidiam, & Ruffini verſionem coarguit, data ad Pammachium & Oceanum Epiſt. 65. Hieronymi criminationes Apologia duplici depellere conatus eſt Ruffinus, cui duplicem quoque Apologiam S. Hieronymus oppoſuit.

Anaſtaſius Papa damnat Origenis errores.

Effervescente contentione, & Romanos, alioſque toto orbe Chriſtianos diverſa in ſtudia diſtrahente, Anaſtaſius Pontifex Maximus Origenis errores hæreſeos nota inuſſit (ut teſtatur Theophilus Alexandrinus in Epiſtola ad quoſdam Monachos, quam Juſtinianus profert in Tractatu ad Mennam, & S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ, cap. 6.) Id factum eſt anno Chriſti 400. Ruffinum præterea Romam vocavit ad cauſam dicendam : qui frivolis excuſaticnibus Pontificis citationem eludens, fidei profeſſionem ad ipſum miſit. Non prohibuit Apologia Ruffini ad Anaſtaſium ſcripta quin hæreſeos ab ipſo damnaretur, inſtante Marcella, cui tuendæ fidei, & profligandi Origeniſmi ſtudium Deus afflavit, ut Melaniæ pro Origene & Origeniſtis conatus elevaret. Hujus rei teſtis eſt Sanctus Hieronymus Epiſt. 16. ad Principiam data, qua Marcellæ Epitaphium contingitur. *Tunc*, inquit, *librorum* περὶ ἀρχῶν *infamis interpretatio... Tunc noſtrorum* διδακτικῶν *contradictio, & Phariſæorum turbata eſt Schola. Tunc Sancta Mar-*

Ruffino dum decit, illa mp. e d mn. a

cella, quæ diu ſe cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximeque ſæculi homines in aſſenſum ſui traheret, ac ſimplicitati illuderet Epiſcopi, qui de ſuo ingenio cæteros æſtimabat, (Siricii nimirum Papæ, qui Origeniſtas Catholici nominis larvam præferentes communicatoriis literis donavit) *publice reſtitit, malens Deo placere, quam hominibus ..... Cernentes Hæretici de parva ſcintilla maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammam jam ad culmina perveniſſe, nec poſſe latere quod multos deceperat, petunt & impetrant Eccleſiaſticas Epiſtolas; ut communicantes Eccleſiæ diſceſſiſſe viderentur. Non multum tempus in medio, ſuccedit in Pontificatum vir inſignis Anaſtaſius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: immo idcirco raptus atque translatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur .... Dicatis, quid hæc ad laudem Marcellæ? Damnationis Hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit teſtes, qui prius ab eis eruditi ab hæretico fuerant errore correpti, dum oſtendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit Volumina, quæ emendata manu Scorpii monſtrabantur; dum acciti frequentibus literis Hæretici, ut ſe defenderent, venire non ſunt auſi; tantaque vis conſcientiæ fuit, ut abſentes damnari, quam præſentes coargui maluerint. Hujus tam glorioſæ victoriæ origo Marcella eſt.*

Et l. 3. Apologiæ contra Ruffinum, cap. 6. ſic ipſum alloquitur: *Vade potius Romam, & præſens apud eum (Anaſtaſium) expoſtula, cur tibi & abſenti, & innocenti fecerit contumeliam; primum ut non reciperet expoſitionem fidei tuæ, quam omnis, ut ſcribis, Italia comprobavit, & baculo tuarum uti noluerit literarum contra canes tuos: deinde ut Epiſtolas contra te ad Orientem mitteret, & cauterium tibi hæreſeos, dum neſcis, inureret, diceretque libros Origenis περὶ ἀρχῶν a te eſſe translatos, & ſimplici Romanæ Eccleſiæ plebi traditos, ut fidei veritatem, quam ab Apoſtolo didicerant, per te perderent.*

Eadem Ruffini damnatio conſtat ex Epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Joannem Hieroſolymitanum, in qua inter alia hæc habet de Ruffino: *Ruffinum ſcito, quod propriamente Origenis dicta in Latinum tranſtulit, ac probavit: nec diſſimilis ab eo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum. Illud tamen ſcire cupio, ita haberi a noſtris partibus alienum, ut quid agat, ubi ſit, neſcire cupiamus. Ipſe denique viderit ubi poſſit abſolvi.*

Porro ex ea Epiſtola conſtat, Joannem Hieroſolymitanum, qui primum Origeniſtas foverat, eorumque ſtuduerat erroribus, S. Hieronymi Epiſtolis, ut veriſimile eſt, ad Orthodoxam doctrinam revocatum, Origeniſmum ejuraſſe. Nam Origeniſtam tot laudibus non cumulaſſet Anaſtaſius, Origenis, & Origeniſtarum damnator, quantis ipſum hac in Epiſtola exornat, neque cum eo communicaſſet. Sed nec S. Auguſtinus ipſum inter Epiſcopos, quibus Catholici Communione connectebantur, & a quibus ſeſe Donatiſtæ diviſerant, recenſuiſſet, niſi ab Origenis erroribus fuiſſet tunc dierum alieniſſimus. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Eccleſiæ* (inquit S. Auguſtinus l. 2. contra Petilianum, cap. 51.) *in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Jacobus ſedit, & in qua hodie Joannes ſedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore ſeparatis.*

In Hiſpanias circa eadem tempora penetravit Origeniſmus, ab Avito iſthuc illatus. Adverſus Origenis hæreſim, & alias patriam ſuam infeſtantes, Paulus Oroſius S. Auguſtini zelum, oblato ipſi Commonitorio, accendit. Scripſit ſtatim ad Oroſium S. Auguſtinus librum adverſus Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, quo utramque hæreſim impugnavit. Extat ille Tomo 6. Operum ipſius.

Theophilus Alexandrinus Origeniſini impugnator acerrimus.

Iiſdem fere temporibus Origeniſmum acerrime impugnavit Theophilus Alexandrinus. Hujus initia belli refert Socrates lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 7. & Sozomenus l. 8. c. 11. Orta in Ægypto Anthropomorphitarum hæreſi, quam rudiorum greges Monachorum amplexi ſunt, Theophilus hunc errorem Epiſtola quadam Paſchali impugnavit, quæ ob id peſſime ab Ægyptiis Monachis excepta eſt. Horum plurimi Alexandriam manu facta ad Theophilum ex Eccleſia expellendum, immo & interfi-

cien-

ciendum advolarunt. Ille ſtolidorum hominum furorem horum æquivocatione verborum prudenter delinivit; *Vos cum intueor, ipſius Dei vultum mihi videor intueri*. His verbis pacati, ab ipſo poſtularunt ut Origenem damnaret, cujus in Operibus Deus corporis expers aſſerebatur. *Ego vero*, inquit ille, *Origenis odi libros, & illos gravi reprehenſione dignos cenſeo*. Atque hic ſubſtitiſſet forſan controverſia de Origenis libris in Eccleſia Alexandrina, niſi nova occaſione excitata fuiſſet (ut ait Socrates.)

Fratres Longi de Origeniſmo ſuſpecti.

Scilicet Ægypti Monaſteriis præerant viri quatuor pietate & doctrina conſpicui, Dioſcorus, Ammonius, Euſebius, & Euthymius, germani fratres, ſtatura proceri, ideoque *Fratres Longi* cognominati. Hi primum in amicitiis fuerunt Theophilo qui Dioſcorum Hermopoleos conſtituit Epiſcopum, quos apud ſe detinuit ut Eccleſiæ inſervirent. Ipſorum deinde ex amico hoſtis effectus eſt ob privatas injurias, quar recenſent Socrates & Sozomenus: quæ quidem Theophilum uni avaritiæ, & vindictæ ſtuduiſſe probarent, ſi vera eſſent, quæ illi Auctores adſcribunt: ſed veniunt ea in ſuſpicionem falſitatis, quod partim incertæ famæ, partim viri cujuſdam teſtimonio, qui cum Monachis illis verſatus fuerat, acceptam referat Sozomenus hanc hiſtoriam. Addunt mox laudati Scriptores, Theophilum invidiam Fratribus Longis conflaſſe apud Monachos Anthropomorphitas, quod Deum corporis expertem eſſe aſſererent, atque Origeniſtæ eſſent. Juvit ſuſpicionem Origeniſmi de ipſis conceptam Iſidori Alexandrini Presbyteri Origeniſtæ, quem inter & Theophilum ſimultas recens orta erat, confugium ad Aſcetas Nitrienſes. Quos ob ſuſceptum ipſius patrocinium, iuſectatus eſt vehementer, ac vexavit homo ferventioris indolis. Illata Fratribus Longis, aliiſque Monachis mala refert in Vita Sancti Joannis Chryſoſtomi Palladius Helenopolitanus Epiſcopus. Sed cum profeſſus ille fuerit Origeniſta, nemo cordatus non judicabit ipſum in Theophilum iniquiorem fuiſſe, nec fidem ipſi temere adhibendam in his quæ Origeniſmum ſpectant. Sanctorum potius Hieronymi, & Epiphanii judicio de Theophilo ſtandum eſt, qui fidei zelum in eo ob damnatos Origeniſtas, commendarunt. Eo nempe zelo accenſus, congregavit Synodum Alexandriæ anno Chriſti 399. in qua Origenem, & Origeniſtas damnavit, Imperialibuſque Edictis impetratis, Monachos Origenis ſeu ſectatores, ſeu defenſores, Nitrienſibus Aſceteriis expulit; Synodicam ad Anaſtaſium, cæteroſque orbis Catholici Epiſcopos, Epiſtolam direxit Theophilus, qua eos rei geſtæ certiores faceret. Intercidit hæc Epiſtola. Scripſit quoque ad Sanctum Epiphanium aliam, quæ inter Hieronymianas 67. eſt, qua ipſum eſt adhortatus ut Synodum in Cypro Inſula congregaret, ad damnandum pariter Origenem, & Encyclicas ea de re literas ad viciniores Provincias, & Conſtantinopolim mitteret. *Eccleſia Chriſti*, inquit, *quæ non habet maculam, neque rugam, egredientes de cavernis ſuis Origenis colubros Evangelico enſe truncavit, & ſecundum Nitriæ Monachorum agmen, contagione peſtifera liberavit. Pauca ergo ex iis quæ geſta ſunt, in generali Epiſtola, quam ad omnes in commune direxi, prout patiebatur anguſtia temporis, comprehendi; dignationis tuæ eſt, quæ in hujuſcemodi certaminibus ſæve ante nos pugnavit, & poſitos in prælio conſolari, & congregare totius Inſulæ Epiſcopos, ac Synodicas literas tam ad nos, quam ad Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, & ſi quos alios putaveris, mittere: ut conſenſu omnium, & ipſe Origenes nominatim, & hæreſis nefaria condemnetur. Didici enim quod calumniatores veræ fidei, Ammonius, Euſebius, & Euthymius novo pro hæreſi furore baccantes, Conſtantinopolim navigaverint: ut & novos, ſi quos voluerint, decipiant, & veteribus ſuæ impietatis ſociis conjungantur. Curæ igitur tuæ ſit, ut cunctis Epiſcopis per Iſauriam, atque Pamphyliam, & ceterarum Provinciarum, quę in vicino ſunt, rei ordinem pandas; & noſtram, ſi dignum putas, Epiſtolam ſubjicias, ut omnes uno ſpiritu congregati, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, tradamus eos ſatanę in interitum impietatis, quę poſſidet eos.*

Theophilus congregata Alexandriæ Synodo Origenem & Origeniſtas damnat.

Theophili zelus a SS. Epiphanio & Hieronymo laudatus.

De damnata Origenis hæreſi, deque purgatis Nitriæ Monaſteriis ab illorum Fratrum contagio, qui eam ſerere & effundere nitebantur, ſcripſit pariter ad Sanctum Hieronymum Theophilus. Extat brevis illius Epiſtola inter Hieronymianas 60. Theophilo de confixis Origeniſtis Sanctus Hieronymus gratulatus eſt, Epiſtolis 70. & 71. In priori hæc habet: *Breviter ſcribimus, quod totus mundus exultet, & in tuis victoriis*

glorietur; erectumque Alexandrię vexillum crucis, & adversus hæresim trophæa fulgentia gaudens populorum turba prospectet. Macte virtute, macte zelo fidei, quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus. Libere enim Reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium esse patientem; & ignorantes Magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, ut ferires fortius. Quæ verba aperte refellunt Palladii, Socratis, & Sozomeni testimonia, scribentium, ea quæ a Theophilo in Origenistas gesta sunt & decreta, ex ferocis iræ impetu gesta esse: nam Sanctus Hieronymus nimiam fuisse Theophili erga ipsos lenitatem & patientiam ait, non solum in Epistola mox laudata, sed etiam in 68. *Super nefaria hæresi*, inquit, *quod multam patientiam geris, & putas Ecclesię visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis Sanctis displicet; ne dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robustior fiat.*

Palladius, Socrates, Sozomenus in Theophilum minus æqui.

Epistola vero 71. ita Theophilum alloquitur. *Vox Beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit; & cunctis Christi Ecclesiis lætantibus diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus, & eviscératus, & in cavernarum tenebris delitescens, Solem clarum ferre non sustinet. Qui quidem super hac re & antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte Hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostram dum ignoras sententiam roborares. Verum a te nunc admoniti, magis studium accomodabimus, ut hic & procul, simplices ab errore revocemus.*

Scripsit interim Sanctus Epiphanius ad Sanctum Hieronymum de hæreseos Origenianæ damnatione a Theophilo facta, exemplar mittens Epistolæ quam ab ipso ea de re acceperat, ejusque zelum mirum in modum extollens. *Scito*, inquit, *Fili charissime, Amalech usque ad stirpem esse deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum crucis. Etenim quomodo porrectis in altum Moysi manibus vincebat Israel: Sic Dominus confortavit famulum suum Theophilum, ut super altare Ecclesiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret; & impleretur in eo quod dicitur: Scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis hæresim a facie terræ cum ipso Amalech. Et ne videar eadem rursus iterare, & prolixiorem epistolam texere, ipsam ad vos scriptam direxi; ut scire possitis quę nobis scripserit, & quantum boni ultimę ętati meę concesserit Dominus; ut quod semper clamabam, tanti Pontificis testimonio probaretur.* Ex his constat quantus fuerit, & quam laudandus Theophili in Origenis doctrinam, & in Origenistas zelus, nec audiendos esse Palladium, Socratem, Sozomenum, qui Theophilum iracundum, pecuniæ cupidum, pronum in vindictam, crudelem, privatis injuriis causam Dei falso obtendentem exhibent. Enimvero si res ita se habuissent, latere non potuissent Sanctos Epiphanium & Hieronymum in vicino positos, nec Monachos insontes & pios laceràssent; neque laudassent Theophili immanitatem; nec Anastasius Pontifex Maximus ejus Synodum probasset. Merito itaque Theophilus illos Monachos, qui vel Origenis errores sectabantur, vel sectari præsumebantur ob procacem ipsius defensionem, & librorum ipsius lectionem, quam Episcopi prohibuerant, anathemate damnavit, & Monasteriis exegit, ne cæteros inficerent.

S. Joannes Chrysostomus a Fratribus Longis deceptus illis patrocinatur.

Dum hæc gererentur a Sanctis Epiphanio, & Hieronymo, & a Theophilo, classicum adversus Origenistas canentibus, pervenerunt Constantinopolim Origenistæ Nitrienses, & inter eos celeberrimi Fratres Longi, & ad Sancti Joannis Chrysostomi Constantinopolitani Antistitis genua advoluti, ejus operam & auctoritatem imploràrunt, ut eos cum Theophilo in concordiam & gratiam revocaret, & ipsis redeundi in sua Monasteria impetraret ab illo facultatem. Ipsos benigne excepit Chrysostomus, & communione dumtaxat precum, non vero Sacramentorum illis concessa, se apud Theophilum de ipsorum restitutione per literas acturum spopondit. Deceptus est scilicet Chrysostomus externa pietatis specie, & Catholicæ Fidei professione, quam illi Monachi præferebant, errores Origenis ejurantes. Scripsit ad Theophilum in eorum gratiam, sed frustra. Nam Alexandrinus Antistes falsis rumoribus ad se perlatis exasperatus, quod nimirum Chrysostomus ipsos ad sacrorum Mysteriorum Communionem contra Canones admisisset, ipsi succensere cœpit, & depositionem ipsius moliri, quam Eudoxiæ deinde Imperatricis potentia fretus, cujus iracundiam ferventior Joannis Concio concitaverat, facile perfecit in Synodo ad Quercum, de qua suo loco agemus.

Origenistas cum tanta humanitate exciperet Sanctus Chrysostomus, Origenem ejusque Sectatores Sanctus Epiphanius in Concilio Cypriorum Episcoporum damnavit, cunctis in Cypro Catholicis lectione librorum Origenis interdicens. Misit Constantinopolim Decreti Synodici exemplar, quod Chrysostomus neglexit. Ab ipso vero impensum Nitrienſibus Monachis patrocinium magnam illi apud Sanctos Epiphanium & Hieronymum conflavit invidiam. Ipsum sub Barnabæ nomine obscure perstrinxisse videtur Sanctus Hieronymus Epistola 16. ad Principiam: *Refrigerata*, inquit, *charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem, nostro lateri jungebantur, quorum publice petebatur caput, contra quos opes omnes parabantur; ita ut Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, immo apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit.*

S. Epiphanius coacta Synodo in Cypro, Origenem & Origenistas damnat.

S. autem Epiphanius Constantinopolim ad Concilium invitatus a Theophilo, cum eo appulit, nec communi Ecclesia, nec domo cum S. Joanne Chrysostomo uti voluit: licet adveniente Joanne cum totius Cleri comitatu obviam progressus honestasset, & honorificentissime invitasset. Hæc & alia ad dissidium Theophili cum S. Joanne Chrysostomo spectantia, referunt Socrates l. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 11. & Sozomenus l. 8. c. 12. 13. & 14. Hæc anno Christi 403. contigerunt.

Sub Imperio Justiniani anno Christi 530. rursus e Palæstinæ Monasteriis Origenismus emersit, Nonno, & Leontio Byzantino auctoribus. Magni in Sabæ Laura tumultus hac de causa excitati, ad annum circiter 538. quo Justinianus Imperator suadente Pelagio S. R. E. Diacono qui tum Constantinopoli Vigilii Apocrisiarium agebat, Epistolam seu Tractatum ad Mennam Constantinopolitanum Patriarcham nomine suo conscribi jussit, quo Origenis, & Origenianorum dogmatum damnatio continetur. Missus ille est ad Vigilium Pontificem Maximum & cæteros Patriarchas qui eum suffragiis suis & subscriptionibus comprobaverunt (teste Liberato Carthaginensis Ecclesiæ Archidiacono, Breviarii c. 23.)

Denique coacta Constantinopoli Quinta Synodo Œcumenica, anno 553. in ea non solum de Trium Capitulorum, verumetiam de Origenis damnatione actum est, prolatisque ejus errores ut hæreses putidæ, & anathemate confixum nomen (ut testantur Evagrius l. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 37. & Sophronius Hierosolymitanus Antistes in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum, quæ relata est in VI. Synodo Actione II.) Idem testatur VII. Synodus Actione 7. Plena tamen cognitio, quæ de Origene, & ejus sectatoribus Didymo & Evagrio, in V. Synodo instituta est, in Actis Latinis illius Synodi non recensetur. Unde illa truncata esse asserit Annalium Ecclesiasticorum Parens.

Origenis errores in quinta Synodo Oecumenica damnati.

CAPUT IV.

De Auctoribus Ecclesiasticis tertii Sæculi.

TErtio Sæculo veritatem propugnaverunt lucubrationibus suis, & Scriptis illustrarunt Ecclesiam Minutius Felix, S. Hippolytus Portus Romani Episcopus, Cajus, Origenes, Ammonius, Julius Africanus, S. Cornelius, S. Cyprianus, Dionysius Romanus, Pierius, Pontius Diaconus, & Novatianus, S. Gregorius Neocæsareensis, S. Dionysius Alexandrinus, quibus addunt aliqui S. Sixtum Secundum Romanum Pontificem, & S. Zenonem Veronensem. De ipsis, & eorum Operibus agemus in sequentibus Articulis.

glorietur; erectumque Alexandrię vexillum crucis, & adversus hæresim trophæa fulgentia gaudens populorum turba prospectet. Macte virtute, macte zelo fidei, ostendisti quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus. Libere enim Reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium esse patientem; & ignorantes Magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, ut ferires fortius. Quæ verba aperte refellunt Palladii, Socratis, & Sozomeni testimonia, scribentium, ea quæ a Theophilo in Origenistas gesta sunt & decreta, ex ferocis iræ impetu gesta esse: nam Sanctus Hieronymus nimiam fuisse Theophili erga ipsos lenitatem & patientiam ait, non solum in Epistola mox laudata, sed etiam in 68. *Super nefaria hæresi*, inquit, *quod multam patientiam geris, & putas Ecclesię visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis Sanctis displicet; ne dum paucorum pœnitentiam prestolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robustior fiat.*

Palladius, Socrates, Sozomenus in Theophilum minus æqui.

Epistola vero 71. ita Theophilum alloquitur. *Vox Beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit; & cunctis Christi Ecclesiis lætantibus diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus, & evisceratus, & in cavernarum tenebris delitescens, Solem clarum ferre non sustinet. Qui quidem super hac re & antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte Hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostram dum ignoras sententiam roborares. Verum a te nunc admoniti, magis studium accomodabimus, ut hic & procul, simplices ab errore revocemus.*

Scripsit interim Sanctus Epiphanius ad Sanctum Hieronymum de hæreseos Origenianæ damnatione a Theophilo facta, exemplar mittens Epistolæ quam ab ipso ea de re acceperat, ejusque zelum mirum in modum extollens. *Scito*, inquit, *Fili charissime, Amalech usque ad stirpem esse deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum crucis. Etenim quomodo porrectis in altum Moysi manibus vincebat Israel: Sic Dominus confortavit famulum suum Theophilum, ut super altare Ecclesiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret; & impleretur in eo quod dicitur: Scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis hæresim a facie terræ cum ipso Amalech. Et ne videar eadem rursus iterare, & prolixiorem epistolam texere, ipsam ad vos scriptam direxi; ut scire possitis quę nobis scripserit, & quantum boni ultimę ętati meę concesserit Dominus; ut quod semper clamabam, tanti Pontificis testimonio probaretur.* Ex his constat quantus fuerit, & quam laudandus Theophili in Origenis doctrinam, & in Origenistas zelus, nec audiendos esse Palladium, Socratem, Sozomenum, qui Theophilum iracundum, pecuniæ cupidum, pronum in vindictam, crudelem, privatis injuriis causam Dei falso obtendentem exhibent. Enimvero si res ita se habuissent, latere non potuissent Sanctos Epiphanium & Hieronymum in vicino positos, nec Monachos insontes & pios laceravissent; neque laudassent Theophili immanitatem; nec Anastasius Pontifex Maximus ejus Synodum probasset. Merito itaque Theophilus illos Monachos, qui vel Origenis errores sectabantur, vel sectari præsumebantur ob procacem ipsius defensionem, & librorum ipsius lectionem, quam Episcopi prohibuerant, anathemate damnavit, & Monasteriis exegit, ne cæteros inficerent.

S. Joannes Chrysostomus a Fratribus Longis deceptus illis patrocinatur.

Dum hæc gererentur a Sanctis Epiphanio, & Hieronymo, & a Theophilo, classicum adversus Origenistas canentibus, pervenerunt Constantinopolim Origenistæ Nitrienses, & inter eos celeberrimi Fratres Longi, & ad Sancti Joannis Chrysostomi Constantinopolitani Antistitis genua advoluti, ejus operam & auctoritatem imploraruntut eos cum Theophilo in concordiam & gratiam revocaret, & ipsis redeundi in sua Monasteria impetraret ab illo facultatem. Ipsos benigne excepit Chrysostomus, & communione dumtaxat precum, non vero Sacramentorum illis concessa, se apud Theophilum de ipsorum restitutione per literas acturum spopondit. Deceptus est scilicet Chrysostomus externa pietatis specie, & Catholicæ Fidei professione, quam illi Monachi præferebant, errores Origenis ejurantes. Scripsit ad Theophilum in eorum gratiam, sed frustra. Nam Alexandrinus Antistes falsis rumoribus ad se perlatis exaspera-

peratus, quod nimirum Chryſoſtomus ipſos ad ſacrorum Myſteriorum Communionem contra Canones admiſiſſet, ipſi ſuccenſere cœpit, & depoſitionem ipſius moliri, quam Eudoxiæ deinde Imperatricis potentia fretus, cujus iracundiam ferventior Joannis Concio concitaverat, facile perfecit in Synodo ad Quercum, de qua ſuo loco agemus.

S. Epiphanius coacta Synodo in Cypro, Origenem & Origeniſtas damnat.

Origeniſtas cum tanta humanitate exciperet Sanctus Chryſoſtomus, Origenem ejuſque Sectatores Sanctus Epiphanius in Concilio Cypriorum Epiſcoporum damnavit, cunctis in Cypro Catholicis lectione librorum Origenis interdicens. Miſit Conſtantinopolim Decreti Synodici exemplar, quod Chryſoſtomus neglexit. Ab ipſo vero impenſum Nitrienſibus Monachis patrocinium magnam illi apud Sanctos Epiphanium & Hieronymum conflavit invidiam. Ipſum ſub Barnabæ nomine obſcure perſtrinxiſſe videtur Sanctus Hieronymus Epiſtola 16. ad Principiam: *Refrigerata*, inquit, *charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem, noſtro lateri jungebantur, quorum publice petebatur caput, contra quos opes omnes parabantur; ita ut Barnabas quoque duceretur in illam ſimulationem, immo apertum parricidium, quod non viribus, ſed voluntate commiſit.*

S. autem Epiphanius Conſtantinopolim ad Concilium invitatus a Theophilo, cum eo appulit, nec communi Eccleſia, nec domo cum S. Joanne Chryſoſtomo uti voluit: licet adveniente Joanne cum totius Cleri comitatu obviam progreſſus honeſtaſſet, & honorificentiſſime invitaſſet. Hæc & alia ad diſſidium Theophili cum S. Joanne Chryſoſtomo ſpectantia, referunt Socrates l. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 11. & Sozomenus l. 8. c. 12. 13. & 14. Hæc anno Chriſti 403. contigerunt.

Sub Imperio Juſtiniani anno Chriſti 530. rurſus e Palæſtinæ Monaſteriis Origeniſmus emerſit, Nonno, & Leontio Byzantino auctoribus. Magni in Sabæ Laura tumultus hac de cauſa excitati, ad annum circiter 538. quo Juſtinianus Imperator ſuadente Pelagio S. R. E. Diacono qui tum Conſtantinopoli Vigilii Apocriſiarium agebat, Epiſtolam ſeu Tractatum ad Mennam Conſtantinopolitanum Patriarcham nomine ſuo conſcribi juſſit, quo Origenis, & Origenianorum dogmatum damnatio continetur. Miſſus ille eſt ad Vigilium Pontificem Maximum & cæteros Patriarchas qui eum ſuffragiis ſuis & ſubſcriptionibus comprobaverunt (teſte Liberato Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiacono, Breviarii c. 23.)

Origenis errores in quinta Synodo Oecumenica damnati.

Denique coacta Conſtantinopoli Quinta Synodo Œcumenica, anno 553. in ea non ſolum de Trium Capitulorum, verumetiam de Origenis damnatione actum eſt, proſcriptique ejus errores ut hæreſes putidæ, & anathemate confixum nomen (ut teſtantur Evagrius l. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 37. & Sophronius Hieroſolymitanus Antiſtes in Epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum, quæ relata eſt in VI. Synodo Actione II.) Idem teſtatur VII. Synodus Actione 7. Plena tamen cognitio, quæ de Origene, & ejus ſectatoribus Didymo & Evagrio, in V. Synodo inſtituta eſt, in Actis Latinis illius Synodi non recenſetur. Unde illa truncata eſſe aſſerit Annalium Eccleſiaſticorum Parens.

CAPUT IV.

De Auctoribus Eccleſiaſticis tertii Sæculi.

TErtio Sæculo veritatem propugnaverunt lucubrationibus ſuis, & Scriptis illuſtrarunt Eccleſiam Minutius Felix, S. Hippolytus Portus Romani Epiſcopus, Cajus, Origenes, Ammonius, Julius Africanus, S. Cornelius, S. Cyprianus, Dionyſius Romanus, Pierius, Pontius Diaconus, & Novatianus, S. Gregorius Neocæſareenſis, S. Dionyſius Alexandrinus, quibus addunt aliqui S. Sixtum Secundum Romanum Pontificem, & S. Zenonem Veronenſem. De ipſis, & eorum Operibus agemus in ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Minutio Felice, S. Hippolyto, & Cajo.

I. MINUTIUS FELIX, celebris Romani Fori Cauſidicus, ſcripſit inſignem pro Chriſtiana religione Apologim, ſub forma Dialogi, in quo cum *Cæcilio* Ethnico homine diſputat *Octavius* Chriſtianus. Unde ſimpliciter inſcribitur: *Minutii Felicis Octavius*. Hujus meminerunt Lactantius l. 1. divinarum Inſtitutionum, cap. 2. & S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 69. & in Epiſtola ad Magnum Oratorem Romanum. Adjunctus erat in antiquis editionibus ſeptem libris Arnobii adverſus Gentes, & ejus nomine inſcriptus tamquam octavus illius Operis: ſed Franciſcus Balduinus Juris Civilis Conſultiſſimus, & Chriſtiana eruditione inſignis, ipſum ſuo reddidit Auctori in editione quam curavit Heidelbergæ anno 1569.

II. SANCTUS HIPPOLYTUS, gente Arabs, Epiſcopus, ſub *Alexandro Severo* Imperatore floruit. Cujus loci fuerit Epiſcopus, lis eſt inter Eruditos. Portus Romani Epiſcopum fuiſſe, communis eſt opinio. Romanum Epiſcopum ſimpliciter vocant *Leontius* libro *De Sectis*, Actione 7. & *Germanus* Patriarcha Conſtantinop. in *Theoria*. Portus Romani Epiſcopum vocant *Sanctus Joannes Damaſcenus* in Eclogis, *Zonaras*, *Nicephorus*, & alii. Cujus urbis fuerit Epiſcopus, ignotum fuit *Sancto Hieronymo* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ſcribenti: *Hippolytus cujuſdam Eccleſiæ Epiſcopus* (*nomen quippe urbis ſcire non potui*:) Epiſcopum in Arabia fuiſſe ait *Gelaſius* l. *De duabus in Chriſto naturis*. Appellat quippe *Hippolytum*, *Epiſcopum Metropolis Arabiæ in memoriam hæreſum*. Quod ex *Euſebio* l. 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 22. confirmatur. *Beryllus*, inquit, *fuit Epiſcopus Boſtronorum in Arabia, ſimiliter & Hippolytus, alterius cujuſdam Epiſcopus*. Vir quidam Eruditus conjicit, Epiſcopum fuiſſe Portus Romani, non in Italia ad Oſtia Tiberina, ſed in Arabia. Nam revera in Arabia Portus erat nobiliſſimus, Romanis præcipue notus, a quibus cum frequentaretur, vocabatur Portus Romanus. De quo *Philoſtorgius* lib. 3. cap. 3. *Theophilus*, inquit, *ædificavit Eccleſiam, ubi Romanum erat Emporium, extrorſum ad Oceanum poſitum: vocant vero regionem Adanem, quo eos, quos ex Romanis venire contingit, appellere mos eſt*. Emporium iſtud Romanum a *Ptolomæo* l. 7. & lib. 8. vocatur Emporium Arabiæ, quia totius Arabiæ nobiliſſimum erat. *Sancti Hippoliti* Opera recenſet Euſebius l. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 16. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, c. 72. & Photius in Bibliotheca, Cod. 121. & 202. *Orationem de conſummatione mundi, & Antichriſto, ac ſecundo adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quæ Græce & Latine prodiit Pariſiis anno 1557. Interprete Joanne Pico, Canonico majoris Eccleſiæ Pariſienſis, & in Suprema ejuſdem urbis Curia Senatore, abjudicant Hippolyto Caſaubonus, Rivetus, Cocus, aliique ex Heterodoxis Critici, rationibus quæ non cogunt. Prima eſt, quod incipiat ab his verbis. ἐπειδὴ γὰρ *Quoniam enim*. Altera, quod Antichriſtum non hominem fore, ſed dæmonem humana forma indutum aſſerat. 3. Quod Sanctum Joannem Evangeliſtam mortuum nondum eſſe, ſed cum Elia, & Enoc præcurſurum ſecundum adventum Chriſti affirmet. 4. Quod animas hominum a ſæculis fuiſſe aſſerat. Verum licet hæ rationes probent inelegantem eſſe librum, & nævis etiam nonnullis deformatum, non evincunt tamen Hippolyti non eſſe genuinum Opus: maxime cum Sanctus Hieronymus librum de Antichriſto inter ejus Opera recenſeat, & Photius Codice 202. ſuæ Bibliothecæ *Homiliam de Chriſto & Antichriſto*, ipſi vindicet: Præterea *genus dicendi clarum & perſpicuum*, in quo *ſenſuum ſimplicitas ac vetuſtas* elucent, quale in Operibus Sancti Hippolyti notavit Photius, liber ille præſefert. Quod autem in illo nævi nonnulli ſint, non mirum. Nam & *in interpretatione Danielis*, quæ modo non extat, teſtatur Photius ipſum *pleraque veteri more, non ut poſtea fuere accuratius excuſſa, recenſere, & adſcribere Antichriſti adventum, & mundi conſummationem quingenteſimo poſt Chriſtum anno. Quaſi a prima mundi conſtitutione ſex millibus annorum tum decurſis, ejus in-*

Oratio De Antichriſto, S. Hippolyto vindicatur.

teritus

teritus inſtaret. Quæ aſſertio, inquit Photius, *humanam ignorantiam potius, quam cæleſtem inſpirationem arguit*.

Quod vero errorem de animarum humanarum a ſæculis exiſtentia ſcriptis conſignaverit; nemo mirabitur, qui ipſum Origene familiariſſime uſum, & ſcriptorum ejus magnum admiratorem fuiſſe, a Photio didicerit Codice 121. Bibliothecæ. Quamquam fallitur Photius, cum ait Hippolytum ſuis ſumptibus Origeni ſubminiſtraſſe ſeptem Notarios, qui Commentarios in Scripturam Sacram ab eo dictatos celeriter exciperent, & totidem Librarios, qui accurate deſcriberent. Id enim beneficii collatum Origeni ab Ambroſio, quem a Marcionitarum hæreſi ad fidem ipſe revocaverat, Euſebius, & Sanctus Hieronymus teſtantur. Nicephorus l. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 31. Scripta Sancti Hippolyti recenſens ait: *Cum in ejus ſcriptis quædam reprehenſione digna ſint; abſoluto pro Chriſti nomine Martyrio, ignorantiæ ejus maculam deterſit*.

Demonſtratio adverſus Judæos a Turriano Latine reddita, & edita primum a Poſſevino, in Apparatu ſacro, incertum eſt an ſit Hippolyti genuinum Opus, cum Sanctus Hieronymus illius non meminerit, nec alius e Veteribus qui ejus opera laudarunt. Æque dubia eſt *Homilia de trino & uno, & de Myſterio Incarnationis contra hæreſim Noeti*: quam edidit Gerardus Voſſius Præpoſitus Tungrenſis.

Inter ejus lucubrationes celeberrimus eſt Canon ſive Cyclus Paſchalis 16. annorum ab anno 1. Alexandri Imp. incipientium. *Liber de Theologia & Incarnatione contra Beronem & Helicen Hæreticos*, cujus Excerpta quædam exhibuit Henricus Caniſius Tom. 1. Antiquæ Lectionis, & Margarinus Bignæus Tom. 4. Bibliothecæ Patrum, parte 2. non videtur eſſe Sancti Hippolyti, cujus nomen præfert. Nec enim ejus meminere Veteres: nec congruit temporibus Hippolyti. Refellit enim errorem Apollinaris, & Eutychetis de mutatione divinitatis in carnem, vel carnis in Deum (ut conſtat ex illis verbis capitis 4.) *Quam eſſentiam*, inquit, *habebit eorum opinione factus homo mutata divinitate in carnem? Et quam habebit Deus mutata carne in Deum? Mutatio enim duarum Naturarum inter ſe, interitus eſt ambarum*.

Liber De Theologia & Incarnatione, *non eſt S. Hippolyti genuinum opus*.

Nec ſolum poſt hæreſes Apollinaris & Eutychetis jam ortas, verumetiam poſt Monothelitarum hæreſim effuſam, conſcriptus videtur iſte Liber. Nam in eo maxima pars ejus verſatur ut duas in Chriſto operationes probet; alioqui naturarum confuſionem ſecuturam: ſic nempe habet c. 5. *Carnem a Verbo aſſumptam, unam & eamdem operationem habere, quam Divinitas, propter aſſumptionem; Divinitatem vero eamdem paſſionem, quam caro propter exinanitionem: ſic mutationem ſimul & mixtionem, ac confuſionem, & ambarum naturarum in ſeipſas converſionem tradunt. Si enim caro aſſumpta eamdem operationem habet, quam Divinitas, liquet factum eſſe natura Deum, habereque omnia, cum quibus naturaliter intelligitur Deus: & ſi Divinitas exinanita eamdem paſſionem ſubit, quam caro, liquet factam eſſe natura carnem, habereque illa omnia, cum quibus naturaliter noſci poteſt caro. Quæ enim inter ſe ſunt ejuſdem operationis, & efficientiæ, ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt*.

Et c. 6. *Qui eamdem operationem diverſis naturis Chriſti tribuit, confuſionem naturarum ſimul introducit, & diviſionem perſonarum: cum naturalis eſſentia naturarum, per mutationem proprietatum penitus ſublata ſit*.

Et cap. 7. *Creator omnium ex Sancta Virgine Maria, in conceptu puro, ſine mutatione, animam intelligentem cum corpore ſentiente ſibi ſubſtantialiter uniens, factus eſt homo, natura a peccato alienus, Deus Verbum, idem Deus totus, idem item homo totus, Divinitate quidem divina operans per ſanctam carnem, quæ natura non erant carnis: humanitate vero humana, quæ natura non erant Divinitatis, patiens ſuſtentatione Divinitatis: Nihil divinum nudum corpore orerans, nihilque humanum expers Divinitatis: ſervans ſibi novum modum, quo utraque, divina ſcilicet & humana operatus eſt, ut in neutra natura mutatio fieret*. Certe cum hæc Monothelitarum errorem, unicam in Chriſto voluntatem propugnantium, directe petant: veriſimillimum eſt librum illum ante ſeptimum Sæculum, quo exorti ſunt Monothelitæ, elucubratum non fuiſſe.

Dein-

Deinde si extitisset tempore Chalcedonensis Concilii, Theodoretus illa proculdubio testimonia adversus Eutychianos protulisset in tribus Dialogis, quos contra ipsos composuit: maxime cum alia ex Operibus Hippolyti loca recenseat, nimirum *ex Oratione de distributione talentorum*, *ex Epistola ad quamdam Reginam*, *ex sermone in Helcanam & Annam*, quæ minus splendida sunt & diserta, quam ea quæ proxime adduximus. Non omisisset certe diligentissimus Scriptor testimonia deprompta ex libro de Theologia & Incarnatione, & in suum scopum tam directe collineantia, & suo tam convenientia argumento, si in rerum natura liber hujusmodi extitisset.

Denique Beronis & Helices Hæreticorum, contra quos editus fertur, nulla est in tota retro Antiquitate memoria.

Dices cum Canisio, & Possevino, errorem de mutatione Divinitatis in humanitatem, vel humanitatis in Divinitatem, esse antiquiorem Eutychete, & Apollinari, cum ejus meminerit Sanctus Justinus in Expositione Fidei: adeoque non esse abjudicandum Sancto Hippolyto librum de quo agimus, quod eorum errorem refellat.

Respondeo, *Expositionem Fidei* non esse genuinum Sancti Justini Opus: adeoque responsionem Canisii & Possevini in auras evanescere.

Denique fertur sub nomine S. Hippolyti Libellus seu Indiculus *de duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, ubique consummatus sit?* Esse Sancti Hippolyti nihil probat præter Codicem Regium, ex quo illum edidit Pater Combefisius Ordinis Prædicatorum, Tomo 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum.

III. CAJUS Zephirini Pontificis temporibus floruit, & Disputationem insignem edidit adversus Proculum Montani Sectatorem. Ejus meminerunt Eusebius lib. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 70. *Cajum* Romanæ Ecclesiæ Presbyterum fuisse, quin etiam Gentium Episcopum ordinatum absque certa ulla ac determinata Diœcesi, ut Evangelii Fidem gentibus infidelibus inferret, *Photius* Cod. 48. testatur, & libellos duos *De universi natura*, quos alii Josepho, alii S. Justino, alii S. Irenæo adscripserunt, edidisse; item *Labyrinthum*, ab aliis Origeni attributum, & librum *Contra Artemonis hæresim*, ab aliquibus Cajo tribui.

ARTICULUS II.

De Scriptis Origenis.

Homiliæ 28. in Numeros *Origeni vindicantur. Item* Hom. 1. 9. in libros Judicum. *Rivetus refellitur.*

DE ORIGENIS Scriptis prolixe & erudite omnino disserit vir clarissimus Daniel Huetius, libro 1. Origenianorum. Non est nostri instituti singula recensere, & expendere: annotare satis erit impræsentiarum, quæ genuina, quæ spuria sint, ac supposititia Origenis Opera.

1. Ex Criticorum Heterodoxorum grege Rivetus falso abjudicat Origeni Homilias 28. in Numeros, Ruffino ipsarum Interprete intercedente, ne alteri tribuantur. Ita namque Ruffinus in Præfatione ad Ursacium, quam suæ interpretationi præfixit: *Quæcumque in Numerorum libro, sive homiliatico stylo, sive etiam ex his quæ excerpta appellantur, scripta reperimus, hæc perurgente te, Romana (ut potuimus) voce, ex diversis in unum ordinem collecta digessimus.*

Objicit Rivetus, Auctorem harum Homiliarum exponere differentiam inter *excludere* & *excidere*, quæ cautio in Græco Auctore, qualis est Origenes locum non habet.

Respondeo, observationem illam, quæ extat Homilia 12. Interpretis esse, non Auctoris; non Origenis, sed Ruffini, qui Scholia & Observationes suas cum ipsius Adamantii textu permiscuit frequentius.

2. Homilias novem in libros Judicum, & Homiliam unicam in librum Regum, Origenis genuinas esse falso inficiatur idem Rivetus, sicut & Homilias in Psalmos 36. & 37. & 38. Id probat de prioribus & posterioribus Peroratio Ruffini subjecta interpretationi Commentariorum Origenianorum in Epistolam ad Romanos. *Nam illa*, inquit, *quæ in Jesu Nave, & in Judicum Librum, & in trigesimum sextum, & in trigesimum septimum, & trigesimum octavum Psalmum scripsimus, simpliciter expressi-*

preſſimus ut invenimus, & non multo labore tranſtulimus. Homiliam vero unicam in Reges, ſimillimus ſtylus, ejuſdem Auctoris eſſe, eodem Interprete Latine redditam, oſtendit.

Objicit Rivetus, Homiliæ 6. in Librum Judicum Auctorem notare, quod *Rex* dicitur *a regendo*. Quam etymologiam Græca vox non patitur.

Reſp. hanc rurſus notam Ruffini peſſimi Interpretis munificentiæ acceptam referri, non Origeni.

Objicit idem Rivetus hæc verba ex Homilia in Reges, quæ ipſam Origeni ſuppoſitam probent: *Nolite ergo in nobis requirere quod in Papa Alexandro habetis. Fatemur enim quod omnes nos ſuperat in gratia lenitatis*. Quis enim eſt ille Alexander Papa? (inquit Pſeudo-Criticus.) Si primus Epiſcopus Romanus ejus nominis, multo antiquior eſt: ſin vero Epiſcopus Alexandrinus, multo recentior; ſucceſſit enim Achillæ anno Chriſti 311. cum Origenes extremum diem obiiſſet circa annum 256.

Reſpondeo, neque Alexandrum primum Romanum Pontificem, neque Alexandrum Patriarcham Alexandrinum his Origenis verbis ſignificari; ſed Alexandrum Epiſcopum Hieroſolymitanum, a quo fuerat ad Sacerdotium promotus.

Objicit idem Rivetus, Ruffinum Homilias in Pſalmos 36. 37. 38. non indicato Auctoris ipſarum nomine, aſſerere ſe de Græco in Latinum tranſtuliſſe, & ad majus legentium commodum in novem Homilias diſſecuiſſe.

Reſpondeo, neceſſe non fuiſſe ut nomen Origenis Ruffinus exprimeret, cum de interpretatione illarum Homiliarum a ſe adornata loquitur, qui de Origenis Operibus Latine a ſe redditis agebat, & initio Perorationis nominaverat Origenem: & Origenis eſſe fœtus Homilias iſtas ſatis illarum titulus clamabat.

Homiliæ 4. in Canticа Canticorum, *Origeni aſſeruntur.*

3. Homilias quatuor in Canticum Canticorum, ex Catalogo Operum Origenis perperam expunxit Rivetus, cum nonnullis Criticis, tum Heterodoxis, cum Catholicis: quos refellunt primo verba S. Hieronymi dicentis: *Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit*. 2. Origeniani ſtyli promicantes hoc in Opere characteres. Tropologica ubique ſectatur. Propria nomina Hebraica exponit, & ex eorum interpretationibus ſenſus Tropologicus eruit, ut in aliis Operibus. Sæpe precibus ad Deum ſe convertit, cum ad myſticum ſenſum explicandum ſe applicat, quod & in aliis Operibus illi ſolemne eſt. Sua Opera citat (quod & ipſi alibi frequens eſt (nempe Homilias ſuas in Exodum & Judices ſemel, in Numeros quater, Explicationes in Leviticum, & Commentarios in Novum Teſtamentum ter. Homiliæ duæ Origenis in Canticum Canticorum, ſunt a Sancto Hieronymo fideliter verſæ, & Damaſo Romano Pontifici nuncupatæ, atque a Rufino agnitæ. Earum porro ſententiæ conſimiles ſunt & germanæ earum, quæ in hoc Opere continentur, ut plurium collatione locorum comprobat doctiſſimus Huetius, libro 3. Origenianorum, Sectione 3. numero 7. Denique Origenis Fragmentum *ex ſecundo Tomo Commentariorum in Canticum Canticorum*, decerptum extat etiamnum Græce ad finem Philocaliæ. *Philocalia autem de obſcuris ſacræ Scripturæ locis* a Sanctis Patribus Baſilio Magno, & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta eſt.

His omnibus accedit teſtimonium Caſſiodori locupletiſſimum, libro Divinarum Lectionum cap. 5. Aſſerit ille Rufinum interpretatum fuiſſe expoſitionem Origenis in Canticum Canticorum, uſque ad illa verba: *Capite nobis vulpes parvulas, exterminantes vineas*. At ipſum Opus de quo agimus, in illa verba deſinit: Origenis igitur genuinum eſt. En Caſſiodori verba: *In Cantico Canticorum duabus Homiliis expoſitionem Origenis idem Sanctus Hieronymus Latinæ linguæ multiplicator egregius, ſua nobis, ut conſuevit, probabili tranſlatione proſpexit. Quas item Rufinus Interpres eloquentiſſimus, adjectis quibuſdam locis, uſque ad illud præceptum, quod ait: Capite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas, tribus libris latius explicavit*. Perperam tamen illud Opus in Homilias diſtributum eſt a Rufino, cum ſit continens & perpetua explanatio, & pars Tomorum decem, quos in Cantica ſcripſiſſe Origenes memoratur.

Riveti Objectunculis reſpondetur.

Objiciunt Rivetus, & alii ex Heterodoxis Critici, poſt Eraſmum, in Prologo iſtius Operis Græcos laudari velut alienos: *Cum apud Græcos*, inquit, *qui eruditi & ſapientes*

pientes videntur. Colligi præterea ajunt ex interpretatione *amoris*, *charitatis*, *dilectionis*, *cupidinis*, Auctorem illarum Homiliarum esse Latinum, non Græcum Patrem, adeoque nec Origenem. 3. Idem concludunt ex illis verbis, quibus Philosophiæ divisionem exponit. *Generales Disciplinæ* inquit, *quibus ad rerum scientiam pervenitur, tres sunt, quas Græci, Ethicam, Physicam, & Theoricem appellaverunt. Nos has dicere possumus, Moralem, Naturalem, & Inspectivam. Nonnulli sane (apud Græcos) etiam Logicen (quam nos Rationalem possumus dicere) quarto in numero posuerunt.*

Respondeo ad primum, Græcos ab istarum Homiliarum Auctore laudari velut alienos a religione sua, non ut alienos a lingua, & a Gente. Hic enim Græcos non opponi Latinis, sed Christianis, omnino certum est ex consequentibus: *Non ergo mirum esset*, inquit, *si & apud nos, ubi quanto plures simpliciores, tanto plures & imperitiores videntur*. Quæ verba non ad Latinos tantum, sed ad Christianorum omnium cœtus pertinent: Certe Ethnicos omnes a Sancto Luca Græcos appellari evidens est, ut etiam a S. Paulo in suis Epistolis: unde Judæi Græcis, id est, Ethnicis, seu Gentilibus, ab ipso passim opponuntur.

Ad 2. respondeo, interpretationem vocum illarum, *amoris*, *charitatis*, &c. Rufino Interpreti pessimo adscribendam esse, non Auctori illorum Commentariorum, seu Homiliarum.

Ad 3. respondeo, ejusdem Rufini esse expositiones illas, & hæc verba (*Græci & apud Græcos*) Enimvero cum Græca Latinis quidem literis, verbis autem Græcis primo reddidisset Rufinus: eadem Latine rursus interpretatus est, ne forte a Latinis non intelligerentur. Ejusdem Rufini est, quod Robertus Cocus Anglus observat scripsisse Auctorem hujus Commentarii, *Verbum Dei apud Græcos masculino genere proferri, apud nos neutro genere*.

Homiliæ 39. in Lucam, *asseruntur Origeni.*

4. Homilias triginta novem in Lucam, Origeni perperam abjudicant Dallæus, aliique ex Heterodoxis. Nam Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiastico-rum inter Opera a se edita, *Homilias triginta novem in Lucam* recenset. Homilias autem numquam scripsit ipse Hieronymus; Interpres igitur illarum tantum fuerit necesse est. At in Prologo ad Paulam & Eustochium, se eas ex Origene transtulisse profitetur. *Quamobrem petistis*, inquit, *ut contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta & novem Adamantii nostri in Lucam Homilias sicut in Græco habentur, interpreter, molestam rem, & tormento similem, alieno, ut ait Tullius, stomacho, & non suo scribere: quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis*. 2. Rufinus in Invectiva in Sanctum Hieronymum multa notat, quæ in his Homiliis ipsum infide transtulisse contendit. 3. S. Hieronymum *ultra 70. libellos Origenis, quos Homiliatores appellavit, transtulisse*, refert Rufinus in Præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν. Fatetur hoc Hieronymus ipse Apologia prima. Notat Rufinus Homilias in Lucam in Isaiam, Jeremiam, & Ezechielem. Hieronymus in Prologo in Ezechielem testatur, quatuordecim tantum in Jeremiam, & totidem in Ezechielem se transtulisse. Homiliæ autem in Isaiam tantummodo novem sunt: quibus si addas duas in Cantica, adhuc extant tantum triginta novem. Libellos igitur ultra septuaginta ab Hieronymo versos invenire numquam poteris, nisi illis triginta novem Homilias in Lucam a Rufino memoratas annumeres.

Dallei Objectionibus respondetur.

Objiciunt primo Pseudocritici, Auctorem harum Homiliarum Latinum esse, adeoque Origeni falso adscribi. Probant antecedens, primo quia observat, *Gratia plenam, Græce κεχαριτωμένην dici*.... 2. quia Homilia 5. hæc habet: *Ego autem sum ἄλογος quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest, absque sermone, vel ratione*. 3. Quia Homilia 16. notat, *Cadaver a casu nomen accepisse*. 4. Quia Homilia 35. ait, *Discrimen nominis vel cum articulo, vel absque articulo positi, apud Græcos magis intelligi*. 5. Quia in eadem Homilia advertit, *Quadrantem sive minutum, Græce tenue dici posse*.

Respondeo, nego antecedens. Ad primam probationem respondeo, hanc observationem non esse Origenis, sed Latini Interpretis, nimirum Sancti Hieronymi, qui ad eam observationem inferendam coactus fuit. Cum enim observasset Origenes, hanc

hanc vocem in ſalutatione prorſus inuſitatam eſſe, eamque Hieronymus reddidiſſet *Gratia Plenam*, duobus ſcilicet vocabulis, quorum neutrum rarum eſt, neceſſe habuit addere (*quod Græce dicitur* κεχαριτωμένῳ.) Id quidem, ut & alias obſervationes a ſe ex neceſſitate interpretationis clarioris additas probabile eſt Sanctum Hieronymum parentheſibus, aut clauſulis quibuſdam a textu reliquo diſtinxiſſe: ſed Exſcriptorum deinde & Librariorum incuria fuiſſe cum textu confuſas.

Ad ſecundum reſpondeo, hæc rurſus verba eſſe interpretis Sancti Hieronymi. Origenes mutum probaverat populum Iſraeliticum, quod Sermonem, id eſt, Chriſtum rejeciſſet; idque pluribus Scripturæ locis expoſuerat, qui Origeniani ſtyli character eſt. Citaverat inter alia hæc verba Moyſis, Exodi 5. verſu 12. ἐγω δὲ ἄλογος εἰμι. Sanctus Hieronymus, cum nihil hujuſmodi in Latinis codicibus inveniret, ſed forte id quod nunc legimus, *cum incircumciſus labiis ſim*, ut & Hebræa ſonant & Theodotionis Verſio, vel *tardi ſermonis* (ut antiquitus legebatur) neceſſe putavit admonere quod licet Latinus aliter expreſſerit ἄλογος, tamen proprie transferri poteſt *abſque ſermone vel ratione*.

Ad tertium reſpondeo, hæc verba eſſe mere Origeniana. Exponit quippe ibi Origenes verſiculum 34. capitis 2. Evangelii ſecundum Lucam, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam*. Et huic applicat locum Sancti Matthæi: *Et de hac ruina dicitur*, inquit, *ubicumque fuerit cadaver, ibi congregabuntur aquilę*. Quæ applicatio ne coacta nimis videretur, addidit, πτῶμα γὲν ἀπὸ πτῶσεως λέγεται, id eſt, *Cadaver quippe a caſu nomen accepit*.

Ad quartum reſpondeo, hanc rurſus obſervationem eſſe S. Hieronymi. Obſervaverat Origenes, ἐπ' ἀρχῶντα *Principem*, dici ſine articulo; πρὸς τὸν κριτὴν *Judicem*, cum articulo, qui ſingularitatem ſignificat. Inde collegerat *Principem*, eſſe unum Angelorum, qui multi ſunt: *Judicem* vero eſſe unicum illum Jeſum Chriſtum. Hoc porro plane ſapit ſtylum Origenis. Nemo enim toties vim articuli urget ac Adamantius. Hieronymus autem, cum videret hominem Græce neſcientem id capere non poſſe, notavit *id apud Græcos magis intelligi*.

Ad quintum reſpondeo, iſtam adhuc obſervationem eſſe Sancti Hieronymi. Cum enim Inſiſſet Origenes in voce λεπτὸν, & oſtendiſſet peccatum eſſe vel pingue, & craſſum, vel tenue, & ſubtile, S. Hieronymus videns hæc a Latinis intelligi non potuiſſe per *quadrantem*, vel *minutum*, monuit id quod *minutum dicitur*, *tenue* dici poſſe ſecundum vim Græci vocabuli. Eidem S. Hieronymo tribuenda ſunt illa verba Homiliæ 22. *Græcus ſermo, hoc, quod eſt converti in lapides, ſignificantius ſonat*.

Objiciunt ſecundo, in his Homiliis quædam eſſe ab Origenis genio, more & ſenſu aliena, ut quod Homilia 25. dicitur Spiritus Sanctus *tertia perſona a Patre, & Filio*. Uſus namque ita diſtinctus iſtius vocis, *Perſona*, ab Origene alienus eſt.

Reſpondeo, futilem eſſe illam objectionem, & falſo fundamento nixam; Origenes enim Tomo 2. in Joann. diſtincte uſurpat nomen perſonarum, cum dicit τρεῖς ὑποστάσεις. Quem locum ita vertit Ferrarius: *Nos autem qui tres perſonas, Patrem, & Filium, atque Spiritum Sanctum eſſe credimus*.

Objiciunt tertio, ſecum pugnare Origenem, ſi ipſius ſint Homiliæ iſtæ. Cum enim doceat ſolos libros Legis Saducæos admiſiſſe, Homilia 39. loca quædam ex Iſaia, & Pſalmis citans, addit, *quæ omnia corporaliter intelligentibus Saducæis, qui erant portio Judæorum, dicit Salvator: Neſcitis Scripturas, neque virtutem Dei*.

Reſpondeo, non aſſerere ibi Origenem, Saducæos in Canonem Scripturarum Prophetas recepiſſe. Ait dumtaxat, Saducæos male intellexiſſe Prophetas. Potuerunt autem male intelligere ea quæ in cenſum ſacrarum Scripturarum non referebant.

5. Homiliæ quæ inſcribuntur *In diverſos*, non ſunt Origenis. Latini Scriptoris eſſe pleraſque, ſtylus arguit. Secunda *Manichæorum* & *Arianorum* meminit, qui poſt Origenis tempora eruperunt: & Filium Patri dicit eſſe ὁμοούσιον.

6. Commentariorum in Job libri tres, qui duo priora Jobi capita cum tertii portione complectuntur, ſunt Origeni ſuppoſiti. Nam & ſtylus Origeniani plane diſſimilis eſt, innumeris battologiis, & jejunis Rhetoricæ figuris redundans, contra Origenis conſue-

Commentarii in Job, *non ſunt Origenis*.

consuetudinem. 2. Sententias continent ab Origene alienas: Libro namque secundo ait, Christum prædicasse tribus annis, & dimidio; Cum Origenes lib. 4. Periarchon, cap. 1. & Homilia 32. in Lucam, unium dumtaxat annum Christi prædicationi assignet. 3. Luciani Martyris cum laude meminerunt, Origenis temporibus multo recentioris. 4. Post Arianæ hæreseos ortum, ab homine item Ariano scriptos esse, colligitur ex eo quod sacra *Triadis*, & ὁμοούσιον vocabula sugillet, & trium personarum in una essentia adoratores insectetur petulantius. *Tria cornua fecit diabolus*, inquit, *in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triumque Deorum hæresis, quæ universum orbem terræ in modum tenebrarum replevit; quæ Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum aliquando tamquam tres colit, nonnumquam unum adorat, quemadmodum Græcorum lingua memoratur, Triada, vel Homousion. Istam ergo Trinitatis sectam & hæresim, atque infidelitatem jam olim designans versutissimus ille diabolus, tria cornua misit ad Job deprædandum. Sic namque etiam nunc memorata trionyma hæresis præsertim prædatur, atque expugnat Ecclesiam.*

7. Alter Commentarius in Job, qui totum Jobi Librum Paraphrastice secundum sensum historicum breviter ediserit, spurium etiam Origenis Opus est. Primo quia nusquam divertit in allegorias, præter Origenis morem. 2. Quia Manichæorum, & Luciani Martyris etiam meminit, qui Origene fuerunt recentiores. 3. Vocem ὁμοούσιον fugillat, & Catholicos homousiastarum nomine traducit. 4. Stellas animæ expertes esse asserit, cujus contrarium Origenes est opinatus. 5. Mosem libri Job scriptorem esse affirmat in Prologo istius commentarii. At Origenes lib. 6. contra Celsum, librum Job Moyse antiquiorem esse tradit; & Philocaliæ cap. 5. libros dumtaxat quinque Mosem conscripsisse affirmat.

Lamentum Origenis, *Apocryphum*.

8. *Lamentum Origenis*, falso præfert ipsius nomen: quamquam editio Merlini, & Codex MS. Bibliothecæ Regiæ hunc ipsi libellum tribuant, necnon Vincentius Bellovacensis, in Speculo Doctrinali, lib. 18. cap. 43. Ipsi Gelasius Pontifex Maximus in Concilio Romano hanc inurit notam, *Liber qui appellatur, de Pœnitentia Origenis, apocryphus.*

Dialogus contra Marcionitas, *non est Origenis.*

9. *Dialogum de Orthodoxa fide*, qui & *contra Marcionitas* inscribi solet, non esse Origenis constat tum ex aliis momentis quæ in superioris sæculi Dissertationibus attigimus: tum ex eo quod in eo Dialogo Catholicam de tunicis pelliceis Adami, de Anima, & resurrectione sententiam propugnet: cum in contrarias opiniones Origenes abierit. Difficultatem faceSSit Sanctorum Basilii, & Gregorii Nazianzeni auctoritas, qui fragmentum e parte tertia istius Dialogi depromptum in Philocalia exscripserunt, quam ex sinceris Origenis Operibus contexuere. Sed verisimile est Sanctis illis Patribus fucum fecisse Dialogi titulum, qui nomen Adamantii præfert, quod in eo primas partes tractet Origenes; non quod ab ipso fuerit conscriptus: quemadmodum Lælii & Catonis nomina præferunt Dialogi de Amicitia & de Senectute apud Ciceronem, non quod a Catone, vel Lælio editi sint, sed quod primæ partes ipsis tribuantur. Præterea Eusebius Auctor antiquior, & in perscrutandis Origenis rebus diligentia nulli secundus, idem istud fragmentum, quod Philocaliæ insertum est, lib. 7. de Præparatione Evangelica refert, Maximoque tribuit, in lib. περὶ ὕλης non Origeni. Denique ad finem fragmenti hujus, quod Philocaliæ cap. 23. insertum est, Scholion istud reperitur in Codice Bibliothecæ Regiæ MS. ex quo hoc Opus edidit Joannes Tarinus, & Latinitate donavit: *Hæc e septimo libro Evangelicæ Præparationis Eusebii Pamphili deprompta sunt. Sunt autem Maximi, ut ait ipse Eusebius, non ignobilis inter Christianos Scriptoris. Totidem vero verbis scripta ea inveniuntur in Origenis adversus Marcionistas, aliosque Hæreticos Dialogo, agente Eutropio, defendente Megethio.*

10. Maxima cautione legendus est Origenes, de quo dictum est: *Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus* (ut Cassiodorus notat, lib. de Institutione Divinarum Scripturarum, cap. 1.) Habendaque sunt ejus Scripta more arcthi (ut ait idem Auctor.) Ejus succo condienda est sacræ Scripturæ lectio: decoctus ipse, exsuccusque projiciendus est.

Origenis elogium.

Verum antequam Origenis Scripta deseramus, elegantem ejus commendationem subji-

jice-

jicere lubet ex Vincentio Lirinenſi, in priore Commonitorio, cap. 23. *Sed ego ita arbitror*, inquit, *quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pene ſit qui Origenis tentationi valeat comparari: in quo plura adeo præclara, adeo ſingularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis aſſertionibus ejus fidem, quivis facile judicaret. Nam ſi vita facit auctoritatem, magna illi induſtria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata Martyrio? Deinde pro Chriſto, non ſolum patre, ſed omni facultate privatus, tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias, ut pro nomine Dominicæ confeſſionis ſæpius, ut ferunt, affligeretur. Neque vero hæc in eo ſola erant, quæ cuncta poſtea tentationi forent; ſed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeque ſuperaret: tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, fortaſſe nulla humanæ Philoſophiæ, quæ non penitus aſſequeretur: cujus ſententiæ cum Græca non cederent, Hebræa quoque elaborata ſint. Eloquentiam vero quid memorem? Cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipſius non tam verba, quam mella quædam fluxiſſe videantur. Quæ non ille perſuaſu difficilia diſputandi viribus elimpidavit? Quæ factu ardua, non ut facillima viderentur, effecit? Sed forſitan argumentorum tantummodo nexibus aſſertiones ſuas texuit? immo plane nemo umquam Magiſtrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo pauca conſcripſit? Nemo mortalium plura, ut mihi ſua omnia non ſolum non perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſe videantur. Sed forſitan diſcipulis parum felix? Quis umquam felicior? Nempe innumeri ex ſinu ſuo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confeſſores, & Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religioſior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Chriſtianorum non pene ut Prophetam? Quis Philoſophorum non ut Magiſtrum veneratus eſt? Quam autem non ſolum privatæ conditioni, ſed ipſi quoque fuerit reverendus Imperio, declarant Hiſtoriæ, quæ eum a Matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt, cæleſtis utique ſapientiæ merito, cujus & ille gratia, & illa amore flagrabat. Sed & ejuſdem Epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani Magiſterii auctoritate conſcripſit: de cujus incredibili ſcientia ſi quis referentibus nobis, Chriſtianum non accepit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis gentilem recipiat confeſſionem; Ait namque impius ille Porphyrius, excitum ſe fama ipſius, Alexandriam, puerum fere, perrexiſſe, ibique eum vidiſſe jam ſenem: ſed plane talem tantumque qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet.*

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUÆ de libris Origenis ſinceris ſpuriiſque affirmavit hic P. Alexander, hæc omnia ſuffragio ſuo aſſeruit etiam noviſſimus editor operum Origenis Benedictinus P. Carolus Delarue, cujus opus prodiit Pariſiis dicatum Sum. Pont. Clementi XII. Hic vero monet in præfatione ſua ad Dialog. *De orthodoxa fide*, ſeu, ut ipſe inſcribit, *De recta in Deum fide*, opuſculum iſtud in MSS. præferre nomen Adamantii, conjicitque non abſque veri ſpecie alterius eſſe Adamantii ab Origene plane diverſi, quod utriuſque diſcrimen ex Theodoreto lib. 1. Hæretic. Fabul. c. 25. exculpit. Ita enim ibi auctor: *Plurimi contra hanc impietatem ſcripſere: Juſtinus, Theophylus &c. Origenes, & Rhodon, & Adamantius*; (*cerne hic Adamantium ab Origene diſtingui*) & in præfatione ad librum primum: *antiquarum hæreſum fabulas ex antiquis Eccleſiæ doctoribus collegi, Juſtino, & Irenæo, & Clemente, & Origene, & Euſebio, tum Paulæſtino, tum Fœniceo, & Adamantio, & Rhodone &c.* Quin & Sofronius Hieroſolymita in epiſtola ſynodica aſſeruit, teſte Photio in Cod. 231. alium eſſe Origenem antiquum, & alium, qui poſt illum vocatus eſt Adamantius. Profecto quidem Origenes

nes nunquam ſcripſiſſe potuit, ut legitur in ſect. 1. hujus opuſc. ætatis ſuæ Imperatorem omnia omnino oppoſita agere ac præcedentes: *melius & contra quam illi Imperatores, hic imperat. Nam quæ diſſiparunt illi, iſte reſtaurat; quos oderant illi, iſte diligit; quæ illi fana, & idola in honore habuerunt, hæc iſte ſubvertit.* Quis hic imperator plane Chriſtianus? Non ſane Philippus, cujus profeſſio ambigua eſt, num ſcilicet Pagana fuerit, vel Chriſtiana, neque delubria ſubvertiſſe uſpiam legimus. Fuit ergo Conſtantinus vel alius poſt ipſum, adeoque Dialogi auctor Origene recentior fuerit neceſſe eſt. Nec te moveat locus Philocaliæ, & ſubjecta illi adnotatio; ſunt enim multa quæ adnotationem hanc ab altero intruſam eſſe, quam ab ipſis Philocaliæ auctoribus Gregorio Nazianzeno & Baſilio, demonſtrant, nam c. 23. novæ editionis ſeu 24. vet. edit. ubi hæc leguntur non quidem Origenis nomen præfixum habet, ut cætera omnia capita, ſed deſumpta hæc notat ex Euſebii præparationis evangelicæ libro VII. Cur quæſo Baſylius & Gregorius hæc deſumpſiſſent ex lib. Euſebii, ſi præſto habebant ipſum Origenis Dialogum (nam ex Origene cætera acceperant) unde fragmentum hoc, velut ex ipſo fonte haurirent? Sive ergo ignotus erat dialogus Origenis Baſylio & Gregorio; ſive ſpurium reputarunt; unde illud quod in eo capite dandum erat, cum non ſuppeteret in operibus Origenis, ab Euſebio relato accepe-runt: niſi forte, quod credibilius eſt, totum hoc caput aliena manu obſtruſum eſſe reputaverimus.

ARTICULUS III.

De Ammonio, Julio Africano, & Sancto Cornelio.

I. AMmonius Alexandrinus Philoſophus Chriſtianus, Plotini, Longini, & Amelii Præceptor, in Fidei Chriſtianæ profeſſione ad obitum uſque conſtantiſſimus, falſo accuſatus eſt a Porphyrio, quod ejurata Chriſtiana religione ad ritus Ethnicorum defeciſſet. A qua calumnia ipſum vindicant Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 13. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, c. 66. Inter præclara ingenii ſui monumenta librum *De conſonantia Moyſi & Jeſu edidit, & Evangelicos Canones.*

Harmonia 4. Evangeliſtarum, dicta olim *Diateſſaron*, quæ in Bibliothecis Patrum ſæpius excuſa eſt, falſo præfert nomen Ammonii; eſt enim Tatiani Syri fœtus. Eſt vero Ammonii altera Harmonia adſcripta Tatiano. Occaſionem dedit errori Victor Capuanus Epiſcopus, qui huic Operi Præfationem adjunxit & Tatiano incaute ſuppoſuit Harmoniam ab Ammonio conſcriptam. Unde contigit ut quæ Tatiani erat, Ammonio deinde tribueretur. Hac autem nota dignoſci utraque facile poteſt, quod Tatianus ex ſua concordia expunxerit omnes Genealogias Chriſti, hæretica fraude: Ammonius vero illas Operi ſuo inſeruit. Denique Zacharias Chryſopolitanus Epiſcopus qui florebat anno 1157. Harmoniam ex Evangeliorum verbis contextam, a Præfatione Sancti Lucæ exordium ducentem, & Genealogias continentem, vindicavit Ammonio, doctiſſimiſque illuſtravit Commentariis. Floruit porro Ammonius circa annum Chriſti 222.

II. Julius Africanus Chronologus inſignis, ſub Marco Aurelio Antonino Eliogabalo Imperatore legationem obiit pro inſtauratione urbis Emmaus, quæ poſtea Nicopolis appellata eſt. Libros *Ceſtorum* compoſuit, ita inſcriptos propter argumentorum varietatem, numero 14. ſecundum Photium, & quinque Chronicorum libros ab exordio mundi ad Chriſti Adventum ſeriem temporum perducentes: & ab Adventu Chriſti uſque ad Macrini Imperatoris tempora rerum geſtarum ſummam repetentes.

Scripſit ad Origenem Epiſtolam *de Suſannæ Hiſtoria*, quam Apocryphan eſſe contendebat, tum quod in Hebraico Scripturæ textu non habeatur, tum quod cum Hebraica etymologia non conveniant τῆ σχίνῃ χίσαι, καὶ ἀπὸ τῆ πρίνῃ πρίσαι. Iſtud ferme unum ſupereſt tanti viri monumentum, præter nonnulla fragmenta quæ ex ejus Chronologia Euſebius, & Sanctus Hieronymus in ſuis lucubrationibus interdum protule-

tulerunt. Ejus tanti ponderis visa est Sancto Augustino auctoritas, ut ejus opinionem de duobus Patribus Joseph, altero naturali, scilicet Jacob, altero legali, scilicet Heli, sequi maluerit, quam quod dixerat in libris contra Faustum, quos dum scriberet, Julii Africani Opus nondum legerat: Unius scilicet natura, alterius adoptione fuisse filium. Quam sententiam emendat lib. 2. Retractationum, cap. 7.

Scripsit etiam Epistolam ad Aristidem, in qua repugnantiam quæ videtur esse in Genealogia Christi Salvatoris secundum Matthæum & secundum Lucam, exponebat, & solvebat. Hæc Epistola desideratur. Quæ de hoc Auctore diximus, deprompta sunt ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 24. ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 74. ex Photio in Bibliotheca, Codice 34. Non audiendi porro, qui duos Africanos fingunt, Lybium unum, Gentilem, Cestorum Auctorem, qui *Cestus* cognominatus sit; alterum Palæstinum, Christianum, Chronologiæ, aliorumque Operum, quæ mox recensuimus, Scriptorem. Uni enim eidemque Cesto, & alias lucubrationes, Eusebius, Sanctus Hieronymus, & Photius vindicant. Lybia oriundus esse potuit, ut ait Suidas, nec reclamat Eusebius, qui ejus patriam silet: in Palæstinam postmodum migrare, Emmaunte morari, & legationem obire; *Cestus* denique ob libros Cestorum appellari, quemadmodum Clemens Alexandrinus ob libros Stromatum, *Stromateus* interdum nuncupatus est.

III. Sanctus Cornelius Romanus Pontifex, quatuor Epistolas dedit ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum (Flavianum S. Hieronymus appellat.) Posteriòris quæ de Novatianæ hæreseos causis ac damnatione agebat, Fragmentum extat apud Eusebium, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 35. Extant duæ aliæ ad Sanctum Cyprianum datæ, quæ inter ejus Epistolas recensentur 46. & 48. Ipsi affictæ sunt ac suppositæ Epistolæ duæ, quæs Conciliorum editiones ex Isidori Mercatoris officina repræsentant. Prima inscribitur. *Charissimis atque dilectissimis Fratribus, sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, & omnibus Domino recta fide famulantibus*. Et corpora Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, rogante Lucina muliere nobili, de Catacumbis elata mentitur. Altera data fingitur ad Rufum, nescio quem, nec cujus loci, Episcopum. Hujus suppositionem probant sacræ Scripturæ secundum Versionem Vulgatam citatio, & sententiæ ex Actis Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, ex Concilio Carthaginensi I. ex Epistola de vita Clericorum ad Oceanum sub nomine Sancti Hieronymi, ex Concilio V. Romano sub Symmacho, ex Sancto Ambrosio Epistola 20. & aliunde corrogatæ. Ipsi quoque suppositа est Epistola ad Lupicinum Viennensem Episcopum, cujus nullus Veterum meminit. Vivere desiit Sanctus Cornelius anno 253. De eo agit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 77.

ARTICULUS IV.

De S. Cypriani, & Pontii Diaconi lucubrationibus.

I. SAnctus Cyprianus, Presbytero Cæcilio suadente, a quo & Cæcilius cognominatus est, Christo nomen dedit, cum antea Ethnicus esset, Carthaginensis Episcopus copsecratus est an. Christi 248. Martyrium obiit sub Valeriano, ejusque filio Gallieno, Romanis Imperatoribus, anno Christi 258. Ejus Vitam Pontius ejus Diaconus, qui illius fuit in exilio ad ejus usque Martyrii diem comes, conscripsit. Præfixa est ejus Operibus in Editione Pamelii. Ejusdem Martyris sanctissimi Laudes celebrarunt Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Oratione* 18. Sanctus Hieronymus in Catalogo, in Epistola ad Paulinum, & ad Magnum Oratorem Romanum, in Commentario ad cap. 51. Isaiæ, & in cap. 4. Jonæ, Sanctus Augustinus in Sermonibus habitis in Natali Sancti Cypriani, S. Paulinus in Natali 11. Prudentius Hymno 4. Vincentius Lirinensis Commonitorio 1. cap. 11. Sanctus Maximus Taurinensis, & Sanctus Petrus Chrysologus in sermonibus, Ennodius Ticinensis in Hymnis, Sanctus Fulgentius in Sermonibus, Cassiodorus lib. Divinarum Lectionum, cap. 19. & 28. Facundus lib. 10. cap. 3. & alii.

S. Cypriani Opera dubia.

II. Dubia Sancti Cypriani, ac suppositicia Opera studiosis viris indicare operæ pretium est. Libros *de Spectaculis*, *de Disciplina & bono Pudicitiæ*, *de Laude Martyrii ad Moysem & Maximum Confessores*, & *ad Novatianum*, Erasmus propter nonnullam styli dissimilitudinem S. Cypriano abjudicat. Refragatur Pamelius. Dubii certe sunt, quamvis S. Cypriano non prorsus indigni.

Liber De Cardinalibus Operibus Christi, *non est S. Cypriani, sed Arnoldi Abbatis Bonævallis, qui anno Christi circiter* 1160. *vixit.*

III. Liber de Cardinalibus Operibus Christi ad Cornelium Papam 12. Sermones complexus, scilicet de Nativitate, De Circumcisione Christi, de Stella & de Magis, de Baptismo Christi, de ejus Jejunio & tentationibus, de Cœna Domini, de ablutione pedum, de Unctione Chrismatis, de Passione, de Resurrectione, de Ascensione Christi, & de Sancto Spiritu, non est S. Cypriani: Nec enim vetera MSS. Cyprianicorum Operum illum exhibent, nec stylus Cyprianum sapit, nec doctrina Cyprianicæ consonat. Convenitne enim, amabo te, cum Cypriani sententia de Baptismo Hæreticorum iterando, quod habetur in Sermone de Baptismo Christi? *Christum baptizatum a servo, ne conservi conservorum ministerium detrectarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur, quoniam sive Judas, sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit, & delet. Sic Rachel & Lia, Balam, & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex uteris ancillarum.* Denique Codex MS. Oxoniensis Collegii omnium Animarum hunc librum repræsentat sub nomine Arnoldi Bonavillarensis Abbatis, ad Hadrianum Papam: unde hunc, Arnoldo Abbati Bonævallis in Diœcesi Carnotensi, qui tempore Hadriani IV. floruit Eruditi consentiunt adscribendum.

Liber De Aleatoribus, *non est S. Cypriani.*

IV. Liber *de Aleatoribus*, nequaquam genuinus est Sancti Cypriani fœtus. Ejusque stylus non est ita facilis, nitidus & elegans, ac Cyprianicus. Auctor Novatianorum errori favet his verbis: *Nam qui delinquit in Deum, nulla fit excusatio, nec indulgentia ulla, & nemini venia datur.* Denique incredibile est quod tempore S. Cypriani, quo fervebat persecutio, quo ad sacra ministeria viri inculpatæ, & probatissimæ vitæ assumebantur, tanta Clerum invasisset corruptela, ut Sacerdotes alea vulgo luderent; quod in iis vitium Auctor istius libri gravius perstringit, ut in cæteris Christianis.

Liber De Montibus Sina, & Sion, *non est S. Cypriani.*

V. Liber *de Montibus Sina & Sion*, *adversus Judæos*, Sancto Cypriano perperam inscribitur in Codicibus quibusdam MSS. quos Pamelius appellat. Nec enim S. Cypriani ingenium, eruditionem, & elegantiam refert hujus libri stylus; nec Hebraicorum nominum interpretationes Cyprianus afferre solet, quod præstat Auctor hujus libri: denique *Filium Dei Spiritum Sanctum* Cyprianus non dixisset, quod hujus Operis Parens scripsit: *Ita invenimus*, inquit, *ipsum Salvatorem per Salomonem speculum immaculatum Patris esse dictum, eo quod Spiritus Sanctus Dei Filius geminatum se videat; Pater in illo, & Filius in Patre, utrique se in se vident, ideo speculum immaculatum.*

Carmina S. Cypriano supposita.

VI. Carmen inscriptum *Sodoma*, carmen aliud *Ad Senatorem Apostatam*, & Hymnus *de Pascha Domini*, falso S. Cypriano adscribuntur. Hymnum illum quædam MSS. Victorino tribuunt.

VII. Orationes duæ, una *Pro Martyribus*, altera quam dixisse fertur Cyprianus *In die Passionis suæ*, dubiæ sunt Erasmo. Eas vero tum ex styli convenientia, tum ex Codicum MSS. fide S. Cypriano vindicat Pamelius.

Liber De Singularitate Clericorum, *S. Cypriano suppositus.*

VIII. Liber *de singularitate Clericorum*, indignus est S. Cypriano propter vocum barbariem. Nusquam enim leges in germanis Cypriani Operibus duras illas & impuras voces, *inordinaliter*, *contubernaliter*, *conjugalitas*, *vulgaritas*, *absentare*, *ancillare*, & alias hujusmodi. Hunc librum Origeni quidam adscripserunt, sed falso. Nam incredibile est Origenem, qui cum puellis assidue versabatur, quique earum operam suorum ad exscriptionem utebatur librorum, proprio Opere coarguisse contubernium Clericorum cum mulieribus. Perperam etiam tribuitur S. Augustino tum in Codice Corbejensi, tum a Philippo Abbate Bonæ Spei, in lib. de Continentia Clericorum, cap. 67.

Alia Opera S. Cypriano supposita

IX. Expositio in Symbolum Apostolorum olim S. Cypriano adscripta, Ruffino Aquilejensi Presbytero, legitimo Auctori restituta est.

X. Li-

X. Liber ad Vigilium, de Judaica incredulitate, eſt Celſi cujuſdam in altercationem Jaſonis, & Papiſci Præfatio. Jaſo Hebræus erat gente, religione Chriſtianus; Papiſcus vero Patria Alexandrinus, religione Judæus. Diſputationem inter ſe habuerunt, quam ſe Græce legiſſe Nicolaus Faber teſtatur. Hujus altercationis meminit Origenes libro 4. contra Celſum, dicens: *Quod ſi quis æquiore animo Jaſonis & Papiſci Scripta perlegerit, profecto comperiet non irridendum eſſe librum, in quo Chriſtianus ex Judaicis Scriptionibus cum Judæo diſputans deſcribitur, & plane demonſtrans, quæ de Chriſto extant vaticinia, Jeſu ipſi congruere.* Hanc diſputationem Græco ſermone exaratam Latinitate donavit quidam Celſus, & Verſioni ſuæ hanc Præfationem adjunxit, & Vigilio Epiſcopo nuncupavit; quem Vigilium Tridentinum Epiſcopum fuiſſe veriſimile eſt, Martyrio coronatum, ut illi prædixit hujuſce Præfationis Auctor. Porro cum Vigilius ille vixerit S. Ambroſii tempore, liber de Judaica incredulitate Cypriani eſſe non poteſt.

XI. Liber *Adverſus Judæos qui inſecuti ſunt Chriſtum*, Cypriano adjudicatur omnium Eruditorum conſenſu; uti & Liber *de revelatione capitis B. Joannis Baptiſtæ*: qui Auctoris longe recentioris eſt, cum meminerit Pipini Regis Aquitanorum. Librum *de duplici Martyrio*, Cypriani non eſſe in confeſſo eſt apud Eruditos, cum Diocletiani Imperatoris, & Belli Cæſarei contra Turcas in eo mentio fiat.

XII. Liber *de duodecim Abuſionibus Sæculi*, non eſt S. Cypriani. Id probat ſtyli immenſa diverſitas, Scripturæ ſacræ juxta Verſionem S. Hieronymi citatio; cenſorium Trithemii, & omnium jam Eruditorum judicium. Fluxa igitur hac in parte Jonæ Aurelianenſis in lib. de Inſtitutione Regia, cap. 3. Gratiani, Ivonis Carnotenſis, & MSS. Anglici, Dumenſis, & Colonienſium Codicum fides, qui Opuſculum iſtud S. Cypriano adſcribunt; S. Auguſtino non veriùs adſcriptum eſt ab aliis. Extat etiam in Appendice Tomi 9. ipſius Operum, & incerti Auctoris fœtus a Theologis Lovanienſibus pronuntiatur. Pamelius Ebradi cujuſdam, aut Joannis Climaci eſſe ſuſpicatur. Sed ariolari non placet.

XIII. Denique *Cœna*, S. Cypriano falſo adſcripta eſt. Hujus Libelli Auctor geſta Hiſtorica utriuſque Teſtamenti ſub Schemate Cœnæ cujuſdam in compendium redigere tentavit, infeliciter prorſus ac ridicule. Italum fuiſſe conjicit Pamelius, quod vina Italica omnis generis ac ſaporis nota habuerit. *Paſſum*, inquit, *bibebat Jeſus, Marſicum Jonas, Surrentinum Pharao, Pellinum Adam, Gaditanum Moyſes, Creticum Iſaac, Adrianum Aaron, Arbuſtinum Zachæus, Arſinum Thecla, Albenſe Joannes, Campanum Abel, Siguinum Maria, Florentinum Rachel.* Libellus eſt nullius plane pretii: quem proinde MSS. Dunenſe, & Tornacenſe S. Nicolai, perperam Sancto Cypriano adſcribunt.

Epiſtolam 67. S. Cypriani ad Stephanum Pontificem Maximum datam, de Marciano Arelatenſi Epiſcopo Novatiano, immerito quidam abjudicant S. Cypriano, ut oſtendimus Tom. 1. in Diſſertatione de Exordio Prædicationis Evangelicæ in Galliis.

Libri de Unitate Eccleſiæ *Integritas contra Heterodoxos Criticos vindicatur.*

XIV. Liber *de Unitate Eccleſiæ* a quibuſdam inſcriptus, *de ſimplicitate Prælatorum*, ab omnibus quidem agnoſcitur ut Sancti Cypriani genuinum Opus. Sed ejus auctoritatem elevare conantur Heterodoxi Critici, quod eorum profliget errores contra ſacram Eccleſiæ Monarchiam, & Sancti Petri Primatum. Hunc itaque librum interpolatum eſſe audacter aſſerit Rivetus, & inſertis quibuſdam adulterinis ſententiis deformatum. Hæc aſſuta eſſe contendit. *Et illi paſcendas mandavit oves ſuas.* Rurſus, *Unam conſtituit cathedram.* Item. *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia monſtretur*, Et, *Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit.* Quæ verba, inquit, in variis MSS. Exemplaribus non habentur. In cauſæ tam deſperatæ patrocinium vocatur a Riveto Poſſevinus: qui in ſuo Apparatu Elenchum eorum, quæ in Opuſculo Cypriani de unitate Eccleſiæ ſunt vel addita, vel detracta, vel lapſu Typographi, vel alio prorſus modo ſuppoſita, diligenti quatuor MSS. Codicum, qui in antiquis Catholicorum Bibliothecis in Anglia extabant, collatione cum excuſis, notavit.

Verum licet varias lectiones plurimorum Codicum eſſe non negem, ſententiis tamen

men diversas esse inficior. Sola & levis quidem verborum variatio est, casuum, modorum, particularum, cum qua stat integerrimus ubique sensus. Vel si quæ sententiæ a nonnullis MSS. absint, in aliis optimæ notæ leguntur, Certe licet hæc verba, *Et illi pascendas mandavit oves suas*, a MSS. omnibus abessent, idem esset Cyprianicæ sententiæ sensus, secundum 4. MS. Anglicanum, & veteres excusos; siquidem ita habent: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam .... Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super unum ædificavit Ecclesiam.* Hæc vero verba, *Unam Cathedram constituit*, repræsentat Cambronensis Codex MS. ut & sequentia: *Primatus Petro datur*, &c. & Codices MSS. antiquissimi, quibus usus est Manutius, quorum unus 900. annorum erat, necnon Codex quo doctissimus Cardinalis Hosius usus est. Perperam itaque Rivetus hæc assuta queritur, cum potius mutilos esse Codices, quibus hæc desunt, perspicuum sit. Denique ultimum locum exhibet Codex Cambronensis, cujus lectionem confirmat Gratianus Distinct. 43. cap. *Qui Cathedram*. Cæterum quam sint consona ista verba, quæ ascititia esse pugnat Rivetus, Cyprianicæ doctrinæ, constabit, si cum aliis conferantur certissime Cyprianicis, quæ ad probandum Sancti Petri Primatum, in Dissertatione singulari ea de re edita protulimus. Observatione dignum est, *Pelagium* II. Epistola 6. quæ secunda est ad Episcopos Istriæ, hæc ipsa testimonia, quæ Hæterodoxi Critici in *Sancti Cypriani* textum intrusa, vel interpolata asserunt, ut genuina illius verba proferre. *Sed & Beatus Cyprianus* (inquit) *egregius Martyr, in libro quem de Unitatis nomine tetulavit, inter alia sic dicit:* EXORDIUM *ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra monstretur: & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis unanimi consensione pascatur ... Et post pauca:* HANC *Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?*

XV. In Sancti Cypriani Operibus cavendus est error de rebaptizandis Hæreticis, propter quem unum Gelasius in Romana Synodo ea in Apocryphorum censum retulit. De quibus S. Augustinus libro 2. contra Cresconium, cap. 32. sic loquitur: „ Ego „ hujus Epistolæ (*ad Jubajanum*) auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non „ Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scri„ pturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, „ cum pace ejus respuo. Ac per hoc si ea quæ commemorasti ab illo ad Jubajanum „ scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum Canonico recitares, quod om„ nino contradicerem, non haberem. Nunc vero quoniam Canonicum non est quod „ recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem con„ sequi non valeo, cujus multis literis scripta mea non comparo, cujus ingenium di„ ligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus Martyrium veneror, hoc „ quod aliter sapuit, non accipio. Non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæ„ reticis, & Schismaticis Beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accepit, pro „ qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit. “

S. Cypriani stylus.

XVI. Cyprianici styli characteres præclare describit Lactantius libro 5. Divinarum Institutionum, cap. 1. ubi defensores Christianæ veritatis commendans, hæc habet: „ Unus igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus, qui magnam sibi gloriam ex „ artis Oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa conscripsit, in suo genere „ miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, & (quæ sermonis est maxima „ virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo, an facilior „ in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit. Hic tamen placere „ ultra verba, Sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt quæ lo„ cutus est, & ad id præparata ut a solis Fidelibus audiantur. Denique a doctis hu„ jus sæculi, quibus forte Scripta ejus innotuerunt, derideri solet. Audivi ego quem„ dam hominem, disertum sane, qui eum immutata una litera Coprianum vocaret, „ quasi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contu„ lisset.

„ liſſet. Quod ſi accidit hoc ei, cujus eloquentia non inſuavis eſt, quid tandem pu-
„ temus accidere illis, quorum ſermo jejunus eſt, & ingratus, qui neque vim per-
„ ſuadendi, neque ſubtilitatem argumentandi, neque ullam prorſus acerbitatem ad
„ revincendum habere potuerunt?

ARTICULUS V.

De Sancto Gregorio Neocæſareenſi.

SANCTUS GREGORIUS NEOCÆSAREÆ in Ponto Epiſcopus, ob innumera miracula Thaumaturgi promeritus nomen eſt. Cum Athenodoro fratre Præceptorem audivit Origenem, cui & Panegyricum dixit in grati animi monumentum. Extat inter ipſius Opera. Anno 240. a Phædimo Amaſeenſium Epiſcopo Neocæſareæ in Ponto Antiſtes creatus eſt, modo plane mirabili. Cum enim Epiſcopos fugeret, ne ad Sacerdotii faſtigium proveheretur, Sanctiſſimus Præſul ipſum tridui itinere abſentem mente intuitus, erectis ad Deum oculis, divinaque gratia implorata loco manuum impoſitionis illi ſermonem adhibuit, ac dictæ Civitatis deſignavit Epiſcopum (ut teſtatur Sanctus Gregorius Nyſſenus in ejus Vita.)

Ne tamen ipſum exiſtimes abſentem, & invitum fuiſſe conſecratum Epiſcopum, addit Sanctus Gregorius Nyſſenus, ipſum, peractis circa ſe ſolemnibus, quæ ex more celebrari ſolent, id eſt ſacris ritibus Epiſcopalis Ordinationis, commiſſi ſibi Gregis curam ſuſcepiſſe. 17. dumtaxat Chriſtiani Neocæſareæ erant, cum Epiſcopus illius urbis conſecratus eſt. 17. ſupererant Ethnici, cum migravit e vita. Tam feliciter ea in Eccleſia laboravit. Interfuit primo Concilio Antiochono adverſus Paulum Samoſatenum. Obiit 17. Novembris, anno Chriſti 265. Lege ejus Vitam a Sancto Gregorio Nyſſeno conſcriptam. Legendus & Euſebius libro 6. Hiſtoriæ, cap. 23. Sanctus Baſilius de Spiritu Sancto cap. 29. Socrates libro 4. cap. 22. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 76.

Expoſitio Fidei, *genuinum eſt S. Gregorii Neocæſareenſis Opus.*

II. Ejus genuinum eſt Opus brevis Expoſitio Fidei, quam per revelationem a Beata Virgine, & a Sancto Joanne Evangeliſta accepit, teſte Sancto Gregorio Nyſſeno, qui eam integram refert in ejus Vita. Incipit his verbis: *Unus Deus, Pater Verbi viventis, Sapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ, ac characteris ſempiterni: Perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti.* Eamdem refert Rufinus libro 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii Latinitate a ſe donatæ, cap. 25. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in libro de Synodis & de ortu hæreſum, ad Anthimum Diaconum, eamdem recenſet. Ejus quoque verba laudarunt Apocriſarii Gregorii Noni Pontificis Maximi ad recentiorem Germanum Patriarcham pariter Conſtantinopolitanum, alioſque Græcos. Refertur denique in Collectione MSS. Iſidori Mercatoris, Henrici Juſtelli.

Expoſitio Fidei ad Ælianum *S. Gregorio Neocæſareenſi ſuppoſita eſt. Inſcribebatur Expoſitio illa Fidei, ad Ælianum hominem Ethnicum.*

III. Alterius Expoſitionis Fidei a S. Gregorio Thaumaturgo editæ meminit Sanctus Baſilius Epiſtola 64. ad Neocæſareenſes, cujus illi verba proferebant ad peſtilentiſſimum Sabellii errorem adſtruendum. Hanc eſſe Gregorii Baſilius non negavit, ſed ipſius verba commoda expoſitione emollire conatus eſt. Dixiſſe Gregorium jactabant, *Patrem & Filium juxta mentis, quidem conſiderationem duos eſſe, hypoſtaſi vero unum.* Reſpondet Sanctus Baſilius, *Hoc non dogmatice ſed contentioſe in diſputatione adverſus Ælianum dictum eſſe: in qua concertatione multi ſunt eorum, quæ deſcripta ſunt, lapſus: quemadmodum, ſi Deus volet, ex ipſis verbis oſtendemus. Deinde cum Gentilem ad fidem adducere niteretur, non exiſtimabat ſibi circa verba exactius diſceptandum eſſe: ſed alicubi conſuetudini ejus, quem ad fidem induceret, nonnihil condonandum: ne forte principalibus ac neceſſariis reluctaretur. Quapropter & multas invenias illic voces, quæ jam Hæreticis plurimum addant roboris, utpote creatura, & factura, & ſi quid aliud ejuſmodi eſt. Invenias etiam multa, quæ ad hominis conjunctionem pertinent: quæ ad Divinitatis rationem referunt, qui imperite, quæ ſcripta ſunt, audiunt: quale & hoc ipſum eſt, quod ab iſtis circumfertur.*

Verum Expoſitio illa Fidei ad Ælianum, videtur ſub nomine S. Gregorii a Neocæſa-

cæsareensibus Sabellianis conficta, qui cum accepissent ex traditione Majorum, illum cum Æliano congressum fuisse, Expositionem Fidei a sanctissimo Antistite illi factam commenti sunt: vel exceptam forte a Notariis Gregorii cum Ethnico homine disputationem, interpolarunt, ac vulgaverunt ad sui patrocinium erroris. Quidni enim hoc ausi, qui fidem subvertere, & Sabellii suscitare hæresim sunt conati? qui Sancti Gregorii traditionem posthabuerunt Successorum ipsius suffragiis roboratam? qui calumniis illustrem Sancti Basilii immortalemque famam prosciderunt? Horum porro criminum reos esse Neocæsareenses ad quos scribit, Sanctus Basilius testatur: *Hoc studiose agitur apud vos*, inquit, *ut fides subvertatur, idque subversione Apostolicis, & Evangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni Magni revera Gregorii, & eorum qui illum ex ordine subsecuti sunt, ad beatum usque Musonium, cujus dogmatum recentem esse etiamnum apud nos memoriam, manifestum est. Sabellii namque pestem, olim quidem motam, traditione vero Magni Gregorii consopitam, renovare conantur: qui ne deprehendantur, & convincantur, ista contra nos somnia confinxerunt.*

Conjecturam nostram roborat Leontii Byzantini auctoritas, libro de Sectis Actione 8. ubi de Eutychianis hæreticis hæc habet: *Proferunt nobis & aliam quamdam Auctoritatem Sancti Gregorii, quem prodigiorum effectorem nominamus, ex illius Confessione Fidei seorsum exposita. Non duas personas, inquit, non duas naturas: quia non adoranda sunt quatuor, &c. Ad hoc quoque respondemus*, ait Leontius, *Primum de hac itidem dubitatum apud Antiquiores, an sit Gregorii. Deinde Gregorius Nyssenus Orationem de illo prodigiorum Effectore funebrem scribens, nullum ait Opus ipsius in manibus esse, præter solam Fidem, quam in visione conspexerit.*

Silet quidem de aliis Sancti Gregorii Neocæsareensis Operibus Sanctus Gregorius Nyssenus in ejus Vita, sed si inde colligat Leontius nullum aliud Opus ab ipso fuisse conscriptum, is certe longe a veritate aberravit. Nam & Orationis Panegyricæ ac Eucharisticæ, quam Origeni dixit, & Metaphrasis in Ecclesiastem, & quarumdam Epistolarum ab ipso conscriptarum meminit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: Sed alterius Expositionis Fidei ab illa, quam ex revelatione accepit, nec meminit Sanctus Gregorius Nyssenus, nec alii post ipsum meminere. Sanctus quidem Basilius ad Neocæsareenses scribens, illam memorat ad Ælianum; verumtamen ex propria sententia hanc ipsi non adscribit, sed ex illorum fide qui ipsam ad stabiliendum Sabellianismum obtrudebant: quos impostura cum non posset convincere, maluit benigna interpretatione mollire sententiam, quam nomine Sancti Gregorii proferebant, quam negare Expositionem Fidei, ex qua decerpta ferebatur, esse genuinam admirabilis Antistitis.

Non est tamen certum, Expositionem Fidei, ex qua Hæsitantes Hæretici adversus duarum in Christo naturarum fidem pugnabant, & de qua loquitur Leontius, eamdem esse cum illa de qua inter Sanctum Basilium & Neocæsareenses quæstio fuit. Illud unum certum est, illos Hæreticos Sanctorum Patrum Scripta temere violasse, & multos Apollinarii libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo, & Julio inscriptionibus mutatis, supposuisse, ut testatur Evagrius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 31.

Sed etsi Expositio illa Fidei ad Ælianum, quam venditabant Neocæsareenses, fuisset Sancti Gregorii Thaumaturgi, non propterea Sabellianis favisse dici posset. Filium namque hypostasi unum cum Patre dicens, hypostasim pro essentia usurpasset, quæ erat apud Grammaticos omnes hujus vocis notio (Sancto Hieronymo teste) *Tota* inquit, *Sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim nisi οὐσίαν nōvit*: Patrem igitur unum dixit essentia cum Filio, non persona, & sola animi cogitatione distingui essentiam divinam prout in Patre est, & prout communicata est Filio. At realem personarum distinctionem ipsum agnovisse constat ex Fidei expositione, quam per revelationem accepit. Unde merito Sanctus Basilius scripsit, Neocæsareenses Sabellianos Traditionem Magni Gregorii convellere.

Alia Fidei Expositio pariter supposita Gregorio Neocæsareensi.

IV. Alia Fidei Expositio quæ κατὰ μέρος πίστις dicta est, id est, Expositio fidei per partes, sive singularium quorumdam fidei dogmatum explanatio, quam sub Sancti.

cti Gregorii Thaumaturgi nomine Franciſcus Turrianus Societatis Jeſu primum, deinde Gerardus Voſſius ediderunt, ſuppoſititia eſt, & Sancto Gregorio Thaumaturgo longe recentior. Ariana hæreſi poſterior Auctor ejus eſt, ſiquidem ſe Communionem eorum execrari profitetur, *Qui rejiciunt ὁμοούσιον tamquam alienum a Scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum eſſe, & ab una divinitate ſeparant*. Immo poſt Concilium Conſtantinopolitanum, & damnatam Macedonii, Spiritus Sancti divinitatem impugnantis, hæreſim Expoſitio illa conſcripta eſt, ut conſtat ex his verbis: *Eos vero qui vel Filium, vel Spiritum Sanctum, creaturam dicunt, anathematizamus*.

Poſteriorem eſſe Neſtorii hæreſi & Epheſina Synodo evincunt hæc verba: *Et quia nonnulli turbas nobis excitarunt, nitentes evertere fidem noſtram in Chriſtum Dominum noſtrum, non confitentes Deum eſſe incarnatum, ſed hominem Deo copulatum: idcirco Confeſſionem edimus de fide, quam diximus, rejicientes contradicentium perfidiam. Deus enim humana carne incarnatus, puram habet propriam operationem, cum ſit mens paſſionibus animę & carnis invicta, & carnem ac carnis motus divine ac ſine peccato moderans. Qui non ſolum a morte teneri non potuit, ſed etiam mortem delevit: & eſt Deus verus, qui carnis expers in carne apparuit perfectus vera & divina perfectione, Non duę perſonę, neque duę naturę, nec enim quatuor adorari dicimus Deum, & Filium Dei, & hominem, & Spiritum Sanctum*.

Hæc ultima verba cum objicerent hæſitantes hæretici contra fidem duarum in Chriſto naturarum, conficta erat ſub nomine S. Gregorii Neocæſareenſis iſta Fidei Expoſitio Leontii temporibus, id eſt ſæculo ſeptimo ineunte, vel ſexto cadente.

Capita XII de Fide non ſunt S. Gregorii Neocæſareenſis.

V. *Capita duodecim de fide*, ſubjecto ſingulis capitibus anathemate ſuo, & appoſita uniuscujuſque capitis interpretatione, non ſunt S. Gregorii Neocæſareenſis. Apollinarii namque, Neſtorii, & Eutychetis errores cum percellant, ac tanta perſpicuitate fidem Incarnationis Dominicæ exponant, quanta expoſuerunt Patres, qui poſt illarum originem, atque damnationem hæreſum ſcripſere: longe poſt S. Gregorii Thaumaturgi ætatem edita eſſe neceſſe eſt. Nec contrarium probat antiqua Collectio auctoritatum de duabus in Chriſto naturis, quæ in veteribus Bibliothecis reperitur, in qua pleraque illorum capitum, & anathematiſmorum ſub nomine S. Gregorii Thaumaturgi laudantur. Hæc enim collectio probat quidem ſanctiſſimo illi Patri jam ab antiquo ſuppoſitum fuiſſe iſtud Opuſculum; ſed genuinum illius fœtum eſſe non ſuadet.

VI. Tres Homilias in Annuntiationem Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, & alteram in S. Theophania, ſive de Apparitione Dei, & Chriſti Baptiſmo & Diſputationem de Anima ad Tatianum, Veterum ſilentium ſuſpectæ fidei reddit. Nullum tamen eſt argumentum quod probet iſtas Homilias S. Gregorio Thaumaturgo eſſe abjudicandas. Joculare enim plane eſt, & inſalſum quod ex Perkinſio refert Rivetus, Vitas Sanctorum, Lectiones & Hymnos eorum Feſtis convenientes, primum a Carolo Magno conſtitutos eſſe, circa annum Chriſti 807. Sed eſto, ætate primum Caroli Magni Hymni, & Lectiones editæ eſſent, atque in Eccleſia cantari cœptæ: ſequereturne Incarnationis Dominicæ, & Epiphaniæ ac Baptiſmi Chriſti Myſteria ſingulari Solemnitate quotannis celebrata non fuiſſe, ad recolendam beneficiorum humano generi in iis Myſteriis collatorum memoriam? Quod ſi Feſtivitates illæ celebratæ ſint: cur non & Synaxes, ac ſacri conventus habiti in quibus Epiſcopi Sermones ad populum Chriſtianum haberent, quibus de tantorum Myſteriorum dignitate edoceretur, & ad pietatem excitaretur?

Diſputatio De Anima non eſt S. Gregorii Neocæſareenſis.

VII. Verum *Diſputatio de Anima*, non ſolum dubium Gregorii Thaumaturgi, ſed ſpurium plane cenſetur Opus. Quæſtiones enim, & argumenta complectitur mere Philoſophica, & Scholaſtica: nec iis concepta verbis eſt, quæ priorum ſæculorum ſcriptiones ſapiant. Unde Scholaſticorum ætate a Græco quodam otioſo compoſita videtur & S. Gregorio ſuppoſita, ut tanti nominis fama ipſi conciliaret auctoritatem. Alii S. Maximo Diſputationem illam ſuppoſuerunt, eamque ſub ejus nomine exhibent plures MSS. Codices: Verum nec illius ſtylum, etſi valde Scholaſticum redolere videtur.

Epistola Canonica S. Gregorio Neocæsareensi vindicatur.

VIII. *Epistola Canonica de iis qui in Barbarorum incursione Idolothyta comederant, & alia quædam peccata commiserant*, est genuina S. Gregorii Neocæsareensis, omnium orthodoxorum, tum Græcorum, cum Latinorum judicio. Hanc ipsi adscribit Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui vixit sub finem sæculi 12. cujus & in eam Scholia extant. Eamdem illi vindicat Trullana Synodus Canone 3. cum Canones S. Gregorii Neocæsareæ Episcopi Thaumaturgi suscipit, & observari cum aliis jubet. Congruit Sanctissimi illius Patris tempori, quo Gothi & Boradi inter alias Asiæ & Græciæ Provincias, per Pontum quoque longe lateque sunt grassati, Gallieno imperante, ut Trebellius Pollio testatur: quod etiam referunt inter Scriptores Ecclesiasticos Paulus Orosius lib. 7. cap. 22. S. Augustinus Epistola 80. ad Hesychium data, & Sozomenus lib. 2. cap. 5. Itaque cum hæc Barbarorum incursio multorum criminum occasio Christianis extitisset, S. Gregorius Neocæsareensis de nonnullis consultus ab aliquo suorum Coepiscoporum, eorum emendationi prospexit hacce Epistola, Canonesque edidit, quibus de singulis dixit sententiam, & pœnitentiam decrevit in eos, qui gravioribus illis peccatis constricti essent.

Hæc Gothorum in Asiam incursio contigit anno 9. imperii Galieni, Christi 263.

Canonum illius Epistolæ Synopsis.

Constat undecim Canonibus hæc Epistola. Primus captivos, qui Idolothyta sibi a Barbaris, quorum in potestatem inciderant, apposita comederant, absolvit. Mulieres quarum castitati iidem illuserant, si castam, & ab omni suspicione alienam vitam antea duxissent, pœnitentiæ legibus non esse subdendas decernit: si vero antea perditæ fuissent, & damnatæ vitæ, & fornicatione castitatem fœdavissent suam, vult eas ab Orationum communione excludi.

Canon secundus perstringit immanem avaritiam eorum, qui ex aliorum calamitate lucri captarunt occasionem, & proximorum a Barbaris interfectorum, vel in captivitatem abductorum bona invaserunt. Et ait: si qui propter effrænem avaritiam, pacis tempore, gravissimas pœnas subeunt; multo magis divinam ultionem provocare, qui tempore barbaricæ incursionis fortunas suas augent ex sanguine & pernicie everorum hominum captivorum, interfectorum.

Canon tertius istius sceleris gravitatem ostendit exemplo Achan, cujus furtum iram Dei in universum populum Israeliticum concitavit, quia rem Deo dicatam furatus est. Ait, Deo dicatum esse quidquid non nostrum, sed alienum est, & magis reos esse qui bona fratrum prædantur, quam Achan qui bona hostium prædatus est.

Canon quartus occurrit excusationi eorum qui dicebant se bona proximorum deserta inveniisse, non ea vi aut dolo invasisse: & ostendit ex Scripturæ sacræ verbis, Deuteronomii 23. & Exodi 23. eos restitutionis lege teneri. Porro *Si ab eo qui in pace, & in otio delicate vitam transigit, vel etiam ab inimico, non licet lucrari, quanto magis ab eo, qui rebus adversis premitur, & fugit, & necessitate coactus, propria relinquit?* (ait S. Gregorius.)

Canon quintus percellit eos, qui pro bonorum in communi clade amissorum resarcienda jactura, se aliena, quæ invenerant, jure posse retinere arbitrabantur. In eos vult inquiri, & Communione precum abdicari.

Canon sextus eorum immanitatem damnat, qui captivos, postquam e Barbarorum manibus evasissent, vi retinebant, & altera quasi captivitate premebant.

Septimus eos, qui cum Barbaris societatem inierunt, & inter eos nomen dedere, & in Christianos fratres suos sævierunt, aut Barbaris vias, vel domos Fidelium indicarunt, etiam ab Auditione arceri jubet, donec congregatis Episcopis aliquid de iis communi judicio fuerit statutum.

Octavus alienarum domorum invasores tempore Barbaricæ incursionis, si accusati convictique fuerint, nec in Audientium ordinem admittendos esse decernit ab Ecclesia. Si vero sponte confessi fuerint, & restituerint res alienas, in gradu substrationis collocandos.

Nonus eos, qui res a Barbaris in campo, aut in ædibus relictas invenerunt ac retinuerunt, convictos, vult inter Pœnitentes substerni: Confessos vero in gradum Consistentiæ recipi, & precum donari Communione, modo restitutionis officium impleverint.

Deci-

Decimus nullum pretium exigere debere indicationis, inventionis, vel cuſtodiæ, ſtatuit eos, qui res alienas amiſſas invenerunt, legitimiſque dominis indicarunt, aut ſervaverunt: quia mandata Dei abſque omni turpi lucro ſunt ſervanda.

Undecimus & poſtremus varias Pœnitentium Claſſes, ſeu varios Pœnitentiæ publicæ gradus diſtinguit. Hunc Canonem viri quidam eruditi addititium eſſe contendunt, & nuſquam a Sancto Gregorio Thaumaturgo conſcriptum, quod illius temporibus, inquiunt, nondum iſtæ Pœnitentium ſtationes diſtinctæ eſſent. An ita ſe res habeat, propria Diſſertatione expendemus.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

S. Gregorius Neocæſareenſis in Ponto Epiſcopus brevem fidei expoſitionem edidit, quam a SS. Virgine Maria & S. Joanne Evangeliſta dictatam excepiſſe illum atque evulgaſſe tradit S. Gregorius Nyſsenus in vita ejuſdem S. Gregorii. Nyſſeni fidem Baſnagius ad A. 246. ſollicitat duo hæc opponens. Quid opus erat, inquit, fidei Trinitatis edocendæ magiſtros e cœlo dare, cum abunde hæc repeti ex Scripturis poſſent? Silet inſuper S. Hieronymus, ſilet tantum miraculi Euſebius ac Rufinus, quorum proinde taciturnitas ſuſpicioſam nobis efficit tanti miraculi famam. Deinde ait, animas Sanctorum ad inferiores haſce terras ex ſupernis deſcendiſſe ſedibus hic primum contigit. Hos viri docti ſcrupulos facile evellimus. Fateor equidem in Scripturis Trinitatis dogma tradi; ſed & fateatur oportet Baſnagius Scripturæ de Trinitate verba in ſenſum plane a fide diverſum ab hæreticis detorqueri. Paulum Samoſatenum qui tunc hæreſim ſpargebat ſuam illam, Chriſti divinitati peræque ac Trinitati perſonarum offeciſſe notat S. Epiphanius hær. 65. n. 2. Huic utique obſtabat Scriptura; ſed callidus veterator teſtimonia illa Scripturarum alio detorquebat; opportuna igitur hæc fidei explicatio accidit, ut Scripturæ ſenſus verus panderetur. Sanctorum animas tunc primum ad inferiora hæc deductas, nonniſi per calumniam Baſnagius objectat. Nonne Democharis ante aliquod tempus defuncti anima ſorori ejus Perpetuæ per viſum objecta eſt? Probabile eſt etiam Samuelis animam evocante Pithoniſſa, Deoque permittente ſeſe exhibuiſſe Sauli. Oniam pariter Sacerdotem magnum Judæ Machabæo per quietem noctis apparuiſſe 2. Machab. 15. 24. legimus. Refragabitur his omnibus heterodoxus, cui S. Perpetua matrona eſt ex Montaniſtarum grege; quæ de Samuelis anima feruntur præſtigiatricis feminæ ludibria ſunt, relataque in Machabæorum commentariis hiſtoria perinde ac totum illud opus ſubleſtæ fidei habetur. Hanc ejus ſententiam in præſenti nihil moror; verumtamen longe remotioris eſſe antiquitatis opinio de illapſu animarum ſanctarum in terras ex his evincitur; cur igitur nunc primum Sanctorum animas e cœlo dilapſas Baſnagius criminetur?

Silere equidem prodigium iſtud Euſebium & Hieronymum agnoſco; ſed cum æque prætereat uterque hanc S. Gregorii lucubrationem, neque inde tamen confici argumentum ſatis validum poſſe arbitretur Baſnagius, quo illa S. Gregorio auctori abjudicetur; cur ex hoc ipſo amborum ſilentio ſuſpicioſa prodigii hujus veritas efficiatur? Quod inſuper Gregorii ſymbolum illaudatum voluerit Euſebius, cauſa forte hæc ſuccurrit; nimirum Arianæ ſententiæ addicto ſcriptori diſplicuiſſe ſymbolum plane catholicum. Rufinus vero Euſebii hiſtoriam interpretans cum parumper e tramite divertiſſet aliqua commentaturus de S. Gregorio ab Euſebio omiſſa, ut in viam regrediatur ſolicitus, pauca tangit, omittit plura. Eſto tamen ignoraverit hæc Rufinus, numquid ex hoc recte inferas ſive totam hanc hiſtoriam per ſummam impudentiam confinxiſſe S. Gregorium Nyſſenum hæc de Thaumaturgo prædicantem, ſive præ Nyſſeno emunctioris fuiſſe naris Rufinum, qui fabellam ſubodoraretur?

II. S. Zeno Veronenſis Epiſcopus, non ſub Galiieno Imperatore Martyr, ſed ſub Conſtantio, vel Juliano Apoſtata, Confeſſor fuit, Syagrii, ad quem Sanctus Ambroſius Epiſtolam 64. dedit, in Epiſcopatu Deceſſor (ut ex iſta Epiſtola conſtat.) Ipſi ſuppoſiti ſunt *Sermones de plurimis ſacræ Scripturæ locis, & rerum divinarum argumentis*, qui primum editi ſunt Venetiis anno 1508. cura Guarini Veronenſis Oratoris, & poſtea Bibliothecæ Patrum ſunt inſerti. Suppoſitos eſſe probat omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, ad illud uſque tempus, de Sancti Zenonis Scriptis ſilentium. Præterea conſtat hos Sermones collectos eſſe ex diverſis Auctoribus. Nam ſeptem Sermones in Pſalmos deſcripti ſunt ex Commentariis Hilarii, ne verbo quidem immutato. Sermo in illud, *Attende tibi*, una cum alio *de Livore & invidia*, eſt Sancti Baſilii. Cæteri vero Sermones, ſeu potius fragmenta Sermonem, ob ſtyli diverſitatem, varios Auctores arguunt. Ita cenſet Sixtus Senenſis, lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ.

JO. DOMINICI MANSI

Nota.

Diu poſt emiſſam in lucem hanc P. Alexandri hiſtoriam nova operum S. Zenonis editio doctiſſimis Ballerinis fratribus curantibus prodiit Veronæ anno 1739. ex qua operibus S. Zenonis lux nova affuſa eſt. Igitur ex vita S. Præſulis toti operi præmiſſa, & ab editoribus adornata, conſtat unicum extitiſſe Zenonem (non enim niſi recens eſt, & nullo veteris auctoris præſidio ſuffulta ſententia Baronii geminos Zenones Veronenſes Epiſcopos inducens) qui ante ſcriptam a S. Ambroſio Epiſtolam LXIV. floruit. Porro Epiſtola illa anno 381. aſſignatur in editionibus PP. S. Mauri, at ſerius ſcriptam cenſent operum S. Zenonis editores. Ex ea autem liquet, quo tempore Veronenſis iſte Præſul ſederit. Num martyr obierit, res eſt ambigua, quamquam enim nulla ea ætate ferveret Paganorum Imperatorum perſecutio, potuit tamen ſanguinem effudiſſe in ſubito aliquo Paganorum tumultu, vel ſeditione; ſat enim multi tunc Pagani in oppidis, & vicis ſupererant, quos forte Antiſtes adiit, ut eos ad fidem converteret. Profecto in vetuſto Rithmo Pipini ætate confecto, & a Cl. Maffejo edito in opere: *Introduzione alla ſtoria diplomatica*: *Confeſſor & martyr dicitur*; ſed & viciſſim a S. Ambroſio *Sanctæ memoriæ Epiſcopus* appellatur, nulla facta de martyrio commemoratione.

Ad opera vero S. Zenonis quód attinet, in MS. Codice dono dato ab Hincmaro, celebri Rhemenſi Epiſcopo, Monaſterio S. Zenonis in Diœceſi ſua ſito, quod vetus ultra mille annorum cenſetur, ſunt tractatus S. Zenonis triginta eadem vetuſta manu deſcripti, cui ſubjunguntur undecim alii manus plane diverſæ. In his undecim tractatibus apparent illa omnia, ex quibus Sixtus Senenſis, & ex eo P. Alexander argumenta ſua omnia adverſus ſinceritatem operum S. Zenonis deſumpſerunt. Ex hoc diſcrimine aliiſque variis conjecturis clariſſimi Editores conficiunt poſtremos hoſce tractatus tantummodo, non vero ſuperiores alios triginta a ſinceris operibus S. Zenonis ſegregandos eſſe; cum præſertim in aliis etiam vetuſtis MSS. Codicibus undecim illi tractatus ſemper reliquis triginta prioribus ſubjungantur. Variis autem auctoribus undecim iſti adſcribendi ſunt; nam tractatus de Lazaro, & alter de martyrio Iſaiæ ſunt Poterii cujuſdam, incertæ ſedis, ſed latinæ Epiſcopi græcæ forte originis; ſunt enim qui græciſmum in Epiſtola ad S. Athanaſium, Potamii forte ejuſdem, nomine inſcripta, & a Dacherio vulgata deprehendiſſe ſibi videntur. Interpretatio vero Pſalmorum a 126. uſque ad 30. eſt S. Hilarii Pictavienſis. Reliqui vero quatuor de *livore*, & *invidia*, de *attende tibi*, de *jejunio*, de *avaro divite* ſunt S. Baſilii Cæſarienſis, ex illis ſcilicet, quos Rufinus vertit, ut ipſe Rufinus teſtatur in præfatione ad ſuam interpretationem, octo Homiliarum S. Baſilii, quam præfationem primus vulgavit P. Garnier in noviſſima editione operum S. Baſilii.

CAPUT ULTIMUM.

De Imperatoribus, qui rerum ſumma potiti ſunt tertio nominis Chriſtiani Sæculo.

I. ANno Chriſti ducenteſimo, Severus annum Imperii ſui ſextum agebat. In Britannias abiit anno Imperii ſui 15. cum duobus filiis, Baſſiano, quem Antoninum cognominaverat, & anno circiter Imperii 7. Auguſtum creaverat, ac Geta Cæſare. Ibi re proſpere geſta, muroque per tranſverſam Inſulam ducto, utrinque finem Oceani communivit; unde etiam Britannici nomine inſignitus eſt (teſte Spartiano.) Ibi a filio majori quæſitus ad necem, eum ſola objurgatione caſtigavit (ut teſtantur Dio in Severo, & Herodianus lib. 3.) Initio Imperii ſui erga Chriſtianos bene affectus erat Severus, quibus poſtmodum infenſiſſimus fuit. Benevolentiæ illius in religionis noſtræ viros cauſam refert Tertullianus libr. ad Scapulam, cap. 4. quod ſcilicet a Proculo Chriſtiano, Procuratore Evodi educatoris Antonini filii ſui, ſanitatem miraculo recepiſſe. *Ipſe etiam Severus*, inquit, *Pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit: nam & Proculum Chriſtianum, qui Toparcion cognominabatur, Evodi * Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in Palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem Antoninus optime noverat, lacte Chriſtiano educatus; ſed & clariſſimas feminas, & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.*

Severus.

* *Sic reſtituendum eſſe in Tertulliani textu pro* Euhode.., *viri eruditi aſſerunt.*

Civium illuſtriores, quod * Albino res novas molienti faviſſent, occidi juſſit. Adulabantur viri Principes Imperatori, ipſumque e Galliis comite victoria reducem, & ovantem, honorificentiſſimo, lætiſſimoque apparatu excipiebant, *in aliena ſolemnitate exemplum atque imaginem ſpei ſuæ inaugurantes & nomen Principis in corde mutantes* (inquit Tertullianus Apologetici c. 35.) quia nempe necem Imperatoris, & novi Cæſaris regimen exoptabant.

* *Albinus Britanniæ Præfectus in Gallis ad Lugdunum cæſus eſt, quod de Imperio cum Severo contenderet.*

Leges ſanctiſſimas tulit Severus contra mœchos, quorum tria millia morte affecit, ut Dio teſtatur in Severo: Legem Juliam de adulterio, non modo nuptas, ſed & ſponſas adſtringere declaravit: & in maritum, qui crimen non ulciſceretur, animadverti decrevit, ut refert Ulpianus, l. 2. §. *Si publico*, & l. 13. §. *Divus Severus*. Legem etiam Papiam, quæ a publicis honoribus arcebat, & colligendæ propinquorum hæreditatis, aut bonorum quibuſcumque teſtamentis legatorum, jure privabat eos, qui 25. annos nati matrimonia non iniiſſent, & ultra biennium prorogaſſent ſponſalia, penitus antiquavit (ut teſtatur etiam Tertullianus Apologetici cap. 4.)

Plautiano quaſi Imperii Adminiſtro uſus eſt Severus: cujus tanta fuit apud Imperatorem gratia, tanta apud Milites, & populum auctoritas, ut Plautillam filiam ſuam cum Antonini Severi filio matrimonio junxerit, eique tantum numeraverit dotis, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet: ut etiam de illo populus in Circo aliquando diceret, *Quid tremis? Quid palles? Tu certe plus quam tres illi poſſides*, Id eſt, potentior tribus Cæſaribus, Severo nimirum, & duobus filiis unus Plautianus. Nec tamen conſtantem expertus ille fortunam eſt. Nam paulo poſt ab Antonino genero accuſatus, quod contra Imperatorem conſpiraſſet, ejus juſſu interfectus eſt. Hæc conſtant ex Dione & Xiphilino. Obiit Eboraci Severus, anno Chriſti 211. vel 213. ſecundum Annales Eccleſiaſticos, cum annos ferme 18. imperaſſet.

Cum aliquando pedibus æger bellum moraretur, impatienterque id ferens exercitus Baſſianum ejus filium Auguſtum proclamaſſet, Tribunos, & Centuriones, ipſumque filium ad ſuum Tribunal vocavit; atque in hujus tumultus auctores animadverti juſſit, omneſque proſtratos & ſupplices videns, capite manu contacto, ait: *Tandem ſentitis caput imperare, non pedes.* (Ex Ælio Spartiano, in Severo) Tantæ fuit in rebus gerendis induſtriæ, ut dixerit moriens: *Agedum ſi quid nos oportet facere*; & hoc ſignum Tribuno dari juſſerit; *Laboremus*.

Antoninus Caracalla, & Geta.

II. Antoninus Caracalla, & Geta, duo Severi filii, pari jure poſt Patrem imperarunt,

runt, anno Christi secundum Annales Ecclesiasticos 213. secundum alios 211. Caracalla dictus est Antoninus a vestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos. Moribus tam truculentus fuit, quam frater miti & civili ingenio. Hunc 2. Imperii anno in matris ipsius gremio interfecit: Occidit & uxorem Plautillam, & viginti hominum mulierumque millia, qui Getæ studuerant, occidi jussit, & inter eos Papinianum Jurisconsultum celeberrimum, tunc Præfectum Prætorio, quod ejus parricidium excusare legibus nollet. Parricidio junxit incestum. Juliam enim Novercam uxorem duxit. Hæc cum esset elegantissima specie, maxima corporis parte per negligentiam nudata, amorem Antonini illexit. Infamem cupiditatem testatus est his verbis: *Vellem, si liceret*. Respondit mulier impudentissima: *Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Quo audito, nefarias nuptias celebravit. Omnes ipsi defuere virtutes; vitium pene nullum. Alexandri Magni ad insaniam usque amans fuit, & æmulator. Germanis & Parthis bellum intulit; postremorumque Regem Artabanum fraude potius, quam fortitudine superavit. In milites & assentatores dumtaxat liberalis fuit ac beneficus. Cum ipsum Julia mater exhausti nimiis largitionibus ærarii argueret, gladium ostentans respondit: *Bono animo ei, mater: nam nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit*. Alexandriæ ingentem civium stragem edidit, quod ipsum ob cædem fratris vituperassent illius urbis cives. A Macrino Præfecto Prætorio, per Martialem Centurionem interfectus est, inter Edessam, & Carras, dum ad Dei Luni * sacra pergeret, 6. annis Imperii a Patris obitu, & duobus insuper mensibus exactis, ætatis suæ anno 29. Ista constant ex Dione, Xiphilino, Ælio Spartiano, in Severo.

** Ita Lunam appellabant Carreni, apud quos legecautum erat, ut qui Lunam femineo nomine, & sexu nuncupasset, is addictus mulieribus semper inserviret: qui vero maremDeum esse crederet, is dominaretur uxori, neque mulieres pateretur insidias. (Ex Ælio Spartiano.) Macrinus & Diadumenus. Heliogabalus.*

III. Occiso Antonino Caracalla, Macrinus Imperium invasit, cujus consortem fecit filium Diadumenum. Humili genere natus erat. Bellum Parthicum aggressus est, in quo profligatus, pacem impetravit. Multa de ejus sævitia refert Julius Capitolinus. Occisus est cum Diadumeno filio post annum, mensesque duos, quam Imperium assumpserat.

IV. Aurelius Antoninus Heliogabalus, seu Elagabalus Varius, Solis in Phœnicia Sacerdos, matris Semiamiræ arte muliebri Antonini Caracallæ filius creditus est, inducto in errorem exercitu, qui jam a Macrino alienus erat, ejusque Imperii pertæsus. Unde Imperator a ducibus, militibusque acclamatus est. Scriptis deinde ad Senatum literis, appellatus est Antoninus Princeps, volentibus cunctis & studiose credentibus (inquit Ælius Lampridius) *Ut sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, cum quod optant, verum esse desiderant*. Omnium Deorum cultum Romæ extinguere conatus est, & eorum Sacra in templum Heliogabali, cujus fuerat Sacerdos, transferre. Judæorum etiam, & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem illuc transferre decrevit: *Ut omnium culturarum secretum Heliogabalis sacerdotium teneret* (inquit Lampridius.)

Omnium fœdissimus fuit mortalium Heliogabalus, adeo ut sese in feminam deformaret, & quamvis libidinem corpore suo nedum exerceret, sed & pateretur. Mores ejus turpissimos, non absque execratione describunt Dio, Xiphilinus, Lampridius, & Herodianus. Matrem Semiamiram in Senatum rogari jussit, quod nulli usquam mulieri concessum erat. Quod ne postea contingeret, post mortem infamis illius Principis cautum est, *Ne umquam Mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput devoveretur, per quem id esset factum* (inquit Lampridius.)

Aurigis, Histrionibus, Servis libidinum suarum administris, maxima Imperii munia demandavit. Nihil boni fecit in Imperio, nisi quod Alexandrum Mammææ filium consobrinum suum, optimum Principem, adoptavit, Cæsaremque creavit. Cujus adoptionis ipsum pœnituit subinde, propensos in eum Senatus, militum, populique animos animadvertentem, a se vero jam alienos vitiorum horrore. Occisus est postquam annos ferme 4. imperasset; ab anno scilicet Christi 220. ad annum 224. secundum Annales Ecclesiasticos, vel ab anno 219. ad 222. secundum alios, anno ætatis suæ 18. Ejus cadaver a militibus primo in cloacam immissum, quæ cum illud non caperet, per vias publicas raptatum, in Tiberimque projectum est. * Cæsa etiam cum eo est

** Heliogabali occasione ait Lampri-*

Mater

Mater Semiamira mulier insolentissima. Dictus est *Sardanapalus*, *Tractitius*, *Tiberinus*, *Impurus*, abrogatumque ipsi est post mortem, *Antonini & Imperatoris* nomen. Dixisse eum aliquando refert Lampridius: *Filios se nolle, ne quis ei frugi contingeret.*

Dius de Imperatoribus. Nec sepulcra merentur, qui amorem Senatus, Populi, ac Militum non merentur.

V. M. Aurelius Severus Alexander Imperium suscepit anno Christi 224. secundum Baronium, 222. secundum alios. Princeps fuit omnium virtutum civilium, & bellicarum apparatu ornatissimus. Mammææ matris præstantissimæ, sapientissimæque feminæ consilio, clarissimos, jurisque perrtissimos viros, Ulpianum, Pomponium, Celsum, Modestinum, Paulum, Proculum, Venulejum, ad judicia reddenda delegit: e quibus Ulpianum ad Præfecturam Prætorii provexit. Summa ejus fuit in creandis Senatoribus, cæterisque Magistratibus diligentia. Senatorem numquam fecit sine omnium, qui aderant, Senatorum consilio. Aliquando Præfectum Prætorio constituit, qui fugerat ne ea dignitate ornaretur. Tunc fertur ab Alexandro scite dictum, *Invitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos.* Cum Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Rationales, seu Procuratores constituere vellet, nomina eorum palam proponebat, quos istis præficere decreverat Muneribus, populumque hortabatur, *Ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: Si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, grave esse, cum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Venales etiam Magistratus esse prohibuit, dicens: *Necesse est ut qui emit, vendat. Non patiar mercatores Potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit, & vendit.* Rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret; eosque etsi boni essent, oderat, *Malum necessarium* vocans.

Alexander Mammææ filius.

In Christianorum religionem fuit propensissimus Alexander. Christum in Larario coluit, ipsique templum ceu Numini voluit erigere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur (ut notat Lampridius) qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ ad Christi cultum paraverat; sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato veniisset, & templa reliqua deserenda.

Non solum pacis artibus, sed & bellica laude floruit Alexander. Regem Persarum, ducto contra eum exercitu, profligavit, triumphumque egit splendidissimum, manibus hominum sublatus 4. horarum spatio, conclamantibusque universis: *Salva Roma, quia salvus est Alexander.* Novam postea contra Germanos Gallis imminentes expeditionem duxit, in qua paucorum conspiratione militum occisus est cum matre, cujus ex consilio omnia egerat, anno ætatis suæ 30. inchoato, postquam annis tredecim imperasset. De ejus gestis legendus est Lampridius.

Maximinus. VI. Maximinus humili genere, Gotho Patre, Alana Matre genitus, ex ordine militari ad Imperium provectus est, nequaquam probante Senatu, anno Christi 237. secundum Annales Ecclesiasticos, vel 235. secundum Petavium, aliosque Scriptores. Crudelitatis monstrum fuit. Non mirum, quod persecutionem moverit adversus Christianos, qui tam immaniter sæviit in cives, sine judicio, sine accusatione, sine debitore, sine defensione, omnes interemit, omnium bona sustulit, & plus quatuor millibus hominum occisis, satiari non potuit (inquit Julius Capitolinus.)

Gordiani pater, & filius. VII. Tyrannicæ dominationis pertæsus Senatus, a Maximino defecit, & Gordianum utrumque, Patrem & filium, Augustos appellavit. Ubique duces, militesque Maximini interfecti sunt, paucæ civitates fidem hosti publico servaverunt.

Maximus & Clodius Balbinus. VIII. Gordiani, post annum in Africa cæsi sunt a Capeliano Maximini Duce. His interfectis, Senatus Maximum, ex Præfecto Urbis, & Clodium Balbinum, Imperatores creavit: quibus a populo Augustis appellatis, per milites & eumdem populum, etiam parvulus nepos Gordiani Cæsar proclamatus est. Interim Maximinus, dum Aquilejam obsideret, a militibus interfectus est cum filio adhuc puero, cum annos tres imperasset. Trucidati sunt deinde Balbinus & Maximus Pupienus a militibus, cum Gordianum de medio auferre decrevissent. Solus deinceps Gordianus imperavit, adhuc puer, Misitheo doctissimo, ac disertissimo viro, cujus filiam duxerat, ejus Imperium

Gordiani Nepos.

mo-

moderante, ac defendente. Celeberrimam de Persis victoriam reportavit. Philippi Arabis insidiis sublatus est Misitheus, ac non multo post Gordianus cum annos sex imperasset. Hæc ex Julio Capitolino constant.

IX. Tam immani scelere viam sibi ad imperium stravit Philippus, decepto Senatu; a quo Augustus appellatus est, postquam Patribus per literas persuasisset, Gordianum morbo periisse, seque militum suffragio ad Imperium assumptum, ut testatur Julius Capitolinus. *Ita*, inquit *Philippus impie, non jure obtinuit Imperium*, anno Christi 246. ut vult Baronius, anno 244. ut aliis placet.

Philippus Christianus fuit.

X. Philippum Christianorum Imperatorum primum fuisse, testatur Eusebius lib. 6. Historiæ, cap. 27. Verisimile est autem id cognovisse Eusebium ex Epistolis Origenis ad istum Principem, & ad Severam Augustam ejus uxorem datis, quas se legisse testatur, cap. 29. Idem testantur Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. adversus Hæreses, c. 23. Orosius libro 7. c. 13. Martyrologia Romanum, Usuardi, & Adonis, ad diem 15. Maji S. Pontii Martyris Cimmellensis memoriam celebrantia, cujus prædicatione & industria duos Philippos Cæsares, patrem & filium ad fidem Christi conversos memorant. Denique ejusdem rei fidem faciunt Acta vetustissima Sancti Pontii, a Valerio socio scripta, & ex antiquis ac probatæ fidei MSS. edita a Bollandi Continuatoribus ad diem 14. Maji, & Paulus Diaconus lib. 10. Historiæ.

Tot testium locupletissimorum solicitare fidem cuiquam fortassis in mentem veniat, ac de Philippi Christianam in Religionem cooptatione dubitare, ob eam rationem quod profanorum Scriptorum nemo religionis in ipso mutationem criminetur, quod Templa diruisse, Ecclesias erexisse, leges sanctissimas tulisse non legatur, quemadmodum fecit postea Constantinus: quod denique inter Divos post mortem cum filio relatus sit, ut Eutropius testatur. Verum hæc non probant, quod Christum non coluerit Philippus, sed quod occulte dumtaxat, non palam Christianam Religionem professus sit. Noverant Christiani ipsum Christianum esse, præsumebant Ethnici ipsum Deorum esse Cultorem, quod eorum sacra, ritusque pateretur. Non sinebat autem rerum, temporumque conditio, ut palam Christianus innotesceret, utque Templa Gentilium dirueret; quia non satis firmum erat ejus Imperium, & Senatus populique Romani, atque exercitus inconstantia, & levitas in Principibus mutandis, quæ in ejus Decessorum cædibus se prodiderat, ratio erat occultandæ Ethnicis suæ religionis, ut vitæ suæ, atque Imperio consuleret. Sic enim Ecclesiæ rebus utilior erat, quam si hocce rerum statu palam se Christianum professus esset. Cæterum profanorum Auctorum silentium probat illum Ethnicæ superstitioni nuncium remisisse. Cum enim annum conditæ Urbis millesimum solemnibus Ludis ab eo celebratum referunt, non memorant Sacrificia ab ipso falsis Numinibus oblata, nec aditum ex veteri more Capitolium. Id animadvertit Paulus Orosius libro 7. cap. 13. *Ita ludis magnificis*, inquit, *augustissimus omnium prætcritorum hic Natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem ad Christum, & ad Ecclesiam reportarit: quoniam vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus Auctor ostendit.*

Quod spectat leges a Philippo latas, Principis certe Christiani spirant illæ pietatem. Nam Exoletos, turpissimum & flagitiosissimum hominum genus, sustulit (ut testatur Lampridius in Alexandro Severo) & Poetas juvenum animos arte sua corrumpentes antiquis privavit Privilegiis, ut constat ex *L. Poetæ, C. de Professoribus*, lib. 10. *Poetæ, nulla immunitatis prærogativa juvantur*. Quod denique post mortem inter Divos fuerit relatus, probat quidem ipsum nihil negotii facessivisse Ethnicis, & de Senatu ac populo fuisse optime meritum, palam denique & sub oculis Senatus populique Romani Christianam Religionem professum non fuisse: sed non evincit illa inter Divos adscriptio illum a Christiana Religione fuisse alienum. Certe Paulus Diaconus qui ipsum fuisse Christianum & Pœnitentiam egisse ad pedes Episcopi testatur lib. 10. Historiæ Miscellæ, inter Divos relatum esse cum filio ibidem asserit. Imperantibus Philippis, Jotapianus & Marinus qui tyrannidem arripuerant, cito deturbati sunt. Occisi sunt a militibus ambo Philippi, anno Christi secundum Baronium 253. secundum Petavium & alios, 249. pater Veronæ, filius Romæ.

XI.

XI. Illis adhuc viventibus, Decius ex inferiore ortus Pannonia, excellenti vir animi virtute, ac bellandi usu præditus, cæterum Christianis infensissimus, Imperator acclamatus fuerat. Imperium suscepit anno Christi 253. Contra Barbaros pugnans, paludis gurgite absorptus est, anno Christi 254. secundum Annales Ecclesiasticos. *Decius.*

XII. Decio successit Gallus cum Volusiano filio; sub horum Imperio pestilens morbus totum pene vastavit orbem. Hujus occasione Sanctus Cyprianus librum de Mortalitate edidit. Post biennium Imperii, vel certe post quadriennium, isti Principes a Militibus trucidati sunt apud Interamnam, dum adversus Æmilianum res novas in Mœsia molitum pergerent. (Ex Paulo Orosio, lib. 7. cap. 14.) Tunc Æmilianus Imperator acclamatus est. Hujus brevissimum fuit Imperium. Post tres namque menses sublatus est. *Gallus & Volusianus.* *Æmilianus.*

XIII. Post Æmilianum, Valerianus cum Gallieno filio Imperium suscepit, anno Christi 254. vel 255. & septem annis simul imperarunt. Sub horum Imperio variis Barbarorum incursionibus Imperium lacessitum est. Triginta Tyranni, quos recenset Trebellius Pollio, variis in locis grassati. Cum adversus Scythas Valerianus profectus fuisset, indeque contra Saporem Persarum Regem, ab eo captus est, & vilis more mancipii habitus, ut quoties equum conscenderet, incurvato eo, cervicem ejus calcaret, eoque velut suppedaneo subsellio uteretur, ut referunt Aurelius Victor, & Eutropius. Tandem illi cutem detrahi, & corpus ejus saliri jussit, ut testatur Constantinus in Oratione ad Sanctorum Cœtum, cap. 24. apud Eusebium. Exinde solus imperavit Gallienus, qui promulgatis ubique edictis, persecutionem remisit in Christianos antea concitatam, ipsisque loca sacra restitui jussit, ut religionis suæ ritus absque molestia exercerent. Extat ejus ea de re Edictum apud Eusebium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 12. quam ob rationem ejus pietatem etiam commendat Sanctus Dionysius Alexandrinus, apud eumdem Eusebium, cap. 18. ejusdem libri. Sub eo Imperium Orientis obtinuit Odonatus Rex Palmyrenorum. Gallienus Marciani & Cecropii Ducis exercitus conspiratione, ad Mediolanum, cum fratre Valeriano occisus est, anno Imperii sui 25. Christi 269. *Valerianus, & Gallienus.*

XIV. Rerum summa post Gallienum potitus est Claudius laudatissimus Princeps, reportata de Gothis victoria celebris; quorum trecenta viginti millia ab ejus exercitu cæsa sunt, Navium duo millia depressa. Breve illi in Imperio fuit tempus: biennio siquidem dumtaxat imperavit: *Sed breve fuisset, etiamsi quantum hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset* (inquit Trebellius Pollio, qui res ipsius gestas persequitur.) Anno Christi 221. peste tactus occubuit. Post ipsius obitum frater ejus Quintilus usurpato Imperio, post dies 17. ob nimiam severitatem a militibus obtruncatus est. *Claudius*

XV. Tum Aurelianus Imperium iniit, Princeps bellica laude insignis. Profligavit nempe Alemannos, & Malcomanos: de Zenobia Orientis Imperatrice triumphavit, necnon de Vetrico Tyranno. In Disciplina Militari sancienda severissimus fuit. Anno Imperii sui 7. secundum Baronium, Christi 278. occisus est dolo Mnesthei Secretariorum Notarii. De ejus gestis legendus est Flavius Vopiscus in Aureliano. Ait ille, multos Aurelianum neque inter bonos, neque inter malos Principes posuisse, *Quod ei clementia, Imperatorum dos prima, defuerit.* *Aurelianus.*

Post Aureliani mortem, & sex mensium interregnum, Tacitus vir Consularis ex Senatusconsulto Imperator creatus est, qui a Tacito Historico genus ducebat. Sex dumtaxat mensibus imperavit. Post eius mortem, Florianus illius frater arripuit Imperium; quod postquam duobus mensibus tenuisset, Tarsi a militibus occisus est (ut testatur Flavius Vopiscus.) *Tacitus.* *Florianus.*

XVI. Tacito & Floriano fratribus in Imperio successit M. Aurelius Probus, anno Christi 279. secundum Baronium; 276. secundum alios. Hic in Gallias profectus, sexaginta nobilissimas Civitates de Barbaris recuperavit, & eorum ferme septingenta millia occidit. Pacatis Gallis, recepit Illyricum, Getas subegit, Persis bellum indixit. Per Illyricum in Italiam rediens, a militibus, quos ob nimiam severitatem infensos habebat, occisus est, anno imperii sui 5. ut tradit Flavius Vopiscus, vel 6. vertente, ut testatur Eusebius libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 24. *M. Aurelius Probus.*

M. Aurelius Carus, Carinus & Numerianus.

XVII. Anno Christi 283. M. Aurelius Carus ad Imperium evectus est : qui statim Carinum & Numerianum filios Cæsares creavit, & Carino ad tuendas Gallias misso, cum Numeriano expeditionem bellicam contra Persas duxit. Subacta Mesopotamia, ad Ctesiphontem usque progressus, ictu fulminis interemptus est ; vel, ut alii volunt, morbo sublatus, anno Imperii 1. Christi 283. Numerianus dolore propter patris mortem oppressus, nimio fletu, ocularem in morbum incidit, & dum lectica veheretur, Arrii Apri soceri sui factione interfectus est, anno Christi 284.

Diocletianus & Maximianus Herculius.

Carinus Princeps omnium contaminatissimus, omnibus ob flagitia invisus, ab exercitu Diocletiani altero jam anno imperantis, apud Margum Mœsiæ oppidum profligatus, & trucidatus est, anno Christi 285.

XVIII. Diocletianus, in Dalmatia obscuro genere natus, sed bellica laude clarus, Imperator a militibus acclamatus est, anno Christi 284. Anno 286. Maximianum in consortium Imperii vocavit. Anno 292. ut labanti per variorum Tyrannorum grassationem, incursionesque Barbarorum Reipublicæ succurreretur, duo Cæsares a Diocletiano creati sunt, Constantius Clorus, & Galerius Maximianus, qui Armentarius cognominatus est, quod armentorum Pastor fuisset. Anno Christi 304. persecutionis in Christianos motæ secundo, cum triumphum de Persis egissent Diocletianus & Maximianus Herculius, ambo se Imperio abdicarunt. De his legatur Eusebius lib. 8. cap. 26. & 29. Lactantius lib. *De Mortibus Persecutorum*, & Paulus Orosius lib. 7. cap. 16.

JO: DOM. MANSI

Nota.

DIu multumque inter Eruditos disceptatum est, num veritati cohæreant, quæ scripsit Eusebius Hist. Eccl. lib. 6. cap. 27. tradens Philippos patrem filiumque Imperatores inter Christianos nomen dedisse suum, ut Constantino secundas in ea professione, non primas reliquerint partes. P. Natali Alexandro placuit Imperatoris hujus pietati favere: neque ~~enim~~ persuadere sibi potuit hæc scripsisse Eusebium sine idoneo teste, nec alium credidit quam Origenem cujus ex Epistolis id forte idem Eusebius didicerit. Basnagius hanc viri docti sententiam impugnat. En ejus argumenta, iis omissis, quibus probatur Philippos ante ludos sæculares celebratos anno 243. ad sacra nostra nondum accessisse; admitto enim cum Pagio utrumque Philippum nonnisi post ludos illos resipuisse. Ait ergo Basnagius ad A. 244. Si Philippi Christo se consecrarunt post ludos sæculares; cur igitur post eos ludos profectum in Orientem Philippum pa-trem post annum nempe 247. volentemque Antiochenum Christianorum Templum ingredi, S. Babylas ejusdem Urbis Episcopus repulit, testibus Leontio, & S. Chrysostomo? Senatus etiam e mortalibus subductos Philippos inter Divos retulit Eutropio teste ; extantque pariter nummi cusi Philippo III. Cos. in quorum postica est Jupiter hastatus & fulmen tenens cum inscriptione: *Jovi Conservatori*. Repugnant hæc Christianæ principis professioni. Denique Lactantius, qui sub Philippo Principe facile lucem aspexit, Constantinum Imperatorem sic alloquitur: *Qui primus Romanorum principum repudiatis erroribus majestatem Dei singularis ac veri cognovisti, & honorasti*. Non ergo primus Philippus.

Hos viri docti nexus facile resolvimus. Cur tanta confidentia urserit Basnagius repulsionem Philippi a templo Antiocheno, admiror; cum totam hanc historiolam suspicionem ipse arguerit ad An. 239. 2. Ea vero admissa, ambiguitas alia esset superanda num Babylas Imperatorem templo quodam Urbis Romæ, ut sensit Baronius, vel potius Antiocheno, ut censet Basnagius prohibuerit ; neque enim tunc si Romæ res actum est, argumentum inde deductum a Basnagio valebit : potuit enim hæc repulsa principi ante ludos sæculares, adeoque nondum Christiano dari. Sed quis ille princeps rejectus ab aditu sacro? Philippus, ait Scriptor Chronici Alexandrini, qui multa in hac historia admiscet & confundit. Non Philippus quidem, ait Philostorgius, sed Numerianus. Cui fidem habeamus? Demus tamen omnia Basnagio. Philippus

pus ab Antiocheni templi ingreſſu ſit abſtentus agente Babyla, cum id, tacito licet Epiſcopi nomine, de Babyla, ac Philippo ſcripſerit Euſebio H. E. l. 6. c. 34. at quidnam, rogo, de Philippo aditum illum tentante narrat Euſebius? *Fama eſt Epiſcopum non prius illi aditum permiſiſſe, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet; iiſque qui humanitus lapſi erant, & in pœnitentium ordine ſtabant ſeſe adjunxiſſet*. Nonne hæc potius Chriſtiani Imperatoris criminum ſuorum exomologeſim agentis, quam Pagani imaginem exhibent? Forte tamen Baſnagius non quidem ab hiſtoria hac in rem ſuam argumentum deducit; ſed auctoritate Leontii & Chryſoſtomi abutitur, qui cum hæc afferant de Philippo (Imperatoris tamen nomen reticet S. Chryſoſtomus) & Babyla, in ea cenſentur fuiſſe ſententia, quæ Philippos Paganorum gregi accenſet. Quis utique credat ambos iſtos ſcriptores, dum rem prout publico rumore ad aures ſuas delata fuerat, mandabant ſcriptis, nihil cogitantes utrum veram, an fucatam traditionem referrent, ad uſque Philippi religionem mente excurriſſe ſua? Verum nec id inficiemur; ſenſerit cum Baſnagio Leontius & S. Chryſoſtomus, nobis vero favet Euſebius, Chryſoſtomo multo antiquior, Leontio ſaltem æqualis. Utri credendum?

Poſt obitum uterque Philippus conſecratur a Senatu, Eutropio teſte. Dedecet id Chriſtianos Imperatores, judice Baſnagio, quaſi ſcilicet poſt obitum juſſa dare Imperatores poſſent, eaque vetare, quæ moribus ſuis repugnarent. Optimis principibus eos honores decrevit pro conſueto more Senatus; nihil cogitans vel curans de Religione. Profecto & Conſtantinus, Chriſtianus princeps, *inter divos meruit referri*, eodem teſte Eutropio, qui hæc ipſa de Philippo prodidit. Quemadmodum vero Ethnicis curantibus divinos honores Philippis ſicut & Conſtantino Auguſtis decretos conſtat, ita pariter & nummi cum Jovis effigie inſculpi potuerunt Philippo, Chriſtiano licet Imperatori, ipſo vel principe ſciente & non repugnante, quin forte & aſſentiente. Nam primævi illi Chriſtiani in publicis monumentis quædam plane ethnica & ſuperſtitioſa, ſed ex veteri conſuetudine recepta, retinuerunt. Ita paſſim in ſepulcralibus Chriſtianorum inſcriptionibus nihil frequentius occurrit quam compendia illa literarum plane ethnica D. M. S. *Diis Manibus ſacrum*. Sed quid hæc moror? Conſtantinum Imperatorem Chriſtiano nomine claruiſſe ſcitum eſt; hujus vero nummos cum epigraphe Jovi conſervatori, Marti Victori, ipſaque demum Jovis effigie Mediobarbus, aliique rei nummariæ ſcriptores paſſim exhibent.

Lactantius in præfatione Inſtitutionum ſuarum Conſtantinum inter omnes Romanos principes primum *repudiatis erroribus* majeſtatem Dei cognoviſſe & honoraſſe perhibet; cujus verba ſi ad rigidum literæ ſonum accipiantur errorem continent plane manifeſtum. Quid enim? Nonne Conſtantius Clorus Conſtantini pater Imperium Romanum ante filium rexit? Ejus vero religionem hoc ſuo teſtimonio adſtruit Euſebius de Vit. Conſtant. lib. 1. cap. XVII. *Unum quidem ſummum omnium Deum agnoſcens, eorum vero qui plures Deos colerent impietatem condemnans*, &c. Vide etiam cap. XXI. & XXII. ejuſdem operis. Non ergo primus omnium Conſtantinus Deo vero cultum exhibuit; quamquam reipſa vera tradidit Lactantius; cum enim Conſtantinus omnium primus apertam fidei Chriſtianæ profeſſionem exercuerit, hanc voluerit Religionem in toto imperio regnare, unum ſe Religioſum exhibere Chriſto haud ſatis ducens; hoc verbis illis deſignavit Lactantius. Si tamen Lactantio verba illa tribuantur: eſt enim ambiguum num præmiſſa toti operi Inſtitutionum ejus præfatio Lactantium ferat auctorem: deeſt enim in MSS. Codd. plane multis, & male cum reliqua ſcriptione cohæret: ait enim Lactantius ejus operis lib. VI. 17. tunc pariter cum illud molietatur *ſpectari adhuc per orbem pœnas cultorum Dei in quibus excruciandis nova & inuſitata tormenta excogitata ſunt*: Quæ ſane Diocletiani & Maximiani tempora ſpectant: in præfatione vero Conſtantinus Auguſtus & res ſub eo gestæ exprimuntur. Hac igitur præfatione a Lactantio ſubducta palmare Baſnagii argumentum recidit in caſſum.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM TERTII SÆCULI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO I.

De Fide Zephirini Romani Pontificis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Zephirinus Pontifex Maximus Montani Hæresim propugnaverit, aut ipsi faverit?

PROPOSITIO.

Zephirinus Romanus Pontifex, nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi ullatenus favit.

PROBATUR primo. Qui Decretum edidit adversus Montani hæresim, quo Mœchos ad Pœnitentiam invitabat, eisque spondebat indulgentiam, non propugnavit errorem Montani, nec ipsi ullatenus favit: sed Zephirinus edidit huiusmodi Decretum: Igitur nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi favit.

Probatur minor verbis Tertulliani, libro de Pudicitia, c. 1. *Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta Pœnitentia functis dimitto.* At his verbis Zephirinum a Tertulliano fugillari, vulgaris opinio est. Certe sententiam Montani fuisse a Catholicis explosam, quos per contumeliam Psychicos appellat, testatur Tertullianus toto libro de Pudicitia: & sententiam contrariam, quæ peccatores pœnitentiam professos complectebatur, fuisse in Ecclesia propugnatam. *Illic*, inquit, *ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi deliquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & virgo est.*

Et c. 10. *Sed cederem tibi, si Scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino Instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum, etiam vestrarum, inter apocrypha, & falsa judicaretur, adultera & ipsa, & inde patrona sociorum; a qua & alias initiaris; cui ille si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani Sacramenti, merito & ebrietatis Idolum, & mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ, de quo nihil lubentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ.* Porro vel in Ecclesia Carthaginensi propugnabatur secunda illa pœnitentia, vel in Romana. Si in Romana, Zephirinus qui illi præerat Ecclesiæ, omnino alienus erat ab errore Montanistarum. Si in Carthaginensi dumtaxat, procul dubio oppositus illi Tertullianus Ecclesiæ Romanæ & Summi Pontificis doctrinam & fidem, cum hanc ipse statuerit regulam 1. de Præscriptionibus, c. 36. Hæreticos testi-

teſtimonio & auctoritate Eccleſiarum Apoſtolicarum, præſertim Romanæ, cujus cum Africana ſemper fuerat ſumma conſenſio, eſſe conterendos. *Age jam qui voles*, inquit, *curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque ..... Si Italiæ adjacens, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt ... Videamus quid didicerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.*

Probatur ſecundo. Zephirino Eccleſiam regente, Cajus Auctor Eccleſiaſticus publicam Diſputationem habuit contra Proclum erroris Cataphrygum, ſeu Montaniſtarum acerrimum defenſorem (ut teſtantur Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 14. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, c. 70.) Atqui Diſputationem iſtam qua profligati ſunt Montaniſtæ, non permiſiſſet Zephirinus, ſi faviſſet ipſorum erroribus. Itaque Zephirinus Montaniſtarum erroribus non favit.

Probatur tertio. Qui Natalium Confeſſorem, in Theodoti Coriari hæreſim lapſum, & pœnitentiam poſtea ſuæ defectionis agentem, in Eccleſiam recepit, non adhæſit errori Montaniſtarum qui peccatorum lethalium reis Eccleſiæ fores occludebant. Atqui Zephirinus Natalium in hæreſim lapſum acta exomologeſi, in Eccleſiam recepit: non adhæſit igitur errori Montaniſtarum, negantium veniam ab Eccleſia Lapſis poſt Baptiſmum indulgeri poſſe.

Probatur minor ex Euſebio l. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 27. hiſtoriam illam referente ex antiquo Auctore, & coætaneo Zephirini. *Erat quidam Natalius Confeſſor*, inquit, *non jampridem, ſe noſtris jam pene temporibus. Iſte ab Aſclepiodoto, & altero Theodoto Trapezita (hi quidem ambo Theodoti Coriarii diſcipuli erant) fraude ac dolo deceptus fuit; & ab illis duobus, quos ſupra poſui, ſalario quodam & mercede perſuaſus ut illius erroris Epiſcopus crearetur: ea lege nimirum, ut centum quinquaginta denarios menſtruos ei perſolverent. Qui quidem cum ſe in illorum ſocietatem dediſſet, per viſiones quaſdam a Domino ad ſe dimiſſas ſæpenumero admonitus fuit. Deus enim miſericors, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Martyrem & teſtem ſuarum afflictionum extra Eccleſiam miſere diſperire noluit. Cæterum quoniam erat primo apud illos Sedis Epiſcopalis appetitione, tamquam hamo ineſcatus, & turpi quæſtu irretitus, & propterea tardius Dei viſionibus animum attendit: Tandem per integram noctem a ſanctis Angelis flagris & verberibus adeo acerbe & graviter cæſus fuit, ut cum primo mane ſurgeret, cilicio & ſacco indutus, cineribus aſperſus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zephirini Pontificis ſe ſupplicem abjiceret: & non modo ad Cleri, ſed ad Laicorum etiam genua advolveretur: ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnopere commiſerata, lamentis una ſe dederet. Attamen ille, licet multis precibus uſus fuiſſet, & plagarum vibices, quas pertulerat, oſtendiſſet, vix tandem in Communionem Eccleſiæ receptus fuit.*

Natalius Confeſſor ab Angelis flagris graviter cæſus.

Publicam Pœnitentiam agit.

Probatur quarto ex Optato Milevitano l. 1. contra Parmenianum, aſſerente Marcionem, Praxeam, Sabellium, Valentinum, & alios qui Zephirini temporibus Eccleſiam infeſtabant, Hæreticos ab illo Pontifice ſuperatos fuiſſe. *Marcion*, inquit, *Praxeas, Sabellius Valentinus, & cæteri temporibus ſuis, a Victore & Zephirino Urbico, & Tertulliano Carthaginenſi, uſque ad Cataphrygas, & a cæteris aſſertoribus Catholicæ Eccleſiæ ſuperati ſunt.*

Objectionem ſubminiſtrat Tertullianus in libro adverſus Praxeam, c. 1. ubi teſtatur Epiſcopum Romanum, qui tunc Zephirinus erat, approbaſſe Prophetias Montani, Priſcæ & Maximillæ, & Eccleſiæ pacem Montaniſtis reſtituiſſe, licet ſtatim literas pacis, agente Praxea, revocaverit. *Nam idem tunc*, Praxeas, *Epiſcopum Romanum, agnoſcentem jam Prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeverando, & Præceſſorum ejus auctoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam emiſſas, & a propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.*

Reſpondeo primo, Tertulliano, in iis quæ res Montani ſpectant, fidem adhiben-

dam non esse, cum professus fuerit Montanista. Nam solemne fuit Hæreticis errores suos Pontificibus affingere, ut eorum nomine & auctoritate se tuerentur, & Fidelibus fucum facerent. Sic Artemonis discipuli Victori Pontifici Romano impium præceptoris sui errorem tribuerunt, teste Eusebio, l. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 27. Ita & Montanistæ suis a partibus stare Zephirinum temere asseruerunt.

Respondeo secundo, Zephirinum forsan agnovisse Prophetias Montani, & ad literas pacis Montanistis concedendas paratum fuisse, errore facti, non errore juris. Scilicet cum se Catholicos mentirentur, & sanctioris insuper vitæ speciem præseferrent, decipere potuerunt Zephirinum, non quidem ita ut in approbationem suorum errorum illum adducerent, sed ut existimaret ipsos cum virus suæ hæreseos absconderent, & pietatis larva obtegerent, maxime Catholicos esse, & Ecclesiastica communione dignos. Quo etiam pacto Pelagius, & Cœlestius Zosimum aliquando deluserunt, adeo ut illorum fidei professionem, quæ verbis tenus Catholica erant, probaret, & eorum accusatoribus irasceretur, mirareturque vehementer, quod ab Africanis Synodis damnati essent ut hæretici, eosque *Viros absolutæ fidei, & numquam a Catholica veritate, aut ab Ecclesiæ corpore divulsos* vocaret (ut constat ex illius Epistola ad Aurelium, & alios Antistites Africanos.) Verum ut ipse errore tantum facti favit Pelagio & Cœlestio, non errore juris; & eorum detecta vafritie, de eorumque erroribus, & dolis in occultanda hæresi qua medullitus infecti erant, ab Africanis Episcopis certior factus, Pelagianam hæresim solemni decreto damnavit, Pelagiumque & Cœlestium anathemate confixit: ita Zephirinus errore tantum facti favit Montano, & ejus Prophetissis, (si tamen favit unquam) quia Catholici nominis, pietatisque larvam circumferebant, & Symbolum Apostolicum professi, errores sectæ suæ proprios dissimulabant. At statim atque a Praxea adhuc in Ecclesiæ castris pugnante Montani hæresis & Pseudoprophetia detecta est, Zephirinus illam damnavit, ejusque auctores anathemate contrivit, & ab Ecclesia expulit.

SCHOLION.

Quod in Responsione ad Objectionem dixi, *Zephirinum* & *Zosimum* in facto errasse; Religiosi Censores sive Censorii Indiculi Auctores sic interpolarunt, & notarunt: *Pontifices multi erraverunt, errore facti.*

R. Id certissimum, quod ipsis impossibile videtur. Non mihi, sed *Sancto Thomæ* & Cardinali *De Turrecremata* credant in summa *De Ecclesia* l. 11. c. 112. scribenti: *In illis quæ sunt facti, Ecclesia errare potest, ut dicit Sanctus Thomas tam in Quodlibet. 8. quam in 4. Sententiarum Dist. 41. ubi ait, Quod quamvis Ecclesia dono, & auctoritate divina fulciatur, tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus suis provenit, quod non est divinum.*

Nota.

QUA ratione erroribus facti obnoxii sint Summi Pontifices, commodius alibi explicandum est.

DISSERTATIO II.

De statu Controversiæ inter Lapsos in Persecutione Decii, & Clerum Romanum Sancto Cypriano, ejusque Collegis consentientem: Deque ejus progressu & exitu.

IS erat Controversiæ status: an cum Lapsis nulla prævia Pœnitentia purgatis esset communicandum. Id pertinaciter Lapsi complures in persecutione Decii contendebant, & multitudine, importunitateque sua impetrare nitebantur. Quinque Presbyteri, qui & ipsi lapsi erant, sese velut signiferos illius seditionis præstiterunt. Alii e Sacerdotibus quadam simplicitate ducti illos, nulla pœnitentia acta, suis restituerunt Eccle-

Ecclesiis. Lapsi tamen illi adeo impudentes non erant universi, ut reconciliationem nulla acta pœnitentia simpliciter flagitarent: sed libellis Martyrum freti illam velut debitam postulabant, quam nisi ab Episcopis statim obtinerent, non se, sed Martyres despectos conquerebantur. Quid vero Sanctus Cyprianus, & Clerus Romanus? (vacabat enim obitu Fabiani Sedes Apostolica.) Jusserunt eos expectare, donec sedata persecutione, celebrari posset Concilium, in quo discussis eorum causis, cuique pro criminis gravitate pœnitentia imponeretur. Nihil interim innovari voluere; hoc est, legitimam & consuetam eos subire pœnitentiam jusserunt, qua peracta, reconciliationem per impositionem manuum Episcopi, & Cleri obtinerent. Lapsis porro conditionem illam recusantibus, ad propellendum schismatis periculum, provisorio Decreto sancitum est, illis qui Martyrum libellos haberent, in mortis discrimine pacem seu absolutionem esse concedendam. Confessores interim redarguerunt Romanus Clerus & S. Cyprianus, quod in concedendis libellis adeo faciles se præberent, & Lapsis pacem passim, & sine examine adprecarentur, qua facilitate Evangelii & Ecclesiasticæ Disciplinæ vigor & censura solvebantur, ac pessum ibant.

Decio tandem Imperatore occiso, pax reddita est Ecclesiis. Carthaginem e secessu suo rediit S. Cyprianus. Romæ Cornelius creatus est Pontifex. Hic & illic Concilia pro Lapsorum causa discutienda convocata sunt. In illis summo consensu decretum est, *Sacrificatos*, id est, eos, qui thus idolis adolevissent, pœnitentiam plenam agere debere, qua peracta reconciliarentur. Quod si in ipso pœnitentiæ decursu mortis periculum immineret, reconciliationis donarentur beneficio, nondum licet completa pœnitentia. *De Libellaticis* vero statutum est, ut nulla alia pœnitentia peracta, præter eam, quam fervente adhuc persecutione, sponte subierant, statim ad Ecclesiæ pacem admitterentur.

Hæc quæ compendio perstrinximus, ut probata exhibeamus, sequentes stabiliemus Propositiones.

PROPOSITIO I.

Fervente Decii persecutione, Lapsi libellos Martyrum seditiosa prætexebant, veniam ut obtinerent ab Ecclesia, nulla licet Pœnitentia functi: hisque muniti libellis Communioneminvadere volebant.

PRobatur ex Sancto Cypriano Epistola 15. ad Clerum Romanum data, in qua ita scribit: *Item cum comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantum possem ad Dominica præcepta revocarem.*

Probatur secundo ex ejus Epistola 23. ad Clerum pariter Romanum data, in qua hæc habet: *Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum singulorum causas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare; quod se nunc omnes jactant a Martyribus, & Confessoribus accepisse. Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Nam in Provincia nostra per aliquot civitates in Præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem, quam semel cunctis a Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis & subactis Præpositis, qui ad resistendum minus virtute animi, & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix a nobis in præteritum regebantur, & in nostram præsentiam differebantur, per hanc Epistolam, velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere, & pacem sibi datam extorquere cœperunt.*

Et Epistola 20. ad eumdem Clerum. *Postquam*, inquit, *ad vos literas feci de quorumdam prospecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, literas ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum* (Martyrem) *omnibus pacem dedisse.*

Probatur tertio ex Epiſtola ejuſdem Sancti Cypriani 55. ad Cornelium data, in qua refert, quinque Presbyteros, ſcilicet Felicem, Juvinum, Maximum, Repoſtum, & Fortunatum, cum ipſi perſecutionis initio cecidiſſent, pœnitentiæ, quæ lapſis erat imponenda reſtitiſſe, ipſoſque ut abſolutionem, nulla acta pœnitentia, ab Epiſcopis extorquerent, concitaſſe. *Taceo itaque*, inquit, *de Fraudibus Eccleſiæ factis; conjurationes & adulteria, & varia delictorum genera prætereo; unum illud, in quo non mea, nec hominum ſed Dei cauſa eſt, de eorum facinore non puto eſſe reticendum: quod a primo ſtatim perſecutionis die cum recentia delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ Lapſorum, atque ora fumarent, communicare cum Lapſis, & Pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt.*

PROPOSITIO II.

Temeraria erat Lapſorum poſtulatio; cum abſque Satisfactione venia obtineri a Deo non poſſit, nec eam indulgere poſſit Eccleſia, niſi iis qui pro peccato ſatisfecerint, aut ſatisfacere voluerint.

PRobatur primo. Temeraria erat illorum poſtulatio, qui abſque Pœnitentia Communionem Eccleſiæ, & abſolutionem extorquere volebant: ſed Lapſi abſque Pœnitentia Communionem & abſolutionem Eccleſiæ extorquere volebant: temeraria igitur erat ipſorum petitio.

Probatur minor. Qui abſolutionem vult extorquere abſque ſatisfactione, vult eam extorquere abſque Pœnitentia: ſed Lapſi abſolutionem extorquere volebant abſque ſatisfactione: ergo abſque pœnitentia.

Sincera Pœnitentiæ actus & fructus.

Probatur major ex Traditione, in qua nuſquam occurrit Pœnitentia abſque ſatisfactione, velut proprio charactere. Sic eam repræſentat Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 9. *Hujus igitur Pœnitentiæ ſecundæ, & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio Confeſſione diſponitur, confeſſione Pœnitentia naſcitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſi proſternendi, & humilificandi hominis Diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ ilicem: de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum, Presbyteris advolvi & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes ſuæ deprecationis injungere. Hæc omnia exomologeſis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur, ſed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cum accuſat, excuſat; cum condemnat, abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.*

Quid non tolerandum & faciendum in periculo æternitatis.

Et cap. 11. *Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi. Sed enim illos, qui ambitus obeunt capeſſendi Magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? Quę non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? Ad omnem occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſcentes, nullis conviviis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules a libertatis & lætitię felicitate, idque totum propter unius anni volaticum gaudium: nos quod ſecurium virgarumve petitio ſuſtinet in periculo æternitatis, tolerare dubitamus? & caſtigationem victus, atque cultus offenſo Domino præſtare ceſſabimus, quæ Gentiles nemine omnino læſo ſibi irrogant?*

Iisdem coloribus pœnitentiam adumbrat Sanctus Cyprianus libro de Lapsis: *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, flectibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet?... Si quem de charis tuis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres; facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua, supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti; & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?* *Vera Conversio, Contritio, Confessio, Satisfactio.*

Et infra: *Quam magna deliquimus, tam granditer desleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere; vigiliis noctes ac fletibus ducere; tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare; stratos solo adhærere cineri; in cilicio & sordibus volutari; post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum; post diaboli cibum, malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere, quibus animæ a morte liberentur.* *Pœnitentia crimine minor non sit.*

Sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus, in Paræneſi ad Pœnitentiam, verbis non minus luculentis necessitatem satisfactionis adstruit, cum Pœnitentibus hæc verba suggerit, quibus iis respondeant, a quibus ad voluptates alliciuntur: *Si quis in balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: ista felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare ne pereas.* *Delicia & oblectationes seculares non conveniunt Pœnitentibus.*

Et in fine Epistolæ 1. ad Sympronianum: *Scio, Frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari magno pondere, magnoque libramine, post multos gemitus effusionemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Christo nemo præjudicet.*

Sanctus Ambrosius in libris de Pœnitentia, satisfactionis necessitatem persuadet, & severitatem describit verbis sane magnificis, sed præsertim libro 2. cap. 10. *Facilius*, inquit, *inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. Anquisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur: sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt propter amores meretricis peregre profectum, & abolito amore, regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, mirata, putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; Responderit ille: Sed ego non sum. Unde bene ait Dominus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere.* *Vera Pœnitentia characteres.*

Et

Facilitas veniæ, incentivum est delinquendi.

Et in Psalmum 118. exponens illum versum, *Miserere mei secundum verbum tuum*; hæc habet: *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ, ne quis a Communionis consortio abstentus, brevi lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne, cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

Satisfactionis necessitas & severitas.

Sanctus Augustinus innumeris in locis eamdem satisfactionis severissimæ necessitatem urget, sed præsertim libro quinquaginta Homiliarum, Homilia 50. ubi de pœnitentia quæ pro peccatis mortalibus fieri debet, sic loquitur: *In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere; ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino, sicut idem Apostolus ait: Si enim nos judicaremus, a Domino non judicaremur. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ . . . Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui separari a regno cœlorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam Disciplinam a Sacramento cœlestis Panis interim separetur.*

Et infra: *Non enim sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humiliatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Magni super extinctam animam dandi planctus.

Sanctus Cæsarius Arelatensis passim in suis Homiliis Ecclesiæ fidem circa necessitatem satisfactionis, eleganti, & nervosa oratione explicat, præsertim Homilia 1. ubi de peccatis mortalibus ita loquitur: *Hæc itaque principalia mala, ingenti rugitu, & gemitu & fonte indigent lachrymarum: atque per lachrymas clamandum est cum Propheta, Rugiebam a gemitu cordis mei, &c. Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare planctus, & quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari: ita convenit super unicam suam, sed cum spe reparationis affligi. De qua unica Sermo Propheticus dicit: Erue a framea animam meam, & de manu canis unicam meam. Quare unicam dixit? Sive quia tamquam unica diligenda est, sive quia ipsa sola ante tribunal cœleste, rationem, remotis omnibus solatiis, reddditura est. Ita, inquam, necesse super hanc unicam criminum mucrone confossam, totum pondus doloris effundi: Si forte possit lachrymarum vivificata fontibus, calore fidei suscitari. Accendenda est compunctio, corroborandæ sunt preces futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvandæ.*

Quæ Satisfactio pro mortalibus, quæ pro venialibus peccatis Deo exhibenda?

Et Homilia octava, ubi peccatorum venialium, & mortalium discrimen exposuit, explicat, quæ satisfactio pro venialibus, quæ pro lethalibus, Deo sit exhibenda, his verbis: *Quoties infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio jejunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius convenimus, eleemosynam ante hostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, indulgemus: 'istis operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus vero criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ; ultro nos ipsos a Communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publice agentes.*

Denique congeri huc possent Conciliorum sacra Decreta, & veterum Canonum Pœnitentialium regulæ, ex quibus constat Ecclesiam sæculis omnibus agnovisse, Satisfactionem gravitati peccatorum proportionatam, jure divino ad obtinendam veniam peccatorum necessariam esse. Cum itaque Lapsi absque satisfactione Communionem invaderent, & absolutionem sibi tribui vellent, ob libellos Martyrum, quamvis nulla omnino functi essent Pœnitentia, temeraria prorsus erat ipsorum postulatio.

Probatur secundo Propositio ex Epistolis Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, quibus Lapsorum insolentiam & temeritatem vehementer coarguit. In prima, quæ:

inter

inter Cyprianicas trigesima est, ita scribit: *Quos quidem satis mirati sumus ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter, & tam immaturo, atque acerbo tempore, in tam ingenti & immenso crimine atque delicto, pacem sibi non tam peterent, quam vindicarent, immo jam & in cœlis habere se dicerent.*

Respondet subinde rationibus Lapsorum, qui Martyrum libellos obtrudebant, dicens, hujusmodi libellos a Martyribus directos esse ad Antistites, supplicationum instar, quorum proinde examini obnoxii sint, & sine quorum concessione pacem non possint consequi. Unde expectandum a Lapsis esse judicium Episcoporum concludit hac in causa. *Qui si habent*, pacem, *quid*, inquit, *petunt, quod tenent? Si autem non habere illos probatur, hoc ipso quod petunt, cur non judicium eorum sustinent, a quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt?*

Pacem & communionem Lapsis absque debita satisfactione præstare Evangelio repugnat.

Addit, Pacem quam se habere, vel quam sibi debitam esse, Lapsi adeo temere jactitabant, Evangelicæ legi repugnare. *Cæterum*, inquit, *quo pacto Evangelicam poterit præstare communicationem, quod contra Evangelicum decretum videtur Veritatem? Nam cum omnis prærogativa ità demum ad indulgentiæ privilegium spectet, si ab eo cui sociari quærit, non discrepet; qui a Deo, cui sociari quærit, discrepat, necesse est indulgentiam, & privilegium societatis amittat. Videant igitur quid in hoc negotio agere conentur. Nam si aliud quidem Evangelium aliud autem Martyres dicunt posuisse decretum; collidentes contra Evangelium Martyres utrobique periclitabuntur. Nam & Evangelii fracta jam & jacens videbitur Majestas, si potuit alterius decreti novitate superari; & de Martyrum capite glorioſa confessionis corona detracta, si non illam de Evangelii conservatione invenientur consecuti, unde Martyres fiunt; ut merito nulli magis sit competens nihil contra Evangelium decernere, quam qui Martyris nomen ex Evangelio laborat accipere.*

Exitiosa properatæ communicationis venena.

Urget amplius, & ostendit non intendisse Martyres, ut pax Lapsis absque ulla satisfactione prævia tribueretur. *Quo pacto*, inquit, *salutem, quam, si sacrificassent, se non habituros putaverunt, illis existimant donandam qui sacrificasse dicantur? Cum legem hanc debeant in aliis tenere, quam ipsi videbantur sibi ante posuisse.* Instat vehementius: *Si dandam illis pacem Martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? Cur illos ad Episcopum remittendos censuerunt? Is enim qui jubet fieri, potest utique facere, quod fieri jubet.* Ait ergo: *Martyres, adhibendum putasse temperamentum & pudoris, & veritatis. Nam & quia a multis urgebantur, dum ad Episcopum illos remittunt, verecundiæ propriæ, ne ulterius inquietarentur, consulendum putaverunt: & dum illis non ipsi communicant, Evangelicæ Legis illibatam sinceritatem custodiendam judicarunt.*

Denique Sanctum Cyprianum monet florentissimus Ecclesiæ Romanæ Clerus, qua ratione gerere se debeat erga Lapsos. *Tu tamen Frater*, inquit, *numquam pro tua charitate desistas Lapsorum animos temperare & errantibus veritatis præstare Medicinam; licet animus ægrorum medentium respuere soleat industriam. Recens est Lapsorum nuper hoc vulnus & adhuc in tumorem plaga consurgens: & idcirco certi sumus, quod spatio productioris temporis impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam; si tamen desint, qui illos arment ad periculum proprium, & in perversum instruentes pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa de poscant illis properatæ communicationis venena.*

Idem argumentum persequitur nobilissimus primæ Ecclesiæ Clerus Epistola 2. ad eumdem Sanctum Cyprianum data, quæ inter illius Epistolas extat ordine 31. in qua primo ostendit, quanti interfit Disciplinam Ecclesiasticam in suo semper vigore; tueri nec Lapsos absque prævia satisfactione ad Communionem recipere. *Quid enim*, inquit, *aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos; ut appareat, non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur, & di-*

Ecclesiasticæ Disciplinæ vigor.

scipli-

ſciplina ipſius ſemper cuſtodita ratio, quaſi ſalutare aliquod gubernaculum in tempeſtate ſalvetur.

Profana facilitas.

Et infra: *Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſa fidei majeſtate diſſolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, ſed & cadant everſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & Pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe Medicus, intercepta pœnitentia, indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare; ſed, ſi dicere verum volumus, occidere.*

Non momentaneam, neque præproperam Lapſi deſiderare debent medicinam.

Et poſt multa: *Oremus ut, qui cecidiſſe referuntur, delicti ſui magnitudinem agnoſcentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam deſiderare medicinam: oremus ut effectus indulgentiæ Lapſorum ſubſequatur & Pœnitentiam, ut intellecto ſuo crimine, velint nobis interim præſtare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Eccleſiæ ſtatum; ne interiorem nobis perſecutionem incendiſſe videantur, & accedat ad cumulum criminum, quod etiam inquieti fuerunt: Maxime enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulſent ſane fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant .... Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant legatos pro ſuis doloribus lachrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem.* Ex quibus omnibus colligitur, temerariam fuiſſe Lapſorum petitionem, qui nulla peracta Pœnitentia, nulla præſtita ſatisfactione, Communionem invadere nitebantur.

Probatur tertio Propoſitio ex ſingulari & eximio loco Sancti Cypriani, Epiſtola nimirum decima, qua graviter conqueritur apud Clerum ſuum de quibuſdam Presbyteris, qui temere pacem Lapſis dederant, necdum ſedata perſecutione, & citra Epiſcoporum conſcientiam. In eorum audacia duo potiſſimum reprehendit: primum, quod cum contumelia & contemptu Epiſcopi totum ſibi vindicent. Secundo, quod graviſſimorum criminum reos, nulla functos Pœnitentia, pace donaverint. Quoad primum, hæc habet: „ Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, „ quod nunquam omnino ſub Anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu Præpoſiti totum ſibi vindicent? Atque utinam non proſtrata fratrum noſtrorum „ ſalute ſibi omnia vindicarent! Contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulare, & ferre „ poſſem, ſicut diſſimulavi ſemper, & pertuli: ſed diſſimulandi nunc locus non eſt: „ quando decipiatur Fraternitas noſtra a quibuſdam veſtrum, qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis Lapſis obſunt.

Presbyteri, qui gravium peccatorum reos nulla ſunctos Pœnitentia ſtatim ad Communionem admittunt, miſeros decipiunt.

Secundum caput ſic urget: „ Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros; „ ut qui poſſunt agentes pœnitentiam veram, Deo Patri miſericordi precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur ut magis pereant; & qui erigere ſe poſſent, plus „ cadant. Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, „ perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum Pœnitentia acta „ nondum Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.“

Denique illos Presbyteros ob aliam rationem increpuit, quod nimirum pacem Lapſis dando, Martyres cum Epiſcopo commiſerint. „ Exponunt deinde invidiæ beatos Martyres, *inquit*, & glorioſos ſervos Dei cum Dei Sacerdote committunt (cum illi „ memo-

„ memores loci noſtri ad me literas direxerint, & petierint nunc deſideria ſua exa-
„ minari, & pacem dari, quando ipſa ante mater noſtra Eccleſia pacem de Domini
„ miſericordia prior ſumpſerit, & nos divina protectio reduces ad Eccleſiam ſuam fe-
„ cerit.) Hi ſublato honore, quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant,
„ contempta Domini lege, & obſervatione, quam iidem Martyres & Confeſſores te-
„ nendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, an-
„ te ipſum pene Martyrum exceſſum, communicent cum Lapſis, & offerant, & Eu-
„ chariſtiam tradant: quando etiamſi Martyres per calorem gloriæ Scripturam minus
„ contemplantes, contra legem Domini plus aliquod cuperent, a Presbyteris & Dia-
„ conis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt. "

Quamobrem Presbyteris illis temerariis, & ignavis ſuſpenſionem a ſacris Miniſteriis, aliaſque pœnas minitatur, ſi in poſterum Lapſos Communione donaverint ante peractam Pœnitentiam, & ſe inconſulto. „ Interim, *inquit*, temerarii & incauti, & tu-
„ midi quidam inter vos, qui hominem non cogitent, vel Deum timeant; ſcientes
„ quoniam ſi ultra in iiſdem perſeveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Do-
„ minus jubet: ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Con-
„ feſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam; cum Domino permittente,
„ in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus.

Probatur quarto locupletiſſimo teſtimonio ejuſdem Sancti Cypriani in libro de La- *Pia ſeve-*
pſis, ubi primum piam quamdam a Sacerdotibus ſeveritatem erga Lapſos exercendam *ritas in*
eſſe oſtendit: „ Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem *Lapſos.*
„ ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus re-
„ darguit ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit
„ Dominus, redarguo, & caſtigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis de-
„ cipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt Medicus, qui
„ tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum
„ virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, &
„ putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet,
„ & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit
„ ſanitatem. "

Deinde contra legem divinam conceſſam eſſe abſolutionem probat, quæ Lapſis nulla Pœnitentia functis, nulla ſatisfactione criminibus proportionata purgatis conceſſa eſt, eamque irritam eſſe, & inanem oſtendit, atque cum in Sacerdotum illam dantium, tum in peccatorum ipſam recipientium, perniciem cedere. „ E merſit enim, *inquit*
„ novum genus cladis; & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cu-
„ mulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evan- *Irrita &*
„ gelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam, laxatur in- *falſa pax*
„ cautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus
„ profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam.
„ Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt; graviſſimi extremique delicti memoria ſublata
„ eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis vulneribus
„ infixa, diſſimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domi-
„ ni ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pe-
„ ne ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta re-
„ dolentibus, Domini corpus invadunt.... Vis infertur corpori ejus & ſanguini: & plus
„ modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.
„ Ante expiata delicta, ante Exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcien- *Vis illata*
„ tiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & *corpori &*
„ minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax *ſanguini*
„ illa, ſed bellum, nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur. *Domini.*

Exponit deinde luculentius perniciem, quam Lapſorum animabus infert præcipitata *Præcipita-*
hujuſmodi abſolutio, & quæ nullos ſatisfactionis fructus ſupponit: Nec eam ab igna- *ta Abſolu-*
vis Sacerdotibus velari merito poſſe nomine pietatis demonſtrat. „ Quid injuriam, *in-* *tio, ante-*
„ *quit*, beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, *quam di-*
„ qui *gnos Pœni-*

tentia fructus lapsi fecerint, illorum animabus impedimentum est ad salutem.

„ qui flere jugiter & rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamenta-
„ tione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi Lapsis, quod grando frugibus;
„ quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens vastitas; quod navigiis sæva
„ tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem a radice subvertunt; sermone
„ morbido ad lethale contagium serpunt; navem scopulis, ne in portum perveniat,
„ illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit: nec communicationem tribuit,
„ sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, per quam subti-
„ lis inimicus impugnandis adhuc Lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio
„ conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pecto-
„ rum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa &
„ plena Pœnitentia deprecetur; cum scriptum sit, Memento unde cecideris, & age
„ Pœnitentiam.

Objiciet quispiam. Qui consecurus est indulgentiam non est temerarius si postulet Communionem Ecclesiæ, & Sacramentorum, absque satisfactione. Siquidem ea vis est indulgentiarum ut pœnam omnem relaxent debitam peccatis, cum plenariæ sunt. Sed Lapsi, qui libellos a Martyribus obtinuerant, velut plenariam erant consecuti indulgentiam. Ab hujusmodi namque libellis indulgentiarum antiquitas in Ecclesia repeti solet. Non erat itaque temeraria Lapsorum postulatio, qui Martyrum Libellis muniti, Communionem postulabant, & duros pœnitentiæ labore subire renuebant; Martyrum enimvero sanguis & merita satisfactionis loco censebantur.

Respondeo, nego majorem: Cujus probationem distinguo. Ea vis est indulgentiarum ut pœnam omnem relaxent, &c. Cum peccator vere pœnitens est, concedo, cum non est vere pœnitens, nego. Vera autem pœnitentia non est, nisi facere Deo satis peccator velit & totis viribus contendat. Nec indulgentiæ quantumcumque plenariæ supponantur, illis prosunt qui satisfactionem proportionatam peccatis subire, & implere nolunt. Illis itaque dumtaxat suffragantur, qui satisfacere cum non possint, vel ex toto, vel ex parte, ante peractam pœnitentiam plenam rapiuntur: vel illis, qui Deo quidem & Ecclesiæ satisfaciunt, sed ob humanam fragilitatem satisfactionem non exhibent numeris omnibus absolutam, & tanto charitatis animatam fervore, quantus ad placandam Majestatem divinam par esset. Tunc itaque Christi satisfactio, Sanctorumque suffragia ab Ecclesia per indulgentias pœnitentibus applicata, supplent quod ipsorum satisfactionibus deest. At peccatoribus qui indulgentiarum prætextu, severas pro gravibus peccatis subire pœnas recusant, absolutio danda non est, & Communio: nec ipsi temere, & contra jus divinum postulare possunt. Hæc doctrina est Sancti Cypriani libro de Lapsis. *Si precem*, inquit, *toto corde quis faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus inflectat: misereri talium potest, qui & misericordiam suam protulit dicens: Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, & scies ubi fueris . . . .*

Indulgentiæ prosunt pœnitenti, operanti, roganti,

Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.

Quod vero intercessiones & merita Martyrum non prosint illis, qui satisfacere cum possint Deo & Ecclesiæ, renuunt, nec ad pœnas peccatorum illis relaxandas in indulgentiis suffragentur, sed solum illis, qui ad plene satisfaciendum fiunt impotentes, quia eorum Pœnitentia morte intercipitur, ibidem testatur S. Cyprianus his verbis: *Credimus quidem posse apud Judicem plurimum Martyrum merita, & opera Justorum: sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus, & mundi, ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere; non tantum nihil prodest, sed & obest Lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam.*

Respondeo secundo, nego minorem. Libelli enim Martyrum non habebant rationem, & vim indulgentiæ, sed precum, & commendationum, quas ad Episcopos dirigebant, ut illarum habita ratione, insuper & dispositionis Lapsorum, atque Pœnitentiæ

tentiæ ab illis jam inceptæ, severitatem Ecclesiasticæ Disciplinæ erga illos temperarent, & satisfactionis tempus contraherent, prout ipsis congruum videretur. Unde cum incongruum esset & contra jus divinum, ut pace & Communione Ecclesiæ donarentur, qui nedum ulla satisfactione scelus eluere ceperant; neque id postulasse Martyres censebantur, neque se id posse præstare existimabant Episcopi. Quapropter temerariam fuisse Lapsorum petitionem exploratum est. Id rursus constat ex S. Cypriano in libro de Lapsis. *Mandant aliquid Martyres fieri?* inquit. *Si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum, a Dei Sacerdote facienda sunt. Obtemperantis facilis & prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? sed si scripta non sint in lege Domini, quæ mandant; ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. Neque enim statim videri potest de divina Majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.* Id ubi probavit exemplis Mosis, Noe, Job, & Danielis, quorum preces pro populo Israelitico vel exauditas non fuisse, vel aliquando exaudiendas non fore Scriptura testatur, sic concludit: *Adeo non omne quod petitur in præjudicio petentis, sed in dantis arbitrio est. Nec quidquam sibi usurpat, & vindicat humana sententia, nisi annuat & censura divina.* Et infra: *Ita Martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest: aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. Nemo infamet Martyrum dignitatem; nemo eorum glorias destruat, & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume; nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest, cujus & spes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Christo est. Ut ab Episcopis contra mandatum Dei fiat, auctores esse non possunt, qui ipsi Dei mandata fecerunt.*

PROPOSITIO III.

Romana Ecclesia una cum Sancto Cypriano Lapsorum tumultus fiduciario primum Decreto compescuit; tum sedata persecutione, peremptorio Judicio, statuit recipiendos ad Communionem Libellaticos; plenam vero Sacrificatis agendam esse pœnitentiam, ita tamen ut ipsis in exitu concederetur absolutio.

PRobatur prima pars, quæ fiduciarium Decretum spectat, ex Sancto Cypriano Epistola 15. ad Clerum Romanum data. *Postmodum vero*, inquit, *cum quidam de Lapsis, sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent, ut pacem sibi a Martyribus & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur; de hoc etiam bis ad Clerum literas feci, & legi ei mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello a Martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi a Martyribus promissa ad Dominum remitterentur.*

Cur porro ita se gesserit, rationem profert ibidem. *Nec in hoc*, inquit, *legem dedi, aut me Auctorem temere constitui; sed cum videretur & honor Martyribus habendus, & eorum, qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus: & præterea vestra Scripta legissem, quæ de hoc ad Clerum nostrum per Clementium Hypodiaconum nuper feceratis; ut iis, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & Pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur; standum putavi & cum vestra sententia, ne actus noster qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet.*

Fiduciarium itaque illud Decretum statuebat, ut qui Libellos a Martyribus acceperant, in periculo positi, Ecclesiastica pace & Absolutione donarentur. Cæteri expectarent Ecclesiæ pacem, ut tranquillis ipsius rebus, examinarentur ab Episcopis singulorum causæ, & de ipsorum Pœnitentia, vel reconciliatione, communi consilio tractaretur, ac decerneretur. Id rursus constat ex Sancto Cypriano Epistola 14. ad Clerum suum data. *Quoniam*, inquit, *significastis quosdam immoderatos esse, & communicationem accipiendam festinanter urgere, & desideratis in hac reformam a me vobis dari: satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis literis ad vos factis credo,*

ut

ut qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo ceperint, exomologeſi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam impoſita, cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur. Cæteri vero, qui nullo libello a Martyribus accepto invidiam faciunt; quoniam non paucorum, nec Eccleſiæ unius Provinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt, expectent ante de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem. Hoc enim & verecundiæ, & Diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit, ut Epiſcopi plures in unum convenientes, præſente & ſtante plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus.

De proviſorio ejuſmodi Decreto ita ſcribit ad Antonianum Sanctus Cyprianus, Epiſtola 52. *De eo tamen*, inquit, *quod ſtatuendum eſſe circa cauſam Lapſorum diſtuli; ut cum quies, & tranquillitas data eſſet, & Epiſcopis in unum convenire Indulgentia divina permitteret, tunc communicato, & librato de omnium collatione conſilio, ſtatueremus quid fieri oporteret; ſi quis vero ante conſilium noſtrum, & ante ſententiam de omnium conſilio ſtatutam, Lapſis temere communicare voluiſſet, ipſe a communicatione abſtineretur. Quod etiam Romam ad Clerum tunc adhuc ſine Epiſcopo agentem, & ad Confeſſores Maximum Presbyterum, & cæteros in cuſtodia conſtitutos, nunc in Eccleſia cum Cornelio junctos pleniſſime ſcripſi. Quod me ſcripſiſſe, de eorum Reſcriptis poteris noſcere. Nam in Epiſtola ſua ita poſuerunt: Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti, prius eſſe Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus Laicis facta, Lapſorum tractare rationem. Additum eſt etiam Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat, ſua voce recitante, & Presbytero Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc jam Martyre, ſubſcribente, ut Lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur. Quæ literæ per totum mundum miſſæ ſunt, & in notitiam Eccleſiis omnibus, & univerſis fratribus perlatæ ſunt.*

Probatur ſecunda pars Propoſitionis, quæ ſpectat peremptorium Decretum, ex eodem Sancto Cypriano in Epiſtola mox laudata. *Secundum quod tamen ante fuerat deſtinatum*, inquit, *perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſæculum, gentiliter viverent; nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent; ſed traheretur diu Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ & voluntates, & neceſſitates ſingulorum.*

Idem in Concilio Romano a Sancto Cornelio Pontifice Maximo convocato, ſtatutum eſſe teſtatur ibidem Sanctus Cyprianus his verbis: *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Coliegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio, in eamdem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſentit.*

De eodem peremptorio Decreto ſcribit ad Cornelium Sanctus Cyprianus Epiſtola 55. his verbis: *Concilio frequenter acto, non conſenſione tantum noſtra, ſed & commonatione decrevimus, ut Pœnitentiam Fratres agerent, ut Pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret.*

Verum iſtud Decretum plenam Sacrificatis dumtaxat Pœnitentiam indixiſſe, non vero Libellaticis, erga quos humanius agendum Romana & Carthaginenſis Eccleſia cenſuerunt, conſtat ex eodem Sancto Cypriano, qui Libellaticis nullam aliam ſatisfactionem impoſitam fuiſſe ait ab Eccleſia, præter eam quam fervente perſecutione, ex Chriſtiano more ſubierant; & viſum eſſe Epiſcopis, reſtituta Eccleſiæ pace, ut ſtatim in Communione reciperentur. *Et ideo placuit, Frater chariſſime*, (inquit Sanctus Cyprianus ad Antonianum ſcribens) *examinatis cauſis ſingulorum, Libellaticos interim ſuſcipi, Sacrificatis in exitu ſubveniri, quia exomologeſis apud infcros non eſt.*

Ratio-

Rationem hujus discriminis quod inter Sacrificatos & Libellaticos ab Ecclesia constitutum est, exponit ibidem Sanctus Cyprianus. *Nec tu existimes*, inquit, *sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum Sacrificatis æquari oportere; quando inter ipsos etiam qui sacrificaverint, & conditio freauenter, & causa diversa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit; & qui reluctatus & congressus diu, ad hoc funestum opus necessitate pervenit: ille qui & se, & omnes suos prodidit, & qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens, uxorem & liberos, & domum totam periculi sui perfunctione protexit: ille qui inquilinos, vel amicos suos ad facinus compulit, & qui inquilinis, & coloris pepercit, fratres etiam plurimos, qui extorres & profugi recedebant, in sua tecta & hospitia recepit: ostendens & offerens Domino multas viventes & incolumes animas, quæ pro una saucia deprecentur. Cum ergo inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversitas, quæ inclementia est, & quam acerba duritia, Libellaticos, cum iis qui sacrificaverint, jungere?*

Postrema denique pars illius Decreti spectabat Sacrificatos, quibus ex morbo periculum immineret; illisque reconciliationis beneficium in exitu indulgebat. Quod si ex supremo illo discrimine evaderent, illos reliquæ Pœnitentiæ onere liberabat. Id rursus constat ex Sancto Cypriano in Epistola ad Antonianum: *Si qui enim*, inquit, *infirmitatibus occupantur, illis, sicut placuit, in periculo subvenitur: postea quam tamen subventum est, & periclitantibus pax data est, suffocari a nobis non possunt, aut opprimi, aut vi, & manu nostra in exitum mortis urgeri; ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos qui acceperint pacem: cum magis in hoc judicium divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hic quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et idcirco si accepta pace commeatus a Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdotibus criminari, cum semel placuerit fratribus in periculo subveniri.*

Objicies, inhumanum fuisse Romanæ & Africanæ Ecclesiæ provisorium erga Lapsos Decretum, quo iis qui libellos a Martyribus acceperant, concedebatur absolutio in exitu, cæteris vero negabatur.

Respondeo, nihil in sanctissima illa Disciplina inhumani fuisse: quia cum quotidie frequentes Martyrii occasiones præsto essent, suæ charitatis fervore consequi poterant Lapsi, quod illis Ecclesia per absolutionem præstitisset. Illam porro severitatem adhibere judicarunt æquum Episcopi, ut Lapsi, qui nullum sibi in Ecclesia conferendum remedium ante sedatam persecutionem noverant, unamque eluendi sceleris viam esse charitatem, & confessionem nominis Christi solemnem, illam eligerent, & pristinam ignaviam instaurato agone expungerent. Hanc rationem affert istius Disciplinæ Sanctus Cyprianus Epistola 14. in qua ad Clerum Carthaginensem de Lapsis ita scribit: *Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso, sibi plusquam postulant, largiente. Acies adhuc geritur, & Agon quotidie celebratur: si commissi vere & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet: qui differri non potest, potest coronari.*

SCHOLION I.

Ad Propositionem secundam hujus Dissertationis, pag. 197. & seq. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant in Indiculo suo: *Quod de jure divino non sit danda Absolutio, nec Communio sine congrua Pœnitentia. Ex qua doctrina* (inquiunt) *damnatur facilitas indulgentiarum, & Absolutionis Sacramentali cum levi, immo cum levissima satisfactione.*

R. Propositionem secundam postquam ex Traditione probavi, hunc in modum concludo: *Denique congeri huc possent Conciliorum sacra Decreta, & Veterum Pœnitentialium Regulæ, ex quibus constat, Ecclesiam seculis omnibus agnovisse, Satisfactionem gravitati peccatorum proportionatam, jure divino ad obtinendam veniam peccatorum necessariam esse.* Mirum quod Religiosi Censores Dogma tam Catholicum improbent ac notent. Quod autem ex hac doctrina sequi censent incommodum contra nimiam Indulgentiarum concedendarum facilitatem, nullum revera incommodum est.

Hæc enim est Ecclesiæ doctrina & sanctissima disciplina in Concilio Tridentino Sessione 25. Decreto *De Indulgentiis*, confirmata : *In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem*, Sacrosancta Synodus *abhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur*. Incommodum alterum, quod ex mea sententia, immo ex Catholico Dogmate, Religiosi Censores sequi notant, illud est, quod Absolutio sacramentalis cum levi, immo cum levissima Pœnitentia dari non possit, Quibus non aliis quam sacræ Synodi Tridentinæ verbis respondetur, Sessione 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualita te criminum & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere*: Ne, *si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*.

SCHOLION II.

In Responsione ab Objectionem contra Propositionem secundam, ad paginam 213. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Indulgentia plenaria non suffragatur nisi ei qui non potest facere Pœnitentiam*.

R. Hæc Propositio & doctrina mea non est. Propositionem meam truncarunt Auctores Indiculi Censorii: disjunctivam in exclusivam mutarunt. Dixi, *Illis dumtaxat Indulgentias suffragari, qui satisfacere cum non possint, vel ex toto, vel ex parte, ante peractam Pœnitentiam plenam rapiuntur: vel illis, qui Deo quidem & Ecclesiæ satisfaciunt; sed ob humanam fragilitatem satisfactionem non exhibent numeris omnibus absolutam .... Tunc itaque Christi satisfactio, Sanctorumque suffragia, ab Ecclesia Pœnitentibus per Indulgentias applicata supplent quod ipsorum satisfactionibusdeest*. Indiculi Censorii Auctores hanc mihi Propositionem affingunt: *Indulgentia Plenaria non suffragatur nisi ei qui non potest facere Pœnitentiam*. In alienum sensum dicta mea detorquent. Indulgentias prodesse fateor illis, qui satisfacere possunt, & volunt, & conantur, & impositam sibi ab Ecclesia satisfactionem implent: illis prodesse jure merito nego, qui satisfacere cum possint Deo & Ecclesiæ, renuunt vel negligunt. Id *Sancti Cypriani* testimonio confirmo, in Tractatu *De Lapsis*. Sentio cum Cardinali *Cajetano*, Indulgentiarum contra *Lutherum* egregio vindice, Tractatu 10. de Indulg. Quæst. 1. *Non sufficit*, inquit, *sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam Indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis; Quidam soliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas Pœnitentias vel petunt a Confessoribus sibi imponi, parati eas implere; vel sponte illas assumunt, dum continue student per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, &c. Secundi vero parvissimam Pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt; & cum illam impleverint (quam sciunt esse minimam) non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere quod non ibunt ad infernum. Et hi sunt quibus Indulgentiæ non prosunt*.

Nota.

SAtisfactionis proportionem cum patratis criminibus commendavit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 18. & postea Romanus Catechismus Sancti Pii V. jussu editus, ac a Sacerdotibus non ex solo suo arbitratu satisfactiones imponendas declarat, indicitque. Hac in re solicitudinem suam demonstravit etiam S. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis, neque etenim solum canones nuncapatos pœnitentiales, sed alios non paucos ex antiquis conciliis, collectionibus, & Pœnitentialibus in unum collegit, & per decem divina præcepta distribuendo sub oculos Confessariorum exposuit, ut ab eis imponendæ satisfactionis normam possent desumere: *Etenim*, ait, *si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum, ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt; certe norma hæc a canonibus pœnitentialibus sumatur opertet*. Legantur quæ

habet

habet quarta parte Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, & in inſtructione Sacramenti Pœnitentiæ. Quidquid igitur ſit, an ſatisfactiones canonicæ fuerint arbitrariæ pro foro conſcientiæ, ut quidam DD. opinati ſunt apud Morinum *de Adminiſtr. Sacram. Pœnit. lib.* 10. *c.* 25. congruum certe foret, quoad fieri poſſet, cum præfatis canonibus proportionem habere; ſiquidem Confeſſarius rite munus judicis vice Dei non adimpleret, ſi pro graviſſimis culpis leves ſatisfactiones imponeret.

Fatendum nihilominus jam a pluribus ſæculis pœnitentiæ ſeveritatem minui cœpiſſe, idque non ſolum ob intenſum animi dolorem, ingenteſque pœnitentium lacrymas, vel quia ipſimet pœnitentes acriter in ſeipſos ſævirent, ſed etiam pluribus aliis ex cauſis. Sæculo igitur undecimo ſatisfactiones emolliri abſque dubio viſæ ſunt, cum loco jejuniorum, chameuniarum, peregrinationum &c. eleemoſynæ, certæ preces cum Miſſæ ſacrificio, vel corporis flagellatio imponerentur; ita tamen quod primo impoſita rigidiſſima pœnitentia, paulatim in benigniorem commutaretur. Alter etiam invaluit canonicæ pœnitentiæ evadendæ modus; ſi nempe eleemoſynis, vel aliis piis operibus redimeretur. Imminutæ deinde ſunt, vel omnino relaxatæ quas imponebant ſacri canones ſatisfactiones, expeditionem Hieroſolymitanam, ſeu Hiſpanam contra Paganos ſubrogando. Quia etiam ex nimia concedendarum indulgentiarum facilitate pœnitentiæ enervabantur, parci olim fuerunt Pontifices, ut obſervat Morinus, in Eccleſiæ theſauro aperiendo.

Docuerunt deinde DD. ita pœnitentias moderandas, ut quamvis ſacrorum canonum rigoris Confeſſarius non deberet oblivíſci, attamen in clementiam, lenitatemque plurimum inclinandum; ac præſtare aliquando pauculam imponere ſatisfactionem, quam nimis auſteram. Legendus inter alios Petrus Bleſenſis in ſuo Tractatu de Pœnitentia, & Satisfactione in jungenda. Eo tandem res devenere, ut pro axiomate non pauci haberent pœnitentiasab arbitrio Confeſſarii pendere. Iis tamen ſane non acquieſcendum; cum etenim Chriſtus Dominus voluerit Sacerdotes in tribunali Pœnitentes judices eſſe fidelium, ſtatim apparet una voluiſſe, ne nimia facilitate pœnitentes ad peccandum redderent audaciores. Ex eadem ratione noluit, in imponenda ſatisfactione habere pro ratione voluntatem: ſiquidem rite officium Judicis præſtari non poteſt, niſi quoad fieri poteſt commiſſis ſceleribus pœnitentiæ quodammodo commenſurentur, ut monent Tridentinum, Romanus Catechiſmus, S. Carolus &c. ut ab initio prænotavi. Paterno igitur affectu Confeſſarii amplectantur pœnitentes, nec nimio abſterreant rigore; at meminerint ſe etiam judicis officio fungi, ut ſcelera impunita eſſe non permittant. Legendus Morinus ſupra citatus *cap.* 16. *& ſeqq.*

Monitum tandem velim Confeſſarium cum S. Franciſco Saleſio *in monit. ad Confeſſ. cap.* 28. abſtinendum eſſe ab injungenda pœnitentia antiquis canonibus conformi, quoties pœnitens ad eam adimplendam paratus non ſit, & tunc leviorem injungendam; cum ut plurimum expediat magis cum pœnitentibus benigne, & amanter agere, dum tamen in peccatis non adulentur, quam dure & aſpere. Operæ tamen pretium eſt pœnitentem monere, attenta peccatorum gravitate, durius cum eo agendum fuiſſe, ut ita humilius & ferventius præſcriptam adimpleat ſatisfactionem.

Nota.

VEre credendum eam eſſe ſummorum Pontificum mentem in indulgentiis elargiendis, ut non proinde fideles a pœnitentiæ operibus debeant ceſſare. Id oſtendunt, dum dicunt ſe indulgentias *vere pœnitentibus* impertiri; quæ verba non ſolum delictorum deteſtationem, animumque non relabendi ſignificant, ſed etiam voluntatem Deo ſatisfaciendi. Quapropter Cardinalis Cajetanus, ſtrenuus adverſus Lutherum Indulgentiarum propugnator *tract.* 10. *de ſuſcip. Indulg. q.* 1. ex vi memoratæ formulæ ait, Indulgentias non conſequi pœnitentes negligentes, ſed pœnitentes ſollicitos, qui ſoli ſunt vere pœnitentes. Cajetano conſonat Cardinalis Baronius qui Eccleſiæ mentem in concedendis indulgentiis apprime noverat; poſtquam etenim ad annum 1073. n. 71. retulit Indulgentiam a Gregorio VII. Epiſcopo Lincolnienſi elargitam ea lege, ne

opera pœnitentiæ secundum cujuscumque facultatem negligerentur, ait Pontificem hanc adjecisse conditionem : *Ut appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari ; qui, quantum suppetunt vires, bene operari non omittunt : non vero ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.*

Idem colligere est ex illorum Pontificum Constitutionibus, ubi pronunciatur Indulgentiarum fructum juxta majora, vel minora opera dimetiri. Id liquet ex Extravaganti *Antiquorum de pœnit. & remiss.* ubi Bonifacius VIII. universalis Jubilæi Indulgentiam promulgando ait : *Unusquisque tamen plus merebitur & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit.* Innocentius pariter IV. in primo Lugdunensi Concilio plenam concedens Indulgentiam iis, qui sumptus in bellum sacrum contulissent, ait, unumquemque lucrifacturum *juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum*. Hinc non omnes æqualiter de Indulgentiarum thesauro participare, inter alios docuit S. Bonaventura *in 4. dist. 20. quæst. 6. prope fin.*

Quamvis autem hæc ita sint, ac proinde insigniter hallucinari, ac gravissime exorbitare Pœnitentiæ ministros, qui indulgentiarum tempore pro gravibus culpis levissimas imponunt satisfactiones, docuerit etiam Christianus Lupus *Dissert. de peccat. ac satisfact. indulg. cap. 8. & 10.* nihilominus non acquiesco illis qui vellent Indulgentiæ fructum iis non prodesse, qui possent omnimode peccatorum pœnam luere, & nolunt. Hæc utique Ecclesiæ mens nunquam fuit; licet enim vellet indulgentiam lucrifacturum sese pœnitentiæ operibus debitæ satisfactioni proximum, vicinumque sistere, non tamen ab eo exigebat omnimodam suarum pœnarum solutionem. Ita observat idem Lupus, ac inter alia Epistolam undecimam S. Cypriani refert, in qua de iis agens, qui essent ex Ecclesiæ indulgentia ad Martyrum & Confessorum preces ab injunctis ob sua peccata pœnis liberandi, ait: *Peto ut eos, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, libello nominatim designetis*. Cum insuper Ecclesia indiscriminatim omnibus fidelibus thesaurum indulgentiarum aperiat, dignoscitur non solum earumdem participes velle eos, qui vel morte præventi, vel humana impellente fragilitate non plene satisfaciunt, sed eos quoque quibus non deessent vires ad integre suum debitum solvendum, dummodo operibus vacando satisfactoriis, non ignavos, aut desides se ostendant.

J. O. D. O. M. MANSI

Nota.

NE credas reos oblati idolis sacrificii dilatos esse usque ad vitæ extremum, nec antea admissos fuisse ad pœnitentiam. Id vero invicte probat epistola LII. S. Cypriani, ubi affert illud Trophimi, qui cum ab Ecclesia sacrificando Idolis recessisset, ejusque exemplum *pars maxima plebis* secuta fuisset; cum tamen postmodum pœnitentiam ille egisset, rogans admitti, simulque spondens se operam daturum, ut omnes qui ejus exemplum sectati fuerant resipiscerent; ille, inquam, etiam sanus licet & integer admissus fuit ad Ecclesiam. Cur insuper tam diligenter S. Cyprianus in eadem epistola distinguit inter sacrificatores & sacrificatores, inter eos scilicet qui sponte, & eos qui coacte a Fide recesserant, si omnes æque in Ecclesiam, & ad Communionem nonnisi cum ad mortem ægrotassent admittendi fuissent? Igitur non nullos quidem ex sacrificantibus, quamdiu viverent, a communione rejiciebantur, nec nisi lethali morbo correpti admissi erant; sed & plures etiam quorum crimen majori venia dignum judicabatur citius quam ante mortem Ecclesiæ adgregabantur. Huc spectat epistola LIII. S. Cypriani ad Fortunatum & socios, ubi esse se in ea sententia profitetur, ut post triennalem pœnitentiam admittantur ad Communionem Ninus, Clementianus, & Florus, qui diu torti tandem cesserant, & sacrificiis se polluerant : *nam*, ait, *cum in Concilio placuerit pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo subveniri & pacem dari, debent utique in accipienda pace præcedere quos videmus non animi infirmitate cecidisse, sed in prælio congressos & vulneratos per imbecillitatem animi confessionis suæ coronam non potuisse perferre.*

Adden-

Addendum est insuper S. Cyprianum in epistola LIV. ad Cornelium synodicam scripsisse ad eundem Pontificem ut illum redderet certiorem se fratresque suos in Concilio statuisse, ut nondum peracto pœnitentiæ cursu sacrificiorum idololatricorum rei admitterentur ad Communionem, eo quod tunc proxime immineret nova Ecclesiæ persecutio, ad quam pœnitentes illi armandi erant per communionem.

DISSERTATIO III.

De Libellis Indulgentiæ, quos Martyres Lapsis concedebant.

Quis eorum modus? Quæ vis esset?

TAntus honor olim designatis Martyribus ab Episcopis deferebatur, ut ad eorum preces quibusdam Lapsis satisfactionis & pœnitentiæ partem aliquam relaxarent. Morem illum antiquissimum fuise, constat nedum ex Sancto Cypriano epistolis 13. 14. 15. 18. 19. 20. 23. 29. & alibi passim: verum etiam ex Tertulliano in libro ad Martyres, ubi sic illos affatur: *Pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut si forte & aliis præstare possitis.*

Quem Ecclesiæ morem libro de Pudicitia, cap. 21. ex Montani ingenio & hæresi fugillat. Ut porro explicetur accurate quisnam esset libellorum hujusmodi a Confessoribus Martyrii jam candidatis concessorum modus, quæve illorum vis in Ecclesia, sequentes Propositiones subjicio.

PROPOSITIO I.

Antiquus mos fuit, ut Diaconi carceres lustrarent, & Martyrum desideria suis gubernarent consiliis, ne videlicet nimia Lapsorum importunitate, aut decepti, aut compulsi, pro omnibus, vel pro his apud Episcopos intercederent, quibus ob criminis gravitatem Pœnitentiam augeri magis, quam relaxari deceret. Solebant etiam Episcopi verbo, vel literis Confessores monere, ne in dandis litteris pacis nimis Lapsorum petitionibus indulgerent.

PRobatur ex Sancto Cypriano, Epistola undecima ad Martyres & Confessores, qui Lapsis pacem petierant dari: *Solicitudo loci nostri*, inquit, *& timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi Martyres, admonere vos literis nostris, ut a quibus tam devote & fortiter fides servatur Domino, ab iisdem lex quoque & Disciplina Domini reservetur; nam cum omnes milites Christi custodire oporteat præcepta Imperatoris sui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum cæteris facti estis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem, Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub Antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent: sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic vobis non suggeri divina præcepta; sed adhuc potius impediri, ut ea quæ a vobis ipsis & circa Deum caute, & circa Sacerdotem Dei honorifice fiunt a quibusdam Presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei, nec Episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam Lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita convenire in unum cum Clero & recolligi cœperimus; illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam Pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero, in pœnitentiam impositam, offerre Lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, Sanctum Domini Corpus profanare audeant.*

Ibidem Martyres obteſtatur, ut Lapſorum perſonas, & criminum qualitates expendant, antequam Indulgentiæ libellos concedant. *Oro vos quibus poſſum precibus*, inquit, *ut Evangelii memores, & conſiderantes, quæ & qualia in præteritum Anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint; quam ſoliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſolicite & caute petentium deſideria ponderetis, utpote amici Domini & cum illo judicaturi, inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum: ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis: ne ſi quid abrupte & indigne vel a vobis promiſſum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.*

Denique monet Martyres, ne ſe in concedendis literis pacis faciles præbeant, & ne annuant iis qui literas hujuſmodi ab ipſis extorquent, vel ut amicis gratificentur, vel ut ex eis pecunias captent. Tunc enim quidam Confeſſorum ſimplicitate abuſi, libellos ab ipſis impetrabant pro iis, a quibus expectabant munera: & ſic impia & ſacrilega nundinatio exercebatur. Sed eam Eccleſia execrata eſt, ſicut & turpes quæſtus, qui ſequentibus ſæculis in Indulgentiarum promulgationem obrepſerunt. *Hoc autem totum poteſt fieri*, inquit Sanctus Cyprianus, *ſi ea quæ a vobis petuntur, ne facile tribuantur, religioſa contemplatione moderemini, intelligentes & comprimentes eos, qui perſonas accipientes, in beneficiis veſtris aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.*

PROPOSITIO II.

Martyres pacem Lapſis non concedebant, quamquam pacis libellos eis tribuerent, ſed Epiſcopis dumtaxat pro ipſis ſupplicabant. Porro Martyrum deſideria & preces ab Antiſtitibus diſcutiebantur; qui in honorem & reverentiam Martyrum, aliquid de ſeveritate Eccleſiaſticæ Diſciplinæ erga ipſos remittebant, & ad Communionem illos admittebant, antequam plena Pœnitentia functi fuiſſent.

PRobatur ex Sancto Cypriano Epiſtola 11. in qua ſic Martyres deſignatos alloquitur: *Vel ex vobis itaque diſcant* (imperiti & temerarii Sacerdotes) *quod docere debuerant. Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopo ſervent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent. Ante a Domino pacem Mater prior ſumat, tunc ſecundum veſtra deſideria, de filiorum pace tractetur.*

Hinc idem S. Cyprianus Lucianum Confeſſorem reprehendit, quod in nomine Pauli Martyris pacem Lapſis dediſſet, cum illis concedendæ poteſtas penes ſolos eſſet Epiſcopos. Sic porro ea de re ſcribit Epiſtola 23. ad Presbyteros & Diaconos Romæ conſiſtentes: *Frater noſter Lucianus & ipſe unus de Confeſſoribus, fide quidem calidus, & virtute robuſtus, minus dominica lectione fundatus, quædam conatus eſt, imperiti jampridem ſe vulgi Auctorem conſtituens, ut manu ejus ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur, cum Mappalicus Martyr cautus & verecundus, Legis ac Diſciplinæ memor, nullas contra Evangelium literas fecerit: ſed tantum domeſtica pietate commotus, matri ſuæ, & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandaverit pacem dari... Lucianus vero non tantum Paulo adhuc in carcere poſito, nomine illius libellos manu ſua ſcriptos paſſim dedit, ſed & poſt ejus exceſſum, eadem facere ſub ejus nomine perſeveravit, dicens hoc ſibi ab illo mandatum; neſciens Domino magis quam conſervo obtemperandum. Aurelii quoque adoleſcentis tormenta perpeſſi nomine, libelli multi dati ſunt, ejuſdem Luciani manu ſcripti, quod literas ille non noſſet.... Poſtquam vero ad eos literas miſi, ut quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret, univerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus epiſtolam ſcripſit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas, & firmitas ſolveretur. Scripſit enim omnium nomine, Univerſis eos pacem dediſſe, & hanc formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle.*

Et infra: *Cum Dominus dixerit, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gentes tingui, & in Baptiſmo præterita peccata dimitti; hic præcepti & legis ignarus, man-*

mandat pacem dari, & peccata dimitti in Pauli nomine: & hoc ſibi dicit ab illo eſse mandatum, ſicut in literis ejuſdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis. Quibus minime conſideravit, quod non Martyres Evangelium faciant, ſed per Evangelium Martyres fiant.

Hujus autem imperitorum Confeſſorum erroris, quem ſeveriſſimis verbis in Luciano S. Cyprianus reprehendit, ſpecimen extat in ipſius Luciani Epiſtola ad Celerinum, quæ inter Cyprianicas vigeſima ſecunda numeratur. Agens enim de Paulo Martyre libellos pacis dante, ait: *Cum benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſset, vocavit me, & dixit mihi: Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt accerſitionem meam, abs te pacem petierit, des in nomine meo.*

Hanc ob cauſam Illiberitani Patres edito Canone ſanxerunt, ut Lapſis, qui literas Confeſſorum Epiſcopis obtuliſſent, darentur ab iiſdem Epiſcopis literæ communicatoriæ, quibus conſtaret Fidelibus, eos ad Communionem Eccleſiæ eſſe admittendos. Cum enim lapſi, ſolis Confeſſorum literis muniti, Communione donabantur ab Epiſcopis, concutiebantur & decipiebantur hoc more ſimplices, & exiſtimabant Indulgentiam illam, & pacem a Martyribus dari, non ab Epiſcopis: nec poſſe Antiſtites Communionem illis recuſare, qui pacificos Martyrum libellos porrexiſſent, ut quæ eſſet ipſis jure debita, & in anteceſſum a ſanctiſſimis Chriſti Athletis conceſſa. En verba Concilii Illiberitani, Canone 25. *Omnis qui attulerit Literas Confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eo quod ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, communicatoriæ dandæ ſunt ei literæ.*

Idem eſt Concilii Arelatenſis primi Canone 9. ſenſus, ita ſtatuentis: *De his qui Confeſſorum literas afferunt, placuit, ut ſublatis eis literis, alias accipiant communicatorias.*

Objicies. Celerinus Confeſſor, cujus prudentiam Sanctus Cyprianus commendat, ad Lucianum ſcribens, rogat ipſum ut a cæteris Martyrii candidatis nomine ipſius petat, ut qui prior coronatus fuerit, ſororibus ſuis Lapſis, Numeriæ & Candidæ, peccatum remittat. * *Rogo itaque Domine, & peto*, inquit, *ut cæteris Collegis tuis, Fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicumque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ & Candidæ tale peccatum remittant.* Itaque Confeſſores pacem Lapſis concedebant. Idem conſtat ex Epiſtola univerſorum Confeſſorum ad Sanctum Cyprianum, quæ eſt inter ejus Epiſtolas 17. cujus hic tenor eſt: *Scias nos univerſis de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc formam per te & aliis Epiſcopis inoteſcere voluimus.*

* *Inter Epiſt. S. Cypriani* 21.

Reſpondeo, Celerinum poſtulaſſe ut Martyres ſororibus ſuis peccatum remitterent, intercedendo pro ipſis apud Epiſcopos, non eas abſolvendo. Sed enim libelli Martyrum ad Epiſcopos dirigebantur, qui pacem ante non concedebant iis quos commendaverant, quam & libellos ipſos, & Lapſorum diſpoſitionem, & ſceleris ab ipſis admiſſi gravitatem examinaſſent accuratius. Unde Celerinus de Sororibus ſuis ita ſcribit: *Quare jam cauſa audita, præceperunt eas Præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. Sed quatenus per veſtras ſanctas orationes & petitiones, in quas nos fidimus, quoniam eſtis amici, ſed & teſtes Chriſti, quod omnia indulgeatis.* Lucianus vero etſi circa intelligentiam Dominicæ Lectionis minus peritus, cauſas Lapſorum, & conceſſionem pacis ad Epiſcopum remiſit, ad eumque pertinere profeſſus eſt his verbis, quæ extant in Epiſtola nomine omnium Confeſſorum ab ipſo conſcripta ad Sanctum Cyprianum: *Scias nos univerſis de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem.* Quæ verba Sanctus Cyprianus expendens Epiſtola 23. ait: *Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum ſingulorum cauſas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod ſe nunc omnes jactant a Martyribus, & Confeſſoribus accepiſſe.*

PROPOSITIO III.

In Libellis pacificis Martyrum nominatim designandi erant Lapsi, quibus pacem indulgeri postulabant: iisque dumtaxat hujusmodi Libellos concedere poterant, quos vere nossent, & quorum Pœnitentiam satisfactioni proximam conspicerent.

PRobatur ex Sancto Cypriano, Epistola 2. ad Martyres & Confessores data: *Sed & illud*, inquit, *ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: Communicet ille cum suis: (quod numquam omnino a Martyribus factum est) ut incerta & cœca petitio invidiam nobis postmodum cumulet; late enim patet, quando dicitur: Ille cum suis; & possunt nobis viceni, & triceni, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & liberti, ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos Fidei ac disciplinæ congruentes literas dirigatis.*

PROPOSITIO IV.

Libelli Martyrum vim tantum habebant ab eorum obitu, & post sedatam persecutionem.

PRobatur ex Sancto Cypriano Epistola 10. in qua crimen quorumdam Presbyterorum exaggerat, qui Lapsis Libellos Martyrum consecutis Communionem intempestive concesserant: quod *contempta Domini lege & observatione, quam Martyres & Confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pene Martyrum ex cessum, communicent cum Lapsis, & offerant, & Eucharistiam tradant.*

PROPOSITIO ULTIMA.

Qui Libellis Martyrum muniti, vel ante sedatam persecutionem, vel ante peractam pœnitentiam, in mortis discrimen veniebant, Libellorum effectu fruebantur, & pacem atque Communionem accipiebant.

PRobatur ex Sancto Cypriano, Epistola 14. ad Cle rum suum, qua se decrevisse significat: *Ut qui libellum a Martyribus acceperunt & auxilio eorum adjuvari apud Dominum pro delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cęperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in Pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur.*

Idem repetit Epistola 15. ad Clerum Romanum data. Et Epistola 13. ad Clerum suum, permittit Lapsis qui libellos a Martyribus acceperunt, ut in mortis discrimine constituti, per manus impositionem Presbyteri, si Episcopus fuerit absens, vel Diaconi, si non occurrerit Presbyter, Ecclesiæ reconcilientur, & pacem accipiant.

Pars secunda Propositionis impugnatur ex Tertulliano, libro de Pudicitia, cap. 22. ubi testatur Martyres usurpasse potestatem condonandi delicta, hancque ipsis fuisse ab Ecclesia delatam: quod vehementer impugnat toto illo capite. *At tu*, inquit, *jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem ... Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? ... Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro meo .... Si propterea Christus in Martyre est, ut mœchos & fornicatores Martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Christus est.* Igitur Martyres designati pacem Lapsis ipsi concedebant.

Respondeo, non esse Tertulliano hac in causa credendum, qui ut Ecclesiæ sanctissi-

ctiſſimam Diſciplinam ſugillaret, atque in invidiam vocaret, fingit Martyres auctoritate propria Lapſis peccata dimiſiſſe, illoſque abſolviſſe *ἀμέσως*: quamvis precibus tantum agerent apud Epiſcopos, ut pace donarentur: ut conſtat ex Sancto Cypriano æquiore Tertulliano judice, non in locis tantum laudatis, ſed luculentius Epiſtola 12. ad plebem Carthaginenſis Eccleſiæ data. „ Fecerunt, *inquit*, ad nos de quibuſdam „ beati Martyres literas, petentes examinari deſideria ſua, cum pace nobis omnibus „ prius data a Domino, ad Eccleſiam regredi cœperimus; tunc examinabuntur ſingula, præſentibus, & judicantibus vobis. Audio tamen quoſdam de Presbyteris, „ nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint, cogitantes, nec „ Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & cathedræ reſervantes, jam cum Lapſis communicare cœpiſſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc „ per ordinem pervenire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum „ committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius „ illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita; quanto magis in his graviſſimis & „ extremis delictis, caute omnia & moderate ſecundum Diſciplinam Domini obſervari oportet?" Porro Sanctus Cyprianus Presbyteros non increpuiſſet adeo ſevere, qui Lapſos Martyrum libellis munitos ad Communionem receperant, ſi penes Martyres fuiſſet poteſtas concedendæ pacis, & condonandi ſceleris: illique Lapſos abſolviſſent. Subjungit Sanctus Cyprianus: „ Audiant, *quæſo*, patienter conſilium noſtrum, „ expectent regreſſionem noſtram; ut cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, „ convocati Coepiſcopi plures, ſecundum Domini Diſciplinam, & Confeſſorum præ„ ſentiam, beatorum Martyrum literas, & deſideria examinare poſſimus." Ad Epiſcopum igitur pertinere cenſebat Eccleſia conceſſionem Communionis & pacis, quamvis Martyribus hic deferretur honos, ut precum & commendationis ipſorum, in ſuſcipiendis Lapſis, & in contrahendo Pœnitentiæ illorum tempore, ſatisfactioniſque ſeveritate minuenda, ſumma ratio haberetur.

Tertullianus itaque, ſicut errore juris negavit Eccleſiæ poteſtatem remittendi delicta; ita errore facti, quo vel deceptus ipſe eſt, vel decipere alios voluit, ſcripſit, Martyres Lapſos abſolvere, & delicta ipſis concedere. Sed nuſquam ita res ſe habuit. Immo nec Martyrum ſatisfactiones ſacrum Eccleſiæ theſaurum componere cenſent plures eruditi, cordatique Theologi, per modum ſolutionis, ſed per modum ſuffragii dumtaxat & impetrationis. Qua in aſſertione concinunt Sancto Leoni Epiſtola 83. ſcribenti: „ Quamvis multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit; „ nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi: accepere Juſti, non dedere „ coronas; & de fortitudine Fidelium, exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ: ſingulares quippe in ſingulis mortes fuere; neque alterius quiſquam debitum „ ſuo fine perſolvit."

SCHOLION.

Ad finem iſtius Diſſertationis ſive ad paginam 232. Editionis primæ, hanc Propoſitionem notant Religioſi Cenſores: *Martyrum ſatisfactiones Eccleſiæ Theſaurum non componunt per modum ſolutionis, ſed per modum ſuffragii.*

R. Non ſic affirmate ſcripſi, ut mihi Cenſorii Indiculi Auctores imponunt, ſed in modum narrationis: *Immo*, inquiebam, *nec Martyrum ſatisfactiones ſacrum Eccleſiæ Theſaurum componere cenſent plures eruditi cordatique Theologi, per modum ſolutionis, ſed per modum ſuffragii dumtaxat & impetrationis.* Hæc revera opinio eſt *Maldonati* Doctiſſimi e Societate Jeſu Theologi in Tractatu de Indulgentiis, & plurimorum in ſacra Facultate Pariſienſi Magiſtrorum. Duo tantum de Indulgentiis dogmata fide credenda tradidit Sancta Synodus Tridentina: Primum, *in Eccleſia poteſtatem eſſe concedendi Indulgentias*; Alterum: *Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, & in Eccleſia retinendum.* Ad ſacri iſtius Theſauri cumulum *Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum, a primo juſto uſque ad ultimum, merita adminiculum*

lum præstare, Ecclesiæ doctrina est. Sic loquitur *Clemens VI.* in Extravaganti *Unigenitus*, Tit. *De pœnitentiis & Remissionibus*. Sed quo modo adminiculum præstent, an per modum solutionis, an per modum suffragii & impetrationis, non est ab Ecclesia definitum. Variæ sunt ea de re Theologorum Sententiæ. Ad Indulgentiarum defensionem contra Hæreticos opportunior videtur illa quam commemoravi.

Nota.

SEmper constanter docuit Ecclesia, aliorum preces, & opera iis prodesse potuisse, pro quibus offeruntur, qua de re etiam Tertullianus *l. de pœnit. cap. 9.* Idipsum non semel docuit S. Ambrosius *de Pœn. lib. 2. cap. 7. 10. & 15.* nam id resuscitandis peccatoribus S. Matrem Ecclesiam, seu universam Sanctorum communionem impendere fatetur, quod fratri Lazaro Maria, & Martha; quod defuncto filio turba cum Matre vidua lugens; quod defunctæ Dorcadi pauperum lachrymæ.

Ita tamen quidam voluere satisfactiones vel a nobis Deo exhibitas, vel ipsorum Martyrum, Sanctorumque per Indulgentias applicatas prodesse, ut solum sint veluti conditiones, quarum intuitu nobis Christi satisfactio communicetur, eaque digni evadamus. At ab hujusmodi sententia discedere cogimur, si observetur, S. Pium V. Gregorium XIII. ac Urbanum VIII. sub n. 59. & 60. sequentes Michaelis Baji damnasse propositiones: *Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera, Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte redemptores:) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per passiones Sanctorum Indulgentiis communicatas, proprie non redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Harum propositionum proscriptione designatur, pœnitentiæ operibus aliquid aliud fieri quam solam apponere conditionem, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicetur; nec per passiones Sanctorum nobis per Indulgentias communicatas id solum impertiri, ut pretio Sanguinis Christi peccatorum pœna deleatur: quamvis omnes sancte fateamur, earumdem passionum valorem ex Christi meritis derivasse. Et quidem tam nostris bonis operibus, quam operibus Sanctorum, mediis Indulgentiis nobis communicatis vim aliquam satisfaciendi tribuere cogimur; siquidem cum S. Scriptura nos moneat usque ad novissimum quadrantem læsæ Divinæ Majestati satisfaciendum esse, innuit nostris bonis operibus peccatorum pœnam esse delendam; atque ita eisdem operibus solvendi vim inesse cognoscimus. Optime ergo Tertullianus in Libro de Pœnitentia asserit, nostra piæ satisfactionis opera ad emendam a Divina Majestate peccatorum remissionem, *non rasum, non scalptum, non adulterum, sed per omnia justum esse nummum*. Pœnitentiæ lachrymas, laborem conversionis, ac eleemosynas, pretium esse solvendorum peccatorum pluribus ostendit S. Cyrillus Alexandrinus *de adorat. in Spir. l. 7. & 8.* S. Leo Magnus *ser. 4. de eleemos. & collect.* cibum egenorum *cœlestis Regni pretium* appellat. Et ne longius sermonem protraham, satis sit observare, satisfactionis nomen usitatissimum fuisse apud Patres, ac inter eos apud S. Cyprianum.

Sicut opera satisfactoria a nobis pro peccatis nostris exhibita, vim pro eisdem satisfaciendi obtinent; ita & idem valor non denegandus operibus satisfactoriis justorum, quæ aliis communicantur. Docuit id S. Ambrosius supra laudatus, qui postquam narravit S. Paulum incestuosum Corinthium redigi ad pœnitentiam mandasse, atque ita ad divinam Misericordiam parari; relatis illis Apostoli verbis: *Expurgate vetus fermentum*, hæc subdit: *Velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, qui orationibus, & fletibus plebis redimitur a peccato*. S. Cyprianus ep. 52. scribens ad Antonianum Episcopum de reditu Trophimi Episcopi cum lapsa plebe ait: *Pro quo satisfaciebat fratrum reditus*, immensa lapsæ plebis pœnitentiam non solum pro seipsa, sed etiam pro suo Trophimo satisfeciisse. Macerationes Apostoli Joannis pro discipulo in latrocinia prolapso, velut ipsius discipuli fuisse, narrat Clemens Alexandrinus

nus *lib. 9. cap.* 17. Si ergo Martyrum, cæterorumque Sanctorum paſſiones ſatisfaciendi virtute pro iis, pro quibus offeruntur, expoliandæ non ſunt; utique eadem virtus ab eiſdem removenda non eſt, quoties ab Eccleſia per Indulgentiæ largitionem applicantur.

Ab iis omnino inter alios Sectarios Calvinus *Inſtit. lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 14. abhorruit; atque auctoritate S. Leonis, quam in Scholio refert Natalis, in medium prolata, ſolummodo Chriſto Jeſu peccatorum expiationem vult tribuendam; quod non ſolum S. Leo, ſed & alii Eccleſiæ PP. videntur pronunciaſſe, qui adverſus Neſtorium ſcripſerunt. Neſtorius igitur, licet Chriſtum ut hominem aliam eſſe perſonam a Chriſto ut Deo dogmatizaverit, ipſum tamen, etiam ut hominem, ab omni peccati contagione immunem, ſimulque per omnia ſanctum docuit. Cum autem Epheſina Synodus Neſtorii Hæreſim damnaverit, potiſſimum S. Cyrillus Alexandrinus eam impugnare aggreſſus eſt. Ex eo autem *lib.* 1. *ad Reg. cap.* 7. etiam validiſſimum argumentum contra Neſtorium deſumit, quod ſi Chriſtus divina Perſona non fuiſſet, nullam humano generi opem potuiſſet afferre: & quamquam Sanctorum mortem pluribus laudibus proſequatur, nil tamen nobis profuiſſe affirmat. Loquendo proinde de Chriſto ait: *Si vulgaris tantum homo eſſet Emmanuel, quomodo mors illius humanæ naturæ opem tuliſſet?* Et de Sanctorum obitu: *Illorum mors generi humano nihil omnino contulit*. Cum nihilominus certum ſit, ſatisfactiones Sanctorum *Dominicis Paſſionibus eſſe adminiculum*, ut docuit Clemens VI. in literis ad Epiſcopos Provinciæ Tarraconenſis, ac proinde ad Eccleſiæ theſaurum pertinere: quod & confirmavit Leo X. Lutheri articulos proſcribendo; ideo operæ pretium eſt hic explicare, quomodo verum ſit ſolius Chriſti ſatisfactiones nobis prodeſſe, Sanctorum vero humano generi haud eſſe proficuas.

Peculiare igitur fuit Chriſti Redemptoris, ut ipſius merita, ſatisfactioneſque condigni pretii largitionem continerent; atque ita ipſe ſolus potuit pro noſtris culpis condignam ſatisfactionem exhibere. Ex hoc negari haud poteſt in Eccleſiæ theſauro ſolas Chriſti ſatisfactiones eſſe, quæ nobis de condigno proſint, quia ſatisfactiones ſunt communis Redemptoris. Hoc quod ſolius communis Redemptoris proprium eſt, abs dubio Sanctorum, Martyrumque ſatisfactionibus non convenit, quibus dumtaxat de congruo datum eſt ſatisfacere pro noſtris culpis, & pœnæ ſolutionem impetrare, cum voluerit Chriſtus eſſe in ſua Eccleſia Sanctorum communionem. Quia vero nobis ſolummodo de congruo proſunt, non eſt concipiendum in Indulgentiarum largitione quaſi ex æquo Chriſti ſatisfactiones, Sanctorumque nobis communicari; ubi enim pretium de congruo tantum eſt acceptandum, multum deficit a valore, qui de condigno ſolutionem continet, ac longe alia ratione a Creditore inſpicitur.

DISSERTATIO IV.

De poteſtate Diaconorum, qui in carceres mittebantur, ut Martyrum deſideria exciperent, & conſiliis ſuis dirigerent.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Diaconi Lapſos, abſentibus Epiſcopis & Presbyteris, Sacramentaliter abſolverent.

PROPOSITIO.

Diaconis Abſolutionis Sacramentalis Lapſis impertiendæ nuſquam conceſſa eſt facultas, nec conceſſam eſſe ex Sancto Cypriano colligi poteſt.

PRobatur. Quod ſolis Sacerdotibus jure divino conceſſum eſt, Eccleſia nuſquam Diaconis detulit: Sed Abſolutio Sacramentalis Lapſorum, jure divino ſolis Sacerdotibus conceſſa eſt. Hanc itaque nuſquam Diaconis detulit Eccleſia.

Pro-

BIBLIOTECA O. F. M. CAP. MONTEFUSCO (Av)

communicavit, ante januam Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, quũ eum hinc & inde circumstare debent, ubi etiam esse debent illi, quibus injuria vel damnum commissum debet emendari, aut si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si Pœnitentiam juxta quod Canones præcipiunt, propetratis sceleribus suscipere velit: & si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu ejus dextera in Ecclesiam illum introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat, &c. Sicut igitur illa Confessio non erat Sacramentalis: ita nec illa, qua Lapsi antiquitus peccatum suum palam exposuisse coram Diacono, & illud defleviſſe supponuntur.

Joannes Morinus.

Contra istas responsiones instat hoc modo Vir Eruditus. Verba, phrasis, moduſque loquendi Sancti Cypriani, idem videntur Diaconis concedere in absentia Episcopi, & Presbyterorum, quod Episcopo & Presbytero, cum præsentes sunt. Jubet enim Sanctus Cyprianus ut Lapsorum morientium Exomologesim suscipiant Presbyteri, absente Episcopo, manumque illis in Pœnitentiam imponant, ut moriantur cum pace: quod si Presbyter non adsit, id Diaconus præstet. Cum igitur exomologesis illa, & Pœnitentiæ impositio, pacisque donatio, perfectam reconciliationem, de Episcopis & Presbyteris intellecta, significent, idem significabunt attributa Diaconis: cum idem plane Diaconis in absentia Presbyterorum tribuatur, quod Presbyteris in absentia Episcopi.

Secundo, hypothesis datæ necessitas idem exoptare videtur. Agitur enim de Pœnitente moribundo, cui succurrendum est, non absolutione tantum ab excommunicatione, verumetiam a peccatis. Cum igitur sint apud Sanctum Cyprianum eadem verba, idem loquendi modus, eadem salutis necessitas, ubi loquitur de Exomologesi facta apud Episcopum, vel Presbyterum, & apud Diaconum; cur apud illos factam interpretabimur absolutionem a peccatis; apud illum vero a sola excommunicatione?

Respondeo, Sanctum Cyprianum, licet iisdem verbis designaverit Ministerium Diaconi & Presbyteri in data hypothesi, intelligendum esse accommodate ad potestatem utriusque; ut scilicet Diaconus id præstet Pœnitentibus, absente Presbytero, quod ex vi sui Ordinis potest, nec non ex vi jurisdictionis sibi ab Episcopis ea in specie concreditæ. Constat porro Diaconos a peccatis absolvere peccatorem non posse. Sicut enim in veteri lege solis Sacerdotibus concessum erat ut lepram a lepra discernerent; & leprosum a se sanatum Christus Dominus non ad Levitas, sed ad solos Sacerdotes misit: *Vade*, inquit, *ostende te Sacerdotibus*: ita suscipiendæ Sacramentalis Confessionis, & absolutionis, quæ animæ lepram abstergit, concedendæ, non Diaconis, sed solis Sacerdotibus competit potestas. Quod cum exploratum semper cunctis fuerit in Ecclesia, inutilem operam ponere noluit S. Cyprianus in explicando enucleatius Diaconorum ministerio in reconciliatione Lapsorum.

Instat adhuc Vir Eruditus. Sancti Cypriani verba totiusque Epistolæ contextus de solutione excommunicationis maximæ intelligi non possunt; quia Lapsi jam erant excommunicatione illa soluti, atque in Ecclesiam ut Pœnitentes recepti. Quæstio tantum erat inter Lapsorum plurimos, & Episcopos, de Pœnitentiæ diuturnitate. Contendebant enim ad Eucharistiam statim se esse admittendos, neque serius differendos, eo quod libellos pacis a Martyribus obtinuissent. Tota igitur quæstio apud eos erat, non de Anathematis solutione, sed de absolutione a peccatis, & Communione Corporis Christi. Non igitur Diaconi a majori tantum excommunicatione Lapsos solvebant, quæ nulla erat. Certum namque est Lapsos illos nunquam excommunicatos fuisse, hoc est aliqua Episcoporum sententia ab Ecclesia pulsos, quod nusquam nisi in pertinaces factum est: Cum illi tormentorum sævitia, aut horrore cecidissent; statimque facti Pœnitentes, ad Ecclesiæ misericordiam, & Martyrum preces confugissent.

Secundo, verba ipsa, quibus res concessa exprimitur, intentio quoque Sancti Cypriani, Martyrum, & Lapsorum idem postulant. *Ut manu*, inquit, *eis in Pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt*. Pacem dare, apud Sanctum Cyprianum, in causa Pœnitentiæ, semper significat non modo absolutionem a peccatis, sed ipsam Eucharistiæ donationem;

nem: Quod maxime patet ex ejus Epiſtola 54. ad Cornelium Papam, in qua contendit, propter imminentem perſecutionem reconciliandos Lapſos, & Corpore Chriſti cibandos, nec diutius differendos. Hoc autem in eadem Epiſtola ſæpius pacis nomine ſignificat. Scribit, ſe ſtatuiſſe in Concilio, ut Lapſi *agerent diu Pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*. Et paulo poſt, *fas non eſſe ut de ſæculo recedentes, ſine communione & pace ad Dominum dimitterentur*. Scribit denique ſe cum Concilio iterum ſtatuiſſe, *eis qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed Pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapſus ſui die non deſiterunt, pacem dandam eſſe*. Nomine autem pacis intelligi Communionem Euchariſtiæ, conſtat ex his verbis: *At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt . . . . . Ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Corporis & Sanguinis Chriſti muniamus*. Itaque Diaconi pacem dantes Lapſis moribundis, Euchariſtiam illis tribuebant, adeoque & abſolutionem a peccatis, quæ neceſſaria prorſus eſt ad Communionem Corporis Chriſti, peccatoribus diſpoſitio.

Tandem illud dabant Diaconi in abſentia Sacerdotum, quod dari Lapſis Martyres libellis ſuis poſtulaverant: ſed abſolutionem, & reconciliationem perfectam dari Lapſis Martyres defideraverant, & rogaverant: Igitur Diaconi tribuebant Lapſis reconciliationem plenam & perfectam, quæ abſolutionem a peccatis, & Euchariſtiæ Communionem complectebatur.

Reſpondeo ad primum: Sancti quidem Cypriani verba non intelligi poſſe de abſolutione ab excommunicatione maxima, a qua jam ſoluti ſupponebantur Pœnitentes, cum Pœnitentiam primo profeſſi fuerant (ut egregie probat Vir eruditus) ſed contendo intelligenda eſſe de abſolutione ab excommunicatione quaſi minori, * qua impediebantur ne ad ſacra Myſteria accedere poſſent, & Communionem Euchariſticam percipere. Hujuſmodi namque excommunicatio gravioribus quibuſque delictis annexa erat, ut colligitur ex his Sancti Cypriani verbis in libro de Oratione Dominica: *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſenti & non communicantes a cœleſti pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur*. Porro iſta excommunicatio non tollebatur niſi Abſolutione Sacramentali, vel indulgentia Eccleſiæ ad Martyrum preces conceſſa, cujus applicandæ poteſtas Diaconis collata erat, ſi Lapſorum exitus urgeret, ac abſentes interim Epiſcopi, Presbyterique eſſent. Illius autem Indulgentiæ beneficio reſtituebatur Lapſis jus ad Communionem Euchariſticam, quæ pacis nomine a Sancto Cypriano deſignatur. Unde falſum eſt quod innuit Vir Eruditus, jus illud dari non potuiſſe niſi virtute Sacramentalis Abſolutionis.

In extremo itaque periculo, in quo alias non erat copia Sacerdotis, Contritio, quam Pœnitentes lacrymis, precibus, humiliationibuſque ſuis teſtabantur, ſufficiebat, ut ipſis pax, id eſt, Communio Corporis Chriſti dari poſſet: quam cæremoniali manuum impoſitione reconciliati a Diacono (dicta in hypotheſi) percipere poterant. Immo etiamſi ritus ille defuiſſet, Euchariſtiæ Viaticum his in anguſtiis ipſis porrigi potuiſſet. Nam & vulgata eſt Theologorum opinio, Sacerdotem lethalis peccati ſibi conſcium Sacrum facere poſſe, cum extrema neceſſitas urget, Confeſſariique copia deeſt, modo Contritionis actum eliciat, prout poteſt. Quanto magis poterat illis Pœnitentibus Euchariſtia dari (non præmiſſa abſolutione a peccatis, quia ne præmitteretur prohibebat abſentia Sacerdotis) *qui acta Pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, lacrymis, gemitibus, fletibus, dolentis ac vere pœnitentis animi ſigna prodebant, cum ſpes vivendi, ſecundum hominem nulla ſubſtaret*? (Ut loquitur Clerus Romanus ad Sanctum Cyprianum inter Epiſtolas Sancti Cypriani 31.)

Id autem fuiſſe in uſu primævæ Eccleſiæ, conſtat ex hiſtoria Serapionis, qui & ipſe Lapſus, atque in Pœnitentiæ laboribus occumbens, Euchariſtica donatus eſt communione, quamvis Abſolutione Sacramentali reconciliatus non fuiſſet. Rem ita refert Sanctus Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Fabium, apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 36. *Hic ſæpenumero in Eccleſia denuo recipi ſupplex poſtulabat:*

ſed

* *Non tamen antiquitus nota erat illa minoris excommunicationis appellatio, ſed ſecundum juris recentioris uſum loquiplacet.*

ſed nemo, quia Idolis ſacrificaſſet, ejus poſtulationi aliquando auſcultavit. Quin in gravem morbum delapſus, triduo deinceps mutus, & abſque ſenſu vixit. Quarto autem die paululum relevatus; nepotem ad ſe accerſit, ſicque alloquitur: Quouſque, filii, me detinetis? Properate, obſecro, & me ocyus dimittite. Quæ cum dixiſſet, iterum fuit mutus. Percurrit ad Presbyterum: nox jam erat. Ille forte morbo vexatus, accedere ad eum non poterat . . . . . Puero exiguam quamdam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in os ſenis inſunderet. Quam puer ſecum afferens, rediit. Cui jam appropinquanti, Serapion denuo recuperata voce, dixit: Veniſti fili? Tametſi Presbyter non poteſt venire; tu tamen præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam attulerat, madefactam in os ſenis infudit: atque ille ſimulatque vedetentim eam per fauces demiſerat, illico extremum ſpiritum edidit. Ex quibus colligitur probatam viguiſſe in veteri Eccleſia conſuetudinem, ut pœnitentibus daretur pax, & Euchariſtica Communio, etiam ſi Sacramentali prius Abſolutione donati non fuiſſent, quando in extremis erant poſiti, & deerat Sacerdos, & internum de peccatis dolorem Pœnitentiæ lamentis prodebant. Tunc, inquam, Diaconus ſacram Communionem ipſis porrigere poterat, poſtquam ipſis reconciliatione ſolemni, pro poteſtate ſibi ab Epiſcopo conceſſa, jus ad Sacramentorum perceptionem reſtituiſſet.

Ex his ſolutum manet ſecundum caput objectionis.

Ad tertium reſpondeo, diſtinguo majorem: illud dabant Diaconi in abſentia Sacerdotum, quod dari Lapſis Martyres poſtulaverant, & quod ipſi Diaconi dare poterant, concedo. Et quod Diaconorum poteſtatem ſuperabat, nego. Fateor igitur Martyres poſtulaſſe, ut Lapſis daretur abſolutio a peccatis, & divina Euchariſtia. Sed cum abſentes eſſent Epiſcopi & Presbyteri, & Lapſorum urgeret exitus, piaEccleſiæ providentia decrevit ut Diaconi illis concederent, quod poterant ex ipſorum mandato; ut nimirum eos a publicæ Pœnitentiæ legibus abſolverent, & Euchariſtiæ participes facerent. Cæterum poteſtatem abſolvendi Lapſos a peccatis, ſolis Sacerdotibus conceſſam ex Sancto etiam Cvpriano certum eſt in libro de Lapſis: *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti, poteſt clementer ignoſcere*, (Deus) *poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Objicit Vir Eruditus, Diaconos poteſtatem habuiſſe abſolvendi a peccatis, urgente neceſſitate, in multis Hiſpaniæ Eccleſiis, laudatque Canonem 32. Concilii Illiberitani, quo ita ſtatuitur: *Apud Presbyterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere Pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum. Cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt Presbyterum Communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.*

Reſpondeo, Illiberitanos Patres communionis nomine Abſolutionem intellexiſſe Canonicam, non Sacramentalem. Agitur enim de Reconciliatione ſolemni, qua Pœnitentes Communioni Eccleſiæ reddebantur: quæ reconciliatio ita Epiſcopis erat propria, ut Chorepiſcopis etiam prohibita eſſet. Quam tamen ex Epiſcopi nutu & conceſſione, non modo Chorepiſcopi, ſed & Presbyteri quilibet ac Diaconi, urgente periculo, perficere poterant.

Objicitur tertio Concilii Toletani Primi Canon ſecundus, cujus hæc ſunt verba: *Si qui autem ordinati ſunt Diacones* (ſupple de Pœnitentibus) *inter Subdiaconos habeantur; ita ut manum non imponant, nec ſacra contingant.* Manum imponere, inquit Morinus, aliud ſignificare non poteſt, quam abſolutionem a peccatis. Tripliciter enim abſolute dictum ſumi poteſt, & uſurpatum fuit apud Antiquos: pro Confirmatione, pro Ordinatione, pro Abſolutione. Atqui certum eſt Confirmationem Diaconis numquam fuiſſe permiſſam, multo minus Ordinationem. Cum igitur Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati ſunt, prohibetur ne manus imponant, idem eſt ac ſi illis prohiberetur ne Pœnitentes a peccatis abſolvant, neve hujuſmodi Diaconis in poſterum hoc munus demandetur. Non obſcure igitur hoc ex Canone colligi poteſt, Diaconis poteſtatem remittendi peccata in Hiſpaniis committi ſolitam, cum iis tantum ſit hoc munere interdictum, qui e Pœnitentium numero contra Canones ordinati ſunt.

Ref-

Reſpondeo, Manus impoſitionem Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati erant, illo Canone prohibitam, non eſſe abſolutionem, ſed impoſitionem manuum cæremonialem in Pœnitentia ſolemni, de qua Sanctus Cyprianus loquitur, cum ait: *Pœnitentes per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus Fraternitatis accepiſſe*. Conſtat enim quod manuum illa impoſitio neque Confirmatio erat, neque Ordinatio, quia neutra Clericis quibuſcumque committi poteſt. Nec etiam erat Abſolutio Sacramentalis, quia illa ab uno confertur, non a pluribus impenditur. Erat itaque ritus merus Pœnitentiæ ſolemnis. Unde ſicut Presbyteri non ordinant alios Sacerdotes quamvis manus imponant in ſacris Ordinationibus, ſed ritum dumtaxat exhibent ad Sacerdotum inaugurationem præparatorium: ita Diaconi Sacramentalem Abſolutionem in Hiſpaniarum Eccleſiis non conferebant, licet manuum impoſitionem velut ritum quemdam ad plenam Pœnitentium reconciliationem prævium præmitterent.

Objicitur quarto Flacci Alcuini auctoritas, libro de divinis Officiis, in Capite Jejunii ſcribentis: *Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus, hanc Scripturam uſurpare, aut legere debent, niſi ſoli illi quibus neceſſe eſt: hoc ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri, quibus claves Regni cœleſtis traditæ ſunt; ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat Pœnitentem, ac det Sanctam Communionem*. Eadem prope verba habentur in antiquo Ecberti Archiepiſcopi Cantuarienſis Pœnitentiali MS. eadem in antiquo Ordine Romano.

Reſpondeo, Suſceptionem Pœnitentium ſpectare juriſdictionem exterioris fori, & Abſolutionem Canonicam, cujus impendendæ provincia Diaconis, immo & Clericis inferioribus demandari poteſt. Euchariſtiæ autem Adminiſtratio munus eſt Diaconorum, ubi præſertim urget neceſſitas. Nec mirum, cum antiquitus Fideles, etiam Laici, ſuas in ædes Euchariſtiam deferrent, eamque imminente periculo ſumerent. Quod vero Sacramentalis Abſolutio conferri non poſſit a Diacono, quacumque neceſſitate urgente, ex ipſis Alcuini, Ordiniſque Romani verbis colligitur, dicentium, *Claves Regni cœleſtis ſolis Epiſcopis, vel Presbyteris traditas eſſe*.

Objiciuntur quinto verba Hadriani Primi Pontificis Maximi, in Synopſi Canonum, ſic enuntiantis Canonem ſecundum Concilii Ancyrani: *Idem de Diaconibus fiat, ſi ſimiliter peccaverint; ſic ut digne Pœnitentibus parcere poſſint*.

Reſpondeo primo, illa verba paſſive accipienda eſſe reſpectu Diaconorum, non active: nempe decernitur, ut ſi Diaconi peccaverint, Pœnitentiæ legibus æque ut alii ſubjaceant: ſic tamen ut Epiſcopi ipſis parcere poſſint, ſi Pœnitentia ſibi impoſita digne defungantur.

Reſpondeo ſecundo, etiamſi verba illa miniſterium Diaconorum circa Pœnitentes deſignent, illa non ſignificare condonationem peccatorum in foro interiori vi Sacramentalis Abſolutionis conceſſam; ſed remiſſionem eorumdem in foro exteriori, & quoad pœnas Canonicas, quas relaxare Diaconi, ex mandato Epiſcoporum poterant. Eodem ſenſu intelligendus eſt Stephanus Æduenſis, cap. 8. ubi de Ordinatione Diaconorum agens, ait: *In quibuſdam habent vicem Sacerdotis, ut in miniſterio baptizandi, communicandi, delicta Pœnitentium miſericorditer ſuſcipiendi*.

Objicitur ſexto Concilium Eboracenſe anno 1194. celebratum, quod ita decernit: *Decrevimus etiam, ut nonniſi ſumma & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel Corpus Chriſti cuiquam eroget, vel Pœnitentiam confitenti imponat: ut juxta paternorum tenorem Canonum huic Ordini Sacerdotali proprie convenire decrevit antiquitas*.

Accedit Londonienſis Concilii Statutum, anno 1200. his verbis conceptum: *Non liceat Diaconibus baptizare, vel Pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, verbi gratia, quia Sacerdos non poteſt, vel abſens, vel ſtulte non vult, & mors imminet puero vel ægro*.

Addi poteſt demum Odonis de Soliaco * Pariſienſis Epiſcopi Decretum in Statutis Synodalibus, Statuto 56. *Item prohibetur*, inquit, *diſtricte, ne Diaconi ullo modo audiant Confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate: Claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere*.

**Migravit ad Dominum Odo de Soliaco, an. 1280.*

Reſpondeo, conceſſum quidem eſſe Diaconis, in extrema neceſſitate, ut Confeſſiones excipiant, & Pœnitentias imponant: non vero ut Abſolutionem Sacramentalem con-

ferant. *Preces fundere possunt super Pœnitentes, quibus divinam misericordiam, & peccatorum remissionem ipsis adprecentur, non vero illos sacramentaliter absolvere, quia Claves non habent.* Itaque Anglicanæ Synodi, & Odo Parisiensis, non permiserunt Diaconis administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, sed cæremoniæ cujusdam ex earum rerum numero, quas Theologi vocant *Sacramentalia*, exhibitionem, qua in absentia veri Sacramenti, & illius consequendi impotentia, moribundi contritio excitaretur, & charitas ferveret: atque Deus interiori ejus dispositione, & precibus Ecclesiæ motus, ipsi effectum Sacramenti tribueret. Porro quod Confessiones in arctissima necessitate audire possit Diaconus, non mirum: siquidem id & Laicus potest. Quæ de re Sanctus Thomas Quæst. 8. Supplementi Articulo secundo, hæc habet: *Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem, quia est Sacramentum necessitatis, duplicem habet Ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem: alium cui rationem necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Et ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui ex officio Confessio est facienda, est Sacerdos, sed in necessitate, etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit.* Et in responsione ad primum: *In Sacramento Pœnitentiæ*, inquit, *non solum est aliquid ex parte Ministri, scilicet Absolutio, & satisfactionis injunctio: sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscepit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, sicut Contritio, & Confessio. Satisfactio autem jam incipit esse a Ministro, in quantum eam injungit, & a Pœnitente, in quantum eam implet: & ad plenitudinem Sacramentiutrumque debet concurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere Pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri cui potest: qui quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, Absolutionem scilicet; defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet. Nihilominus Confessio ex defectu Sacerdotis Laico facta, Sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest id quod est ex parte Sacerdotis.*

Objicitur ultimo caput *Fures*, de *Furtis* 5. Decretal. Tit. 18. *Fures*, inquit, *& latrones, si in furando, & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus.*

Respondeo, mendum esse in textu, & legendum esse loco istarum vocum, *Presbytero, vel Diacono, Presbytero, & Deo*, prout habetur in Canone 31. Concilii Triburiensis, ex quo istud caput, *Fures*, desumptum notatur. Sic enim habetur in Concilio Triburiensi: *Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se Mysteriis Sacrosanctis, habitu corporis & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, emendatione morum & actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam.*

Deinde, etiamsi legatur, *vel Diacono*, nihil contra nos conficit istud Caput, quia Confessio illa non erit Sacramentalis. Unde Glossa in hoc Caput ait: *In necessitate etiam Laico.*

DISSERTATIO V.

De Libellaticorum facinore, & variis eorum generibus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum omnes Libellatici fidem abnegarent.

LIBELLATICI dicti sunt, qui ne Idolis sacrificare cogerentur, munus dabant, numerabantque pecuniam Ethnicis magistratibus, eo pretio cum vitæ, tum Idololatriæ exterioris periculum, & infamiam redimentes, & nominis Christiani professionem confusione quodammodo abnegantes. Pro munere autem Libellos pro se, suisque, a Magistratibus obtinebant, ut his velut securitatis præsidio muniti, sese a Satellitum

audacia & furore tuerentur. Hujus criminis gravitatem Sanctorum Patrum verbis exponemus: deinde expendemus, utrum omnes Libellatici fidem negaverint.

PROPOSITIO I.

Gravissimum erat Libellaticorum crimen, & proxime ad Idololatriam accedens.

PRobatur primo ex Tertulliano, libro de fuga in Persecutione, c. 12. & 13. ubi eleganti plane stylo hoc facinus describit & insectatur. „ Ut autem, *inquit*, re„ dimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quam indi„ gnum Deo & dispositione ejus, qui Filio suo non pepercit pro te, ut fieret ma„ ledictum pro nobis; quia maledictus qui pependerit in ligno. Totum hoc ut nos a „ peccatis lucraretur. Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio no„ stra est, & stipulatio nostra in cælis: sublevatæ sunt portæ sempiternæ ut introiret „ Rex gloriæ, Dominus virtutum, hominem de terris, immo ab inferis mercatus in „ cælos. Quis est nunc qui adversus illum reluctatur? Immo depretiat, & mercedem „ ejus tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet Sanguine commaculat? Jam er„ go melius fugere, quam fieri viliorem; si non tanti sibi constabit homo, quanti „ constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit ab Angelis mundi tenentibus „ potestatibus, a spiritalibus nequitiæ, a tenebris hujus ævi, a judicio æterno, a mor„ te perpetua. Tu autem pro eo pacisceris cum delatore, vel milite, vel furunculo „ aliquo Præside, sub tunica & sinu, quod ajunt, ut furtivo, quem coram toto mun„ do Christus emit, immo & manumisit. Hunc ergo liberum pretio æstimabis & pre„ tio possidebis, nisi eodem; quanto, ut diximus, Domino constitit, Sanguine suo scilicet?

Et post pauca: „ Quis tamen abnegatorem spernat? Quid enim dicit ille concussor? „ Da mihi pecuniam; certe ne eum tradat: siquidem non aliud venditat, quam quod „ præstaturus est præmio tuo. Cum das, utique, ne tradaris voluisti. Non traditus „ autem, traduci habebas? Ergo dum nolendo tradi, non vis traduci, nolendo nega„ sti, quod te esse, traduci noluisti. Immo, *inquis*, dum nolo traduci quod sum, con„ fessus id esse, quod nolo traduci, id est, Christianum. Apud unum si forte confessus „ es, ergo & apud plures nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus judicabit hominem ex„ cidisse, dum evadit. Excidit ergo qui maluit evasisse. Negatio est etiam, Martyrii „ recusatio. Christianus pecunia salvus est: & in hos nummos habet ne patiatur, dum „ adversus Deum erit dives.

Et infra: „ Postremo, quo exemplo uteris in redemptionem traditionis? Apostoli tra„ ctantes, persecutionibus agitati, quando se pecunia liberaverunt? Quæ illis utique „ non deerat ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis, certe multis locupleti„ bus credentibus viris, ac feminis, qui his etiam refrigeria subministrabant. Quando „ Onesiphorus, aut Stephanus hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus qui„ dem, cum Felix Præses pecunias accepturum se pro eo a Discipulis sperasset, de „ quo & ipse in secreto tractavit cum ipso: neque ipse pro se, neque Discipuli cum „ eo numeraverunt. Illi utique Discipuli, qui flentes quod Hierosolymam tendere per„ severaret, & persecutiones prædicatas illic non præcaveret, postremo inquiunt: Fiat „ voluntas Dei. Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini, non ut „ redimeretur.

Adversari denique dispositioni Dei, ejusque præcepto Libellaticos, sic ostendit. „ Ab „ apice Regnorum, & Imperiorum, utique a Deo, disposito statu, in cujus manu cor „ Regis, tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, „ collationum, stipendiorum, nec umquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid pros„ pectum est, sub aliquam redemptionem capitis & sectæ redigendis, cum tantæ mul„ titudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine nume„ rati: nullum numerum pro capite debemus, quia Caput nostrum Christus est. Non „ decet Christum pecunia constare. Quomodo & Martyria fieri possent in gloriam Do„ mini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? Itaque qui eam præmio pacisci-

„ tur, diſpoſitioni divinæ adverſatur. Cum igitur nihil nobis Cæſar indixerit in hunc „ modum ſtipendiariæ ſectæ, ſed nec indici umquam tale quid poſſit, Antichriſto jam „ inſtante, & in ſanguinem, non in pecunias hiante Chriſtianorum; quomodo mihi pro- „ ponere poteſt Scripturam eſſe: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari? Miles me, vel „ delator, vel inimicus concutit, nihil Cæſari exigens, contra faciens, cum Chriſtia- „ num legibus humanis reum mercede dimittit. Alius eſt denarius, quem Cæſari de- „ beo, qui ad eum pertinet, tributarius a tributariis ſcilicet, non a liberis debitus: „ aut quomodo reddam, quæ ſunt Dei, Deo? Utique proinde imaginem & monetam „ ipſius inſcriptam nomine ejus, id eſt, hominem Chriſtianum. Quid autem Deo de- „ beo, ſicut denarium Cæſari, niſi ſanguinem, quem pro me Filius fudit ipſius? Quod „ ſi Deo quidem hominem & ſanguinem meum debeo, nunc vero in eo ſum tempo- „ re, ut quod Deo debeo, expoſtuler; utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod „ debeo ſolvam.

Probatur ſecundo hujus gravitas ſceleris ex Sancto Cypriano, qui ſecundum ipſi ab idololatria locum ſemper tribuit, ejuſque reos graviſſimæ addicit Pœnitentiæ, non ſecus ac idololatras. De his ita ſcribit Epiſtola 15. ad Presbyteros & Diaconos Romæ conſiſtentes. „ Item cum comperiſſem eos, qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque „ ora maculaſſent, vel nefandis libellis conſcientiam nihilominus polluiſſent, exambi- „ re ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione cor- „ rumpere, ut ſine ullo diſcrimine, atque examine ſingulorum, darentur quotidie li- „ bellorum millia contra Evangelii legem: literas feci, quibus Martyres & Confeſ- „ ſores conſilio meo, quantum poſſem, ad Dominica præcepta revocarem.“ Pœniten- tiæ itaque publicæ addicebantur Libellatici, non ſecus ac Sacrificati, id eſt, qui ido- lis ſacrificaverant; ſiquidem & ipſi literas a Confeſſoribus expoſcebant, ut eorum in- terceſſione Epiſcopi eos a pœnis ſeverioris atque diuturnioris Pœnitentiæ abſolverent.

Et Libro de Lapſis: „ Denique, *inquit*, quanto & fide majores, & timore melio- „ res ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen „ de hoc vel cogitaverunt; hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter con- „ fitentes, Exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem „ medelam, parvis licet & modicis vulneribus, exquirunt; ſcientes ſcriptum eſſe: „ Deus non deridetur . . . Plus immo delinquit, qui ſecundum hominem, Deum co- „ gitans, evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in „ præceptis ſuis dicit: Qui confuſus me fuerit, confundetur eum Filius hominis. „ Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? Quomodo po- „ teſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit aut metuit?

Probatur tertio ex Concilio Illiberitano, Canone 3. Communionem in fine vitæ dum- „ taxat Libellaticis indulgente. „ Flamines, *ait*, qui non immolaverint, ſed munus „ tantum dederint, eo quod ſe a funeſtis abſtinuerint ſacrificiis, placuit in fine præ- „ ſtari eis Communionem; facta tamen legitima Pœnitentia.

PROPOSITIO II.

Libellaticos omnes fidem abnegaſſe non exiſtimo; quamvis nonnulli revera negaverint.

PRobatur prima pars contra Cardinalem Baronium, auctoritate Sancti Cypriani, Epiſt. 52. ad Antonianum data, ubi quoſdam Libellaticos notat qui cum pecunia judicis animum tentari atque commoveri poſſe ſentiebant, Chriſtianos ſe eſſe fatebantur, ſed oblata pecunia libellum ſecuritatis obtinebant, ne ad immolandum idolis, vel ad fidem palam profitendam cogerentur. „ Cum ergo, *inquit Sanctus Cyprianus*, „ inter ipſos qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas; quæ inclementia eſt, quam acerba „ duritia, Libellaticos cum iis qui ſacrificaverint, jungere? Quando is, cui libellus „ acceptus eſt, dicat: Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram, non „ ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſervum Dei adorare debere, & idcirco ne hoc „ facerem, quod non licebat, cum occaſio libelli fuiſſet oblata, ad Magiſtratum vel

„ venit,

„ veni, vel alio eunte mandavi, Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere,
„ ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet,
„ faciam. Nunc tamen etiam iſte, qui libello maculatus eſt, poſteaquam nobis admo-
„ nentibus didicit, nec hoc ſe facere debuiſse, & ſi manus ejus pura ſit, & os ejus
„ feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam; flet
„ auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam cri-
„ mine, quam errore deceptus, quod jam de cætero inſtructus, & paratus ſit, conte-
„ ſtatur. " An quæſo, ita loqueretur S. Cyprianus de his qui fidem ejuraſſent, & Chriſtum negaviſſent?

Præterea, in eadem Epiſtola ait: „ Multo graviorem, & pejorem eſſe mœchi, quam
„ libellatici cauſam, cum hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit; hic exiſtimans
„ ſibi ſatis eſſe quod non ſacrificaverit errore deceptus ſit; ille matrimonii expugnator
„ alieni vel lupanar ingreſſus, ad cloacam & cenoſam voraginem vulgi, ſanctificatum
„ corpus, & Dei templum deteſtabili colluvione violaverit ". Porro ſi Libellatici quilibet Chriſtum abnegaſſent, pejor non eſſet mœchi cauſa, quam Libellatici; neque dumtaxat errore decepti, ſed ſacrilegio maculati dicerentur. Probabilius igitur eſt Libellaticos omnes Chriſtum non abnegaſſe.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis, quod ſcilicet nonnulli e Libellaticis fidem negaverint, ex Sancto Cypriano alterum Libellaticorum genus deſignante, qui ſe Chriſtianos non eſſe coram Judicibus conteſtabantur, & dato munere, libellos ab ipſis obtinebant, quibus ſignificaretur, ipſos ulterius inquirendos non eſſe propter Chriſtiani profeſſionem nominis, utpote qui Principum Edictis de Numinum cultu paruiſſent. Id conſtat ex Epiſtola 68. Sancti Cypriani, ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes data, in qua poſtquam præmiſit, *Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere*; hæc de Martiali ſubjungit: *Actis etiam publice habitis, apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus eſt.*

Idem conſtat ex libro de Lapſis, ubi de iſtius generis Libellaticis ait: *Nec ſibi, quominus agant Pœnitentiam, blandiantur, qui etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conſcientiam polluerunt. Et illa profeſſio denegantis, conteſtatio eſt Chriſtiani, quod fuerat, abnegantis: feciſſe ſe dixit, quidquid alius faciendo commiſit. Cumque ſcriptum ſit; non poteſtis duobus Dominis ſervire, ſervivit ſæculari Domino, obtemperavit ejus edicto, magis obaudivit humano imperio, quam Deo. Viderit an timore, vel dedecore, vel crimine apud homines publicaverit quod admiſit: Deum tamen judicem ſubterfugere, & vitare non poterit.*

Probatur ſecundo, teſtimonio Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum ſcribentis in hæc verba: * *Minus eſt, ſine prædicatione virtutum ignobilem ſine laude jacuiſſe, quam exhæredem fidei factum, laudes proprias perdidiſſe . . . . . Hoc nos non falſo dicere, ſuperiores literæ noſtræ probaverunt, in quibus vobis ſententiam noſtram dilucida expoſitione protulimus adverſus eos, qui ſeipſos infideles illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderant, quaſi evaſuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quominus quam ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo quod ipſum conteſtati fuerant, tenerentur: Sed etiam adverſus illos qui Acta feciſſent, licet præſentes, cum fierent, non adfuiſſent, cum præſentiam ſuam utique ut ſic ſcriberentur, mandando feciſſent. Eſt enim immunis a ſcelere, qui, ut fieret, imperavit, nec eſt alienus a crimine, cujus conſenſu, licet non a ſe admiſſum crimen, tamen publice legitur; & cum totum fidei Sacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negavit, & qui vult videri propoſitis adverſus Evangelium, vel Edictis, vel Legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit.* Ex his conſtat, quoſdam Libellaticos Chriſti nomen coram Judicibus abnegaſſe.

* *Extat inter Epiſt. S. Cypr. 32.*

Objicies contra primam partem Propoſitionis. Libellatici capitali crimine tenebantur: atqui nullum erat crimen offerre pecuniam Tyrannis, ne ad ſacrificandum cogerent.

rent. Istud enim erat vexationem redimere. Libellatici igitur non modo pecuniam hoc pacto offerebant, sed fidem revera abnegabant.

Probatur minor auctoritate S. Petri Alexandrini, Can. 12. ita decernentis: *Iis enim qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent: quod alii propter turpe lucrum non fecerunt; quamvis Dominus dicat: Quid enim prodest homini, si universum mundum lucrabitur, animæ vero detrimentum patiatur? Et rursum: Non potestis Deo servire & Mammonæ. In illis enim apparuerunt, qui Deo servirent, exosis, conculcatis, contemptisque pecuniis, & in eo compleverunt quod scriptum est: pretium redemptionis animæ, divitiæ propriæ. Nam in Actibus Apostolorum legimus, qui pro Paulo, & Sila Thessalonicæ ad Magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen multum oneassent, & multitudinem, Magistratusque perturbassent: ab Jasone*, inquit, *& reliquis, satisfactione accepta, eos dimiserunt.*

Respondeo nullum quidem crimen illis intendi potuisse, qui fidem Christi palam confessi, pecunias dabant, ne ad aras traherentur; & de his loquitur Sanctus Petrus Alexandrinus. At gravissimi tenebantur criminis rei, qui fidem Christi palam profiteri erubescentes, nondum sæviente in caput suum persecutione, pecunias offerebant, vel dabant, ne ad fidem publice profitendam cogerentur: quamvis Christum non negarent, immo se esse Christianos dicerent, illicitaque sibi esse profana sacrificia. Denique illa vitæ redemptio, dato munere Judicibus Ethnicis, licita erat, cum aberat periculum fidei, Religionis, Ecclesiæ, vel fratrum offendiculum; cum uberior ex hac redemptione fructus spiritualis in eos qui munus dabant, vel in Ecclesiam, redundaturus sperabatur. Quæ S. Petri Alexandrini hypothesis est. Alias illicita erat.

DISSERTATIO VI.

De peccatis publicæ Pœnitentiæ legibus tertio Sæculo, & deinceps obnoxiis.

DUPLEX ea de re moveri potest Quæstio. Primo enim quæri potest, utrum omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ olim subjicerentur? Secundo, an solum publica plecterentur pœnis canonicis, an etiam occulta?

QUÆSTIO I.

De peccatis mortalibus in ordine ad Pœnitentiam publicam.

ARTICULUS I.

Utrum omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ olim Ecclesia subjecerit?

PROPOSITIO.

Cujusvis peccati mortalis reos Ecclesia nusquam publicæ Pœnitentiæ addixit.

Tria crimina capitalia publica olim Pœnitentiæ obnoxia, ex Tertulliano.

PRobatur. Quæ criminum dumtaxat canonicorum reos, id est idololatriæ, homicidii, mœchiæ, vel aliorum gravium scelerum, puta, quæ sæculi leges sanguine vindicabant, Pœnitentiæ publicæ addixit, ea Pœnitentia non castigavit cujusvis peccati mortalis reos: sed Ecclesia trium dumtaxat capitalium criminum reos, id est, idololatriæ, homicidii, mœchiæ, vel aliorum gravium scelerum, puta, quę sæculi leges nece plectebant, publicæ Pœnitentiæ addixit. Non subjecit itaque Pœnitentiæ publicæ omnium peccatorum mortalium reos.

Probatur minor, primo ex Tertulliano, qui in libro de Pudicitia trium dumtaxat capi-

capitalium criminum meminit, quæ Ecclesia Catholica Pœnitentiæ publicæ addicebat: Montanistæ vero irremissibilia esse contendebant: scilicet idololatriæ, homicidii, & mœchiæ. *Cum primum*, inquit cap. 12. *innotuit Evangelium, & vetera concussit, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus Sancti Apostoli emittunt ad eos qui jam ex nationibus adlegi cœperant: Visum est, inquiunt, Spiritui Sancto, & nobis, nullum amplius vobis adjicere pondus, quam eorum a quibus necesse est abstineri, a sacrificiis, & a fornicationibus, & sanguine. Sufficit & hic servatum esse mœchiæ & fornicationi locum honoris sui, inter idololatriam & homicidium. Interdictum enim sanguinis, multo magis humani intelligemus. Porro qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt? Quæ sola necessario abstinenda præscribunt? Non quod alia permittant, sed quod hæc sola proponant, utique non remissibilia.*

Et cap. 5. *Adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit & mœchus, pariter de Pœnitentiæ officio sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem. Quid agis, mollissima & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebit, aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem & homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis, Idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam? Personæ acceptatio est: miserabiliores Pœnitentias reliquisti.* Itaque Tertulliani ævo tribus tantum istis criminibus Pœnitentia publica imponebatur, scilicet idololatriæ, homicidio, & mœchiæ.

II. Eadem minor propositio probatur testimonio Sancti Cypriani, qui quoties de Pœnitentia publica agit, Idololatras, Libellaticos, aut Mœchos ejus legibus subjectos fuisse significat: homicidas proculdubio additurus, si quod tractabat argumentum, id postulasset.

III. Idem constat ex Concilio Illiberitano, cujus in Canonibus severissimam sanctionibus Disciplinam, publicæ Pœnitentiæ addictum neminem leges, nisi qui alicujus ex istis tribus criminibus reus esset. De Idololatris statuit Canon primus his verbis: *Placuit inter eos, ut qui post fidem Baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale, nec in fine Communionem suscipere.* *Concilium Illiberitanum trium tantum crimina publicæ Pœnitentiæ adstrinxit.*

De tribus memoratis criminibus simul decernit Canon secundus his verbis: *Flamines, qui post fidem lavacri, & regenerationis sacrificaverint, vel geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere Communionem.*

Canon tertius & septimus Mœchos percellunt, illisque qui post Pœnitentiam rursus mœchati fuerint, nec in fine dandam statuunt Communionem. Cæteri Canones, qui Pœnitentiam publicam imponunt, reos istorum, vel his affinium criminum spectant.

Nec obstat, quod Canonibus 73. 74. & 75. Pœnitentia publica delatoribus, & falsis testibus imperetur. Illa namque crimina revocantur ad homicidium, ut quæ accusatis mortem inferant. Id patet ex contextu illorum Canonum. Ita enim habet 73. *Delator si quis extiterit Fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere Communionem.* 74. ita statuit: *Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur: Si tamen non fuerit mortis quod objecit, & probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur.*

Dices, eos, qui Sacerdotes, vel Ministros sacros accusant, perpetuæ Pœnitentiæ addici, Can. 75. cum tamen ex eorum accusatione mors non inferatur.

Respondeo, ex eorum accusatione inferri mortem canonicam, nimirum depositionem, quam Patres quoddam mortis genus esse senserunt. Unde Optatus Milevitanus libro 2. contra Parmenianum, Donatistas, qui Sacerdotes ad suam Sectam ab Ecclesia deficientes deponebant, & Pœnitentiæ subjiciebant, sic alloquitur: *Vos vivum facitis homicidium. Quid prodest quia vivunt homines, & occisi sunt honores a vobis?*

Dices. Delatores in levioribus causis, Pœnitentia quinquennii castigantur ab Illiberitanis Patribus Canone 73. & falsos testes, etiamsi non fuerit capitale crimen quod

objecerunt, ſolido quinquennio abſtineri decernunt ac pœnitere, Canone 74. Itaque alia crimina a tribus memoratis, publicæ Pœnitentiæ ſubjecere.

Reſpondeo, delatorum, & falſorum teſtium peccata, etiam in levioribus cauſis, ad homicidium reduci, quatenus ex fratrum odio proficiſcuntur, & *Omnis, qui odit Fratrem, homicida eſt.* (1. Jo. 3.)

IV. Memorata dumtaxat crimina, publicæ Pœnitentiæ, quatuor primis ſæculis obnoxia fuiſſe, conſtat ex Concilio Ancyrano, cujus novem priores Canones Pœnitentiæ tempus ſtatuunt his, qui Idololatria polluti ſunt, ſive ſacrificando, ſive comedendo Idolothyta. 17. Nefarii criminis reos viginti annorum Pœnitentiæ addicit, ſi ante vigeſimum ætatis ſuæ annum tale crimen admiſerint: qui vero exacta viginti annorum ætate, Pœnitentiæ triginta annorum ſubjicit; qui denique poſt quinquageſimum annum perpetraverint hoc ſcelus, ad exitum uſque vitæ publice pœnitere decernit.

Canon vigeſimus. Adulteris ſeptem annorum præſcribit Pœnitentiam: *Si quis*, inquit, *adulterium commiſerit, ſeptem annis in Pœnitentia completis, perfectioni reddatur, ſecundum priſtinos gradus.*

Vigeſimus primus, mulierum fornicantium, & ſuos fœtus excutientium Pœnitentiam, quæ ad finem uſque vitæ antea prorogabatur, ad decennium contrahit. *De mulieribus*, inquit, *quæ fornicantur, & partus ſuos necant, ſed & de his quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem Definitio eſt, uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus Pœnitentiæ tribuatur.*

Canon vigeſimus ſecundus, Homicidium voluntarium continua, uſque ad exitum vitæ, Pœnitentis caſtigat.

Vigeſimus tertius, Homicidium involuntarium quinquennii Pœnitentia ſtatuit mulctandum.

Vigeſimus quartus, Inceſtus conſcios decennii Pœnitentiæ addicit.

Præter hæc crimina, nulla alia Canones Ancyrani Pœnitentiæ publicæ animadverſione vindicant. Igitur tria dumtaxat crimina canonica, ſcilicet Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium, Pœnitentiæ publicæ ſubjecerunt Ancyrani Patres.

Nec obſtat quod Canon 23. eos qui divinationes expetunt, & Ariolos introducunt in domos ſuas ad exquirendum aliquid, quinquennii Pœnitentiam ſubire jubeat. Nam divinationes ejuſmodi cum Idololatria conjunctas, vel ipſi affines, Patres exiſtimarunt. Tertullianus libro de Idololatria, cap. 9. Magiam & Aſtrologiam recenſet inter *Profeſſiones obnoxias Idololatriæ*. Illiberitana Synodus Canone 6. ait: *Maleficium ſine Idololatria perfici non poſſe*. Et Canon ipſe Ancyranus, Gentilium ritus divinationibus admixtos agnoſcit, ac ſupponit. En ejus verba, ſecundum Verſionem Dionyſii Exigui: *Qui divinationes expetunt, & morem Gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas hujuſcemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte maleſica, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennii jaceant, ſecundum gradus Pœnitentiæ definitos.*

V. Memorata tantum crimina Primitivam Eccleſiam Pœnitentia publica caſtigaſſe, probatur ex Concilio Neocæſareenſi, cujus Canones Pœnitentiam tantum imponunt fornicatoribus, adulteris, inceſtuoſis, polygamis. Quod vero univerſa peccata mortalia non ſubjicerent Pœnitentiæ publicæ illo ævo, evincitur ex Canone quarto ita decernente: *Si quis mulierem concupiſcens, propoſuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus eſt.* Nemo certe dubitaverit, propoſitum fornicationis lethale eſſe peccatum. Hujus tamen reum propoſiti, liberum eſſe a publicæ pœnitentiæ legibus jubent Patres Neocæſareenſes. Itaque omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ non addixerunt.

Tria tantum peccata Canonica publica Pœnitentia ſubdita ætate Sancti Paciani.

VI. Idem probatur ex Sancto Paciano Barcinonenſi Epiſcopo, qui ſub medium quarti ſæculi floruit, in Paræneſi ad Pœnitentiam; ubi præmittit primo omnia peccata Pœnitentiæ non ſubjici, utique publicæ, de qua hic agit potiſſimum. *Primum igitur*, inquit; *de modo peccantium retractemus, ſedulo requirentes quæ ſint peccata, quæ crimina, ne quis exiſtimet, propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.* Deinde collato

novæ

novæ legis ſtatu cum ſtatu veteris legis, quæ longe pluribus præceptis Judæos gravabant, crimina recenſet, quæ publicæ Pœnitentiæ remediis curanda ſunt, illaque repetit ex Epiſtola Apoſtolorum in Concilio Hieroſolymitano data ad Chriſtianos ex Gentibus converſos, Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ degentes, Actor. 15. in qua hæc habentur: *Neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione.* Quæ verba expendens Sanctus Pacianus, ait: *Hæc eſt novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis, capitalis periculi conditione, legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: hæc vero tria crimina, ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda ſunt; non enim vitiare animam, ſed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convitium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate; aſperitas lenitate; gravitate levitas; honeſtate perverſitas; & quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit? Aut conſervare ſanguinem ſuum, qui fudit alienum? Aut redintegrare Dei Templum, qui illud fornicando violavit? Iſta ſunt capitalia, Fratres, iſta mortalia.*

Denique horum ſcelerum reos ad Pœnitentiam hortatur, utique publicam. Nam & alia crimina Pœnitentia eluenda eſſe nemo neſcit: *Ergo, inquiet aliquis, periturus ſum? Et ubi miſericors Deus, qui mortem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis noſtris? Et quid facies tu Sacerdos? Quibus emolumentis tot Eccleſiæ detrimenta penſabis? Accipite remedium ſi deſperare cœpiſtis, ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis: Vos ergo primum appello, Fratres, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis*, &c.

Deinde loquitur de illa Pœnitentia, qua peccatores a reliquorum Fidelium cœtu ſegregantur, ne eos communicatione ſua inficiant. Hanc autem publicam eſſe, nemo negaverit. *Quod ſi veſtra*, inquit, *vobis vilis eſt anima, parcite populo, parcite Sacerdotibus. Clamat Apoſtolus: Exiguum fermentum totam maſſam fermentat. Quid facies tu, propter quem omnis maſſa corrumpitur? Propter quem laboratura eſt tota Fraternitas? Vives tot animarum reus? Excuſaberis, cum tibi Communionem ſuam imputaverint innocentes; cum te Eccleſia dixerit ſuæ cladis Auctorem? Ecce iterum Apoſtolus ad Sacerdotem: Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem, probandi difficultate confundis?* Conſtat itaque ætate Sancti Paciani, tria tantum peccata canonica, ſcilicet, Idololatriam, Homicidium & Mœchiam, publicæ Pœnitentiæ Legibus obnoxia fuiſſe.

Omnia peccata non-talia publicæ Pœnitentiæ ſubdita non fuiſſe, probat Epiſtola Canonica S. Gregorii Nyſſeni.

VII. Idem probatur ex Sancto Gregorio Nyſſeno, in Epiſtola Canonica ad Letojum Mitylenes Epiſcopum, in qua numerum peccatorum, quibus imponebatur Pœnitentia publica, repetit ex tribus præcipuis animæ facultatibus, *ratione, concupiſcentia, & ira*: quibus ſubtiliter & erudite expoſitis, peccata primi ordinis eſſe ait, Idololatriam, Judaiſmum, Manichæiſmum, quæ Pœnitentia publica vindicantur. *Quæcumque peccata*, inquit, *ratione præditam animæ partem attingunt, graviora judicata ſunt a Patribus, & majori, ac diuturniori, & laborioſiori converſione digna. Quemadmodum ſi quis fidem in Chriſtum negavit, vel ad Judaiſmum, vel Idolorum cultum, vel Manichæiſmum, vel aliquod aliud impietatis genus deſciviſſe viſus ſit; qui voluntarie quidem ad id malum ſe contulit, deinde ſeipſum condemnavit, præſcriptum Pœnitentiæ tempus vitam omnem habet. Numquam enim dum myſtica peragetur Oratio, Deum una cum populo adorare ſinetur, ſed ſeorſum precabitur: a Sacramentorum autem Communione omnino erit alienus: in hora autem ſui e vita exceſſus, Sacramenti Communionis erit particeps.* Eidem pœnæ vult addici eos *qui ad præſtigiatores, vel divinos abierunt, vel eos qui per dæmones ſe purgationes quaſdam & expiationes operaturos pollicentur*: quia ſupponit eos fidem abnegaſſe, & cum dæmonibus iniiſſe ſocietatem.

De criminibus ſecundi ordinis, quæ ſcilicet concupiſcentem animæ partem afficiunt, ita decernit: *Eſt ergo Canon hujuſmodi, ut qui fornicatione polluti ſunt, in tribus annis ab Oratione omnino expellantur; in tribus ſint ſolius auditionis participes; in tri-*

bus

bus autem aliis, cum iis qui in converſione ſubſternuntur, precentur; & tunc ſint Sacramentorum participes. Quæ autem in adulterio, & in reliquis immunditiæ generibus ſit iniquitas, omnino eodem judicio punietur, quo fornicationis ſcelus, ſed tempore duplicabitur.

Ex peccatis quæ ad irascentem animæ partem ſpectant, ſolum homicidium Pœnitentia publica mulctatum a Patribus teſtatur. Statutam porro in homicidas Pœnitentiam ſic exponit: *In his ergo, cędes quidem in triplicatum tempus extenditur iis qui per converſionem voluntario facinori remedium afferunt. Ter novem enim ſunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito: adeo ut in perfecta quidem ſegregatione novem annorum tempore verſetur ab Eccleſia prohibitus; alios autem tot annos in auditione permaneat . . . . . In tertio autem novenario, cum ſubſtratione oret: ſicque perveniat ad Communionem Sacramenti.*

Homicidii judicio ſubdi jubet furtum violentum, quia prædo videtur ad cædes comparatus. *Nam prædo*, inquit, *etiam homicidii opem adhibet ad propoſitum obtinendum, ad hoc ipſum ſe comparans, & armis, & numeroſa manu, & opportunitate locorum, adeo ut is homicidarum judicio ſubjiciatur, ſi per Pœnitentiam ad Dei Eccleſiam revertatur.*

Sepulcrorum violatio Pœnitentiæ publicæ pariter ſubdita eſt, quatenus piaculum fornicationi quodammodo ſimile videbatur, propter violata defunctorum corpora. Quo de crimine Sanctus Gregorius Nyſſenus ait: *Sed carnis in terram redactæ pulverem perſcrutari, & oſſa loco movere, ſpe lucri faciendi ornamenti alicujus, ex iis quæ cum corpore, in eodem judicio condemnatum eſt, quo ſimplex fornicatio.*

Denique ſacrilegium breviori Pœnitentia plecti dicit, quam adulterium, aitque ſe neſcire quomodo Eccleſia eo lenitatis deſcenderit: cum in antiqua Scriptura ne cædis quidem condemnatione ſacrilegium tolerabilius videretur. Itaque ævo S. Gregorii Nyſſeni ſola idololatria, & aliæ infidelitatis ſpecies, homicidium, mœchia, & furtum violentum, ſepulcrorum violatio, atque ſacrilegium, Pœnitentiæ publicæ legibus ſubjacebant. Non igitur omnibus peccatis mortalibus Pœnitentia publica imponebatur.

Confirmatur ex eodem Patre. Avaritia, uſura, furtum occultum, proculdubio mortalia peccata ſunt. Nec tamen antiquis Canonibus in iſtorum criminum reos eſt animadverſum, aut publica ipſis inflicta Pœnitentia eſt, teſte Sancto Gregorio Nyſſeno, ibidem. *Altera autem Idololatriæ ſpecies*, inquit, *ſic enim divinus Apoſtolus avaritiam appellat, neſcio quomodo abſque ulla pœnæ medela a Patribus prætermiſſa eſt.* Et infra: *Quo fit ut hic morbus valde in Eccleſia redundet, & nemo de iis qui ad Clerum adducuntur, inquirat, num qui eo idololatriæ genere polluti ſint: ſed de iis, quoniam id a Patribus prætermiſſum eſt, ſufficere exiſtimamus, publica doctrinæ ratione, ea quomodo fieri poteſt, curare; avaritiæ affectiones, veluti quoſdam morbos ex repletione ortos, oratione purgando: ſolum autem furtum, & ſepulcrorum effoſſionem, & ſacrilegium, vitia cenſemus: quod ex Patrum ſucceſſione hæc nobis traditio de iis relicta ſit: Atqui apud divinam Scripturam, & redundantia & uſura ſunt prohibitæ; & per potentiam ad ſuam poſſeſſionem aliena traducere, etiamſi ſub prætextu negotiationis hoc fortaſſe factum ſit.* De furto occulto poſtea hæc ſubjungit: *Qui autem occulta ſubtractione ſibi alienum uſurpat, ac deinde per Confeſſionem peccatum ſuum Sacerdoti aperit, ſtudio quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit; res, inquam, ſuas largiendo pauperibus, ut dum quæ habet profundit, ſe ab avaritiæ morbo liberum aperte oſtendat. Sin autem nihil aliud niſi corpus habeat, jubet Apoſtolus per corporalem laborem ei morbo fieri medicinam.* Ejus autem hæc verba ſunt: *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti . . . . .* Cum itaque avaritia, uſura, & furtum occultum, publicæ Pœnitentiæ non eſſent olim ſubdita legibus, conſequens eſt Pœnitentiam publicam omnibus peccatis mortalibus impoſitam non fuiſſe.

Ephes. 4. 28.

Quæ peccata Pœnitentiæ publ. obnoxia.

VIII. Probatur Propoſitio ex S. Baſilio in tribus Epiſtolis Canonicis ad Amphilochium, Pœnitentiam publicam Idololatris dumtaxat, homicidis, mœchis, perjuris, ſepulcrorum effoſſoribus, furibus convictis, & vatibus, ſeu divinatoribus, necnon iis qui ipſos conſulunt, præſcribente: quod vero cætera peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ legibus

gibus non subjicerentur olim, constat ex Canone 14. quo usurarios absque Pœnitentiæ publicæ onere absolvit, si pecuniam ex usuris collectam in pauperes erogent: immo & ad Sacerdotium promoveri posse decernit: *Qui usuras accepit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, ad Sacerdotium admitti potest.*

xia in Ecclesiis Cappadociæ ætate S. Basilii? In quibusdam tamen Ecclesiis usurarii pœnitentiæ publicæ subjacebant, si in eo scelere multum diuque perseverarent, ut constat ex Can. 20. Concil. Illiberitani.

Confirmatur. Raptus mortale peccatum est, nullo reclamante; sed ante S. Basilium, raptus Pœnitentia publica non castigabatur: itaque omnia peccata mortalia non subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor ex illius Can. 30. *De his qui rapiunt*, inquit, *Canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus: ut ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra Orationes.* Denique raptus qui violenter non fit, nihilominus peccatum mortale est, & publicis etiam Legibus vindicatum. Nec tamen publica Pœnitentia mulctabatur tempore S. Basilii (ut constat ex eodem Can.) *Quod autem violenter non fit*, inquit, *nulli est pœnæ obnoxium, quando nec stuprum, nec furtum rem præcesserit.* Omnia igitur peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ legibus, ex veteris Ecclesiæ Disciplina non subjiciebantur.

IX. Probatur Propositio auctoritate S. Augustini Epist. 64. ad Aurelium Episcopum data, in qua testatur, comessationes & ebrietates etiam quæ fiebant in Templis, in honorem Martyrum, publica Pœnitentia non castigari; sed tamen comessationes illæ & ebrietates nedum peccata mortalia erant, verum etiam sacrilegia: itaque omnia peccata mortalia non subjiciebantur publicæ Pœnitentiæ ætate S. Augustini.

Probatur major S. Augustini verbis: *Scias*, inquit, *non desperare nos, immo sperare vehementer quod Dominus & Deus noster per auctoritatem personæ quam geris, multas carnales fœditates, & ægritudines, quas Africana Ecclesia in multis patitur, in paucis gemit, consiliorum gravitate, & tua, possit sanare. Cum enim Apostolus tria breviter genera vitiorum detestanda & vitanda uno in loco posuerit, de quibus innumerabilium vitiorum exurgit seges, unum horum, quod secundo loco posuit, acerrime in Ecclesia vindicatur; duo autem reliqua, id est, primum & ultimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri potest, ut nec vitia jam putentur. Ait enim Vas Electionis: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo: sed induite vos Dominum Jesum Christum. Horum ergo trium, cubilia & impudicitiæ, tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Ecclesiastico Ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum Communione videatur, qui se isto peccato maculavit. Et recte omnino. Sed quare solum? Comessationes enim & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit! sed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas, si tantum flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscumque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus. Quamquam ubi est illud, quod cum multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita concluserit, ut diceret, cum talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu, & labe domestica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamusque cum eis Corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur; saltem de sanctorum corporum Sepulcris, saltem de locis Sacramentorum, de domibus Orationum, tantum dedecus arceatur: quis enim audet vetare privatim, quod cum frequentatur in sanctis locis, honor Martyrum nominatur?*

Omnia peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ obnoxia non erant in Ecclesia Africana S. Aug. ætate.

Rom. 13.

Addit deinde: *Tantam esse pestilentiam hujus mali, ut sanari prorsus nisi Concilii auctoritate non possit*, modumque præscribit, quo interim coerceatur, qui longe abest a pœnitentia publica. „ Non ergo aspere, *inquit*, non duriter, non modo imperioso „ ista tolluntur magis docendo, quam jubendo; magis monendo, quam minando. Sic „ enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Etsi quod minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam „ futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita „ prius movebuntur spiritales, vel spiritalibus proximi, quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.

X. Pro-

quibus verbis manifeſtum eſt, ſtatim poſt fidei profeſſionem, nulla pœna impoſita, admiſſos fuiſſe ad Communionem hæreticos.

Hujus diſciplinæ rationem affert Joannes Abbas Raythu, S. Joannis Climaci diſcipulus, his verbis: *Hæreſis quidem malum in animo conſiſtit: fornicatio vero ex electione arbitrii animæ malo conſentiens, in corpore corruptionis peccatum complevit. Quoniam vero nihil eſt naturale, quod impugnet eum, qui ab errore convertitur, totaliter ex converſione mundatur: qui vero ex fornicatione, tempore indiget, labore, & lacrymis, ut qualificatam & infuſam delectationem & plagam concupiſcentiæ avertat.*

XIV. Probatur ultimo. Idolothytis veſci, mortale peccatum eſt, ſaltem ubi periculum eſt ſcandali; ſed olim Pœnitentiæ publicæ non ſunt addicti, qui idolothyta comederant, tempore ſcilicet S. Leonis: ejus igitur ætate omnia peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ non ſubjiciebantur.

Probatur minor ipſis S. Leonis verbis, Epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum data, cap. ult. *Qui convivio ſolo Gentilium*, inquit, *& eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari: ut deinceps ab idolothytis abſtinentes, Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos, niſi per Pœnitentiam publicam, non oportet admitti.*

Objectio prima nititur auctoritate Tertulliani, lib. de Pœnitentia, cap. 4. dicente: *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit.* Ex quibus ſic colligo. Nullum eſt peccatum mortale, quod carne, aut ſpiritu, facto, aut voluntate non committatur: atqui omnia peccata his modis commiſſa ſubjiciuntur Pœnitentiæ publicæ (teſte Tertullianos:) ſubjiciuntur enim illi Pœnitentiæ, de qua agit toto illo libro: hæc autem publica eſt; *Quæ de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, jejuniis preces alere, Presbyteris advolvi, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuę injungere: quam plerique ut publicationem ſui ſuffugiunt*, quam vocat *Pęnitentiam ſecundam & unam*, quia ſemel tantum conceditur (ut conſtat ex capitibus 8. 9. & 10.) ergo Tertulliani ætate, omnia peccata mortalia publicæ Pęnitentiæ, in Eccleſia Africana, ſubjiciebantur.

Confirmatur ex Sancto Cypriano, Epiſtola 10. dicente: *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant, &c.* Porro nomine minorum peccatorum, omnia mortalia videtur intellexiſſe S. Cyprianus: Neque enim venialia his verbis ſignificavit. Omnia igitur peccata mortalia indiſcriminatim in Eccleſia Africana, publicæ pœnitentiæ legibus ſubjacebant.

Objectiones ex Tertulliano & S. Cypriano petitæ diluuntur.

Reſpondeo ad primum; Tertullianum eo loci de Pęnitentia in genere differere, prout virtus eſt, omnibus delictis, ſive quæ opere perficiuntur, ſive quæ ſola voluntate committuntur, neceſſaria; non vero de Pęnitentia publica: namque agit de Pęnitentia, quam Deus præcepit. Porro Deus non præcepit Pęnitentiam publicam vel privatam, ſed Pęnitentiam ſecundum ſe & abſolute; quam Eccleſia pro quibuſdam peccatis nimirum pro gravioribus conſtituit publice agendam, pro cæteris vero privatim ſubeundam ſanxit. Id perſpicuum eſt ex iis quæ Tertullianus ſubjungit eodem in capite, poſt verba in argumento laudata. *Ergo*, inquit, *Pœnitentia vita eſt cum præponitur morti. Eam tu peccator mei ſimilis, immo me minor (ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum prolevabit; & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis ... Pœniteat errorum, reperta veritate, pęniteat amaſſe quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipſi, ſervulis noſtris, ea quibus offendimur, non odiſſe permittimus .... De bono pœnitentiæ enumerando diffuſa, & per hoc magno eloquio committenda materia eſt. Nos vero pro noſtris anguſtiis unum inculcamus, bonum atque optimum eſſe quod Deus præcipit. Audaciam exiſtimo, de bono divini præcepti diſputare. Neque enim quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus,*

bentus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis. Prior eſt auctoritas imperantis, quam utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, ſed etiam hortatur. Invitat præmio, ſalute, jurans etiam; Vivo, dicens, cupit credi ſibi. O beatos nos, quorum cauſa Deus jurat! O miſerrimos, ſi nec juranti Domino credimus! Tandem licet a cap. 7. agat potiſſimum Tertullianus de Pœnitentia luctuoſa & publica, quæ imponebatur ſemel illis qui poſt Baptiſmum in graviora crimina lapſi erant: tamen ab initio libri ad caput 7. loquitur tantum vel de Pœnitentia generatim ſumpta (ut diximus) vel de Pœnitentia ante Baptiſmum, qua ſcilicet Catechumeni omnia peccata vitæ prioris, ſive carnalia, ſive ſpiritualia, ſive facto, ſive ſola voluntate commiſſa, deteſtari ſe palam ſignificabant, & ad eorum per baptiſmum abſterſionem piis ſe diſponebant operibus. Id conſtat ex cap. 6. in quo hæc habet: *Quidquid ergo mediocritas noſtra ad Pœnitentiam ſemel capeſſendam, & perpetuo continendam ſuggerere conata eſt, omnes quidem deditos Domino ſpectat, ut omnis ſalutis in promerendo Deo petitores; ſed præcipue Novitiolis iſtis imminet; qui cum maxime incipiunt divinis ſermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant: & dicunt quidem priſtinis renuntiare, & Pœnitentiam aſſumunt, ſed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad deſiderandum ex priſtinis aliquid, finis ipſe deſiderandi . . . Omne præterea cunctationis, & tergiverſationis erga Pœnitentiam vitium, præſumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.*

Et infra: *Neque ego renuo, divinum beneficium, id eſt abolitionem delictorum, inituris aquam omni modo ſalvum eſſe; ſed ut eo pervenire contingat, elaborandum eſt. Quis enim tibi tam infidæ Pœnitentiæ viro aſperginem unam cujuslibet aquæ commodabit? Furto quidem aggredi, & Præpoſitum hujus rei aſſeverationibus tuis circumduci facile eſt: ſed Deus theſauro ſuo providet, nec ſinit obrepere indignos.*

Caput vero ſeptimum ſic incipit: *Hucuſque, Chriſte Domine, de Pœnitentiæ diſciplina ſervis tuis diſcere, vel audire contingat, quouſque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget ſecundæ, immo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem: ne tractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur.* Itaque ad eum uſque locum, Tertullianus non egerat de Pœnitentia peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, ſed tantum de Pœnitentia ante Baptiſmum, vel de Pœnitentia generatim ſumpta, ut virtus eſt: verba igitur quæ ex cap. quarto objecta ſunt, non probant Pœnitentiam publicam univerſis & ſingulis peccatis mortalibus impoſitam fuiſſe in Eccleſia Africana, tempore Tertulliani.

Ad confirmationem, reſpondeo Sanctum Cyprianum, nomine minorum peccatorum, non intellexiſſe omnia mortalia, ſed minora e canonicis, quæ ſcilicet divinam immediate non oppugnant majeſtatem, qualia ſunt homicidium, & adulterium. Quorum criminum rei cum Pœnitentiam publicam agerent juſto tempore, multo magis idololatriæ, quæ omnium peccatorum maximum eſt, reos, publicam, diuturnam, ſeveramque agere debere Pœnitentiam Sanctus Cyprianus merito colligit.

XVI. Objicitur ſecundo. Pœnitentia luctuoſa & humillima qua funguntur, qui proprie vocantur in Eccleſia Pœnitentes, eſt Pœnitentia publica: ſed huic Pœnitentiæ ſubjiciebantur olim omnia peccata mortalia, ſaltem in Eccleſiis Africanis, teſte Sancto Auguſtino; itaque omnia peccata mortalia antiquitus addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor. Quæcumque peccata Sanctus Auguſtinus non remitti ait, niſi in humilitate majoris Pœnitentiæ, publicæ Pœnitentiæ ſubjiciebantur: ſed peccata quævis mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, Sanctus Auguſtinus non remitti ait, niſi in humilitate majoris Pœnitentiæ: igitur, teſte Sancto Auguſtino, quævis peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa ſubjiciebantur olim Pœnitentiæ publicæ.

Reſpondetur objectioni gravissime ex S. Auguſtino petita.

Probatur minor. Quicumque tribus tantum modis in Eccleſia dimitti peccata aſſerit, primo Baptiſmate, ſecundo Oratione, tertio humilitate majoris Pœnitentiæ, cenſet

ſet peccata, quæ duobus prioribus remediis non curantur, tertio tantum modo ſanari poſſe, nimirum Pœnitentiæ majoris & publicæ humilitate: ſed Sanctus Auguſtinus tribus modis dimitti peccata in Eccleſia aſſerit, primo Baptiſmate, ſecundo Oratione, tertio humilitate majoris Pœnitentiæ: cenſet igitur ea peccata, quæ duobus prioribus modis non ſanantur, dimitti dumtaxat tertio remedio. Porro nulla peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa dimittuntur Baptiſmate, vel Oratione; quia Baptiſma non iteratur; & Oratio ſola peccata venialia & quotidiana expungit: igitur omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, teſte Sancto Auguſtino, Pœnitentiæ publicæ legibus ſubdebantur.

Tota hæc objectio nititur auctoritate Sancti Auguſtini tribus in locis, qui certe difficultatem pariunt graviſſimam, cujus pondere oppreſſi viri eruditiſſimi, ſententiam noſtræ contrariam propugnant. Quibus aſſenſi ſumus, dum ſtadium Theologicum decurreremus: ſed re poſtea diligentius expenſa, habita etiam ea de re cum viris eruditis collatione, hanc, quam impræſentiarum tuemur, opinionem probabiliorem amplexi ſumus.

Triplex Pœnitentia.

Primus autem, quem adverſarii proferunt, Sancti Auguſtini locus petitur ex libro de Symbolo ad Catechumenos cap. 7. & 8. *Propter omnia peccata*, inquit, *Baptiſmus inventus eſt. Propter levia, ſine quibus eſſe non poſſumus, Oratio inventa. Quid habet Oratio? Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Semel abluimur Baptiſmate, quotidie abluimur Oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, ut a Chriſti Corpore ſeparemini; quod abſit a vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt Pœnitentiam. Nam ſi levia peccata ipſorum eſſent, ad hæc quotidiana Oratio delenda ſufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, in Baptiſmate, in Oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.*

Secundus Sancti Auguſtini locus deſumptus eſt ex libro I. Homiliarum, Homilia 27. in qua triplicem rurſus diſtinguit Pœnitentiam: primam competentium, id eſt ad Baptiſmum venire ſitientium; alteram quotidianam, cujus fundamentum deducit ex illis Orationis Dominicæ verbis: *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Tertiam, graviorem & luctuoſiorem, ſeu publicam. Cum itaque nec Pœnitentia competentium, nec Pœnitentia quotidiana, quæ in Orationis Dominicæ recitatione poſita eſt, expungant peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa; ſequitur illa Pœnitentia tantum graviore, & luctuoſiore, id eſt publica, expiata fuiſſe, tempore Sancti Auguſtini, cujus tibi locum & verba repræſento. *Itaque*, ait, *admonemur jam de altera loqui Pœnitentia. Triplicem quippe ejus conſiderationem in ſancta Scriptura eſſe propoſui. Illa prima Competentium eſt, & ad Baptiſma venire ſitientium. Hanc de Scripturis ſanctis oſtendi. Eſt alia quippe quotidiana. Et ubi illam oſtendimus Pœnitentiam quotidianam? Non habeo ubi melius oſtendam, quam in Oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, & quid ad Patrem dicamus, oſtendit, & in his verbis poſuit: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris... Reſtat Pœnitentiæ tertium genus. Eſt Pœnitentia gravior, atque luctuoſior, in qua proprie vocantur in Eccleſia Pœnitentes, etiam remoti a Sacramento Altaris participandi, ne accipiendo indigne judicium ſibi manducent, & bibant. Illa vero Pœnitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt, adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod ſacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum; ſed omnipotens Medicus.*

Tertius locus depromptus eſt ex eodem libro, Homilia quinquageſima, ubi eodem modo Pœnitentiam dividit, & tertiam Pœnitentiæ actionem, quæ publica eſt, ait eſſe illius Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Sed omnia peccata mortalia Legis Decalogo prohibentur, & de omnibus dictum eſt: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Ergo actioni Pœnitentiæ publicæ omnia peccata mortalia tempore Sancti Auguſtini ſubdebantur. En Sancti Auguſtini verba, capit. 2. 3. & 4. illius Homiliæ. *Tres ſunt*, inquit, *actiones Pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recognoſcet. Sunt enim uſitatæ in Eccleſia Dei, & diligenter attendentibus notæ. Una eſt, quæ novum hominem parturit, donec per Baptiſmum ſalutare omnium*

nium præteritorum fiat ablutio peccatorum .... Altera vero Pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est .... Tertia actio est Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.

Respondeo, nego minorem primi & secundi Syllogismi; tertii vero majorem distinguo: Quicumque tribus tantum modis dimitti peccata asserit, censet ea, quæ duobus prioribus remediis non curantur, tertio tantum sanari posse: Si revera alium modum non admittat, quo peccata curari ac deleri possint, concedo: si aliud remedium ad remissionem peccatorum in Ecclesia agnoscat, nego. Porro Sanctus Augustinus, cum peccata tribus modis in Ecclesia dimitti scribit, in Baptismate scilicet, in Oratione, in humilitate majoris Pœnitentiæ; alium modum, seu aliud remedium non excludit, nec adhibet ibi particulam exclusivam tantum, aut æquivalentem. Quod si quæras, quisnam sit alius ille modus; Respondeo illum erui ex aliis Sancti Augustini locis, quæ huic ex libro de Symbolo ad Catechumenos lucem afferunt, præsertim vero ex libro de Fide & Operibus, c. 26. ubi ait, quædam esse peccata *ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint*. Et hæc sunt peccata canonica, quæ publicæ Pœnitentiæ addicebantur. Quædam non *ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis*; & hæc sunt peccata mortalia quidem, sed non ita gravia, quæ privata Pœnitentia curantur, Sacerdote secreto corripiente Peccatorem, qui apud ipsum peccata deponit, ac postea ipsum absolvente. Nam Sanctum Augustinum per correptionum medicamenta intellexisse Pœnitentiam Clavium, & de illa intellexisse hæc verba Christi, *Corripe eum inter te & ipsum solum*, constat ex istius loci serie. Addit enim tertium genus peccatorum, *sine quibus hæc vita non agitur*; & *quorum quotidianam medelam posuit Christus in Oratione quam docuit*. Hæc autem sunt venialia peccata, quibus remittendis necessariæ non sunt Ecclesiæ Claves. Priora itaque sunt mortalia, quamvis non ita gravia, ut excommunicatione feriantur. Porro illa correptionum medicamenta, quibus dicta peccata curari scribit Sanctus Augustinus, non sunt sola verba correctionis fraternæ, a quocumque illa correctio adhibeatur. Omnibus enim incumbit officium corripiendi fratrem, id est, Christianum peccantem; nec tamen omnibus data potestas est remittendi peccata. Igitur illa medicamenta correptionum intellexit S. Augustinus de correptione peccatoris facta a Sacerdote Sacramentum Pœnitentiæ administrante; illaque verba, *Corripe illum inter te & ipsum solum*, retulit ibi ad Pœnitentiam Clavium, propter verba Christi huic Præcepto immediate adjuncta Matth. 18. *Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Quod autem non omnia peccata mortalia, sed graviora dumtaxat in ordine mortalium publicæ Pœnitentiæ subjecta fuerint S. Augustini tempore, constat ex illis verbis: *Illi enim, quos videtis agere Pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt Pœnitentiam.*

Cur vero Pœnitentiam publicam ibi in exemplum adduxerit S. Augustinus, potius quam privatam, ratio in promptu est. Cum enim ad Catechumenos sermonem haberet, proferendi erant in exemplum remissionis peccatorum Ecclesiæ concreditæ, modi, quibus dimittuntur in Ecclesia peccata, Catechumenis notiores. Hi autem erant Baptismus, quem mox erant suscepturi, & de cujus virtute ad omnia peccata abstergenda erudiebantur; Oratio Dominica, quam edocebantur, & cujus recitationi assuescebant; & Pœnitentia publica, cujus lugubris apparatus quotidie versabatur ipsis ob oculos: siquidem Pœnitentes cum ipsis audiebant Verbum Dei, & cum illis ex Ecclesia dimittebantur, ne Sacrificio interessent. Privatam autem Pœnitentiam non ita noverant. Unde S. Augustinus illius non meminit eo loci.

Ad secundum S. Augustini locum respondeo, illum in Homilia 27. laudata significare tertiam speciem Pœnitentiæ, quam graviorem & luctuosiorem vocat, impositam non fuisse quibusvis peccatis mortalibus, sed gravioribus tantum in mortalium ordine,

puta idololatriæ, homicidio, adulterio, ſacrilegio, aut aliis hujuſmodi. Perſpicua ſunt ejus verba, nec alium ſenſum præ ſe ferunt. „ Illa vero Pœnitentia luctuoſa eſt, *in-* „ *quit*, grave vulnus eſt: adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte „ aliquod ſacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipo- „ tens Medicus. „ Quin etiam ibidem ſignificat hujuſmodi Pœnitentiam imponi tantum gravioribus illis peccatis, poſtquam fuerint opere conſummata, non autem cum interna tantum delectatione & conſenſione commiſſa fuerint, nec eruperint exterius, aut executioni fuerint mandata. Statim enim poſt verba laudata ſubjungit: „ Jam „ poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, conſenſionem, & perpetrationem, quaſi „ quatriduanus mortuus putet; ſed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamavit: Laza- „ re, prodi foras. Ceſſit voci miſericordiæ moles ſepulturæ; ceſſit mors vitæ, ceſſit „ infernus ſuperno. Elevatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo, & ligatus erat, ſicut „ ſunt homines in confeſſione peccati agentes Pœnitentiam. Jam proceſſerunt a mor- „ te, nam non confiterentur niſi procederent. Ipſum confiteri ab occulto & a tene- „ broſo procedere eſt. Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ? Quæ ſolveritis, *inquit*, in „ terra, ſoluta erunt & in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus „ miſericordiæ ſuæ bonum, perducere ad Confeſſionem mortuum latentem, putentem, „ jam cætera implet Eccleſiæ myſteria. Solvite illum & ſinite abire. " Denique his verbis privatam etiam Pœnitentiam innuit, in qua peccatores procedunt a morte, confitendo peccata, & vitam gratiæ recipiunt.

Ad tertium locum S. Auguſtini reſpondeo, hæc ipſius verba, *Tertia eſt actio Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ Legis Decalogus continet*, &c. non ſignificare Pœnitentiam publicam, ſed Pœnitentiam Clavium, quæ privata vel publica eſt. Agit namque contra quoſdam, qui Pœnitentiam detrectabant, & propter ſolam Chriſti fidem ſe ſalvos fore confidebant, abſque clavibus Eccleſiæ, licet mortaliter peccaſſent. Hos ad amplectendam Pœnitentiam S. Auguſtinus adhortatur, quia peccatorum mortalium rei Regnum Dei non conſequentur. Porro ſignificat S. Auguſtinus, Sacramentorum Præpoſitos, in ſatisfactione imponenda, gravitatis criminum rationem habuiſſe, & quoſdam peccatores addixiſſe publicæ Pœnitentiæ, quorum nempe crimina in grave aliorum ſcandalum vergebant; & quando publicam hujuſmodi Pœnitentiam utilitati Eccleſiæ conducere, & in exemplum fidelium cedere judicabant Antiſtites. Sequitur ergo, quod ſi hæ rationes abeſſent, peccata quævis mortalia Pœnitentia publica non caſtigabantur. Et certe ſi lege lata, vel conſuetudine Eccleſiaſtica, univerſa peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ ſubdita fuiſſent, ex Antiſtitum nutu, arbitrio, prudentia, non pependiſſet quædam luctuoſæ illi Pœnitentiæ ſubjicere, cætera ſine illa per Eccleſiæ Claves remittere. Sed audire præſtat S. Auguſtini verba. „ Implicatus ergo quis, *inquit*, tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectet, aut „ differt, aut dubitat confugere ad ipſas Claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, „ ut ſit ſolutus in cœlo: & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantum Chriſtianus di- „ citur, ſalutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominicæ vocis tonitruum „ contremiſcit: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœ- „ lorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in re- „ gnum cœlorum. Quid ad Galatas dicit Apoſtolus? Nonne talia enumerans eodem fine „ concludit? Manifeſta ſunt, *inquit*, opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immundi- „ tiæ, luxuriæ, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, „ animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimi- „ lia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non „ poſſidebunt. Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores „ convertat in melius; ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domi- „ no judicetur. Et cum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medici- „ næ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia Claves miniſtrantur, „ & tamquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſto- „ dito, a Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum; ut in offeren- „ do ſacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolum

„ illi

„ illi profit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Ut ſi pecca-
„ tum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum,
„ atque expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti; in notitia multorum, vel etiam
„ totius plebis, agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortife-
„ ræ plagæ, per puorem, addat tumorem.“

Ex his S. Auguſtini verbis, *In notitia multorum, vel etiam totius plebis*, colligitur duplex fuiſſe in Eccleſia Africana publicæ Pœnitentiæ genus. Alteram partim privatam, partim publicam, alteram omnino publicam. Prima in conſpectu ſelectorum hominum agebatur, qui illius teſtes erant, & de ea referebant ad Antiſtites: ſecunda in conſpectu totius Eccleſiæ. In prima non erant tot gradus percurrendi, nec tanta ſolemnitas: in ſecunda percurrebantur ſtatuti gradus, & ritu ſolemni agebantur. Primam qui egerant, privatim reconciliabantur ab Epiſcopo, vel a Sacerdote, de mandato Epiſcopi; vel certe in conſpectu illorum qui Pœnitentiæ teſtes fuerant: ſecunda qui fuerant functi, publice reconciliabantur in Eccleſia ante Abſidem, illiſque, toto Fidelium ſpectante cœtu, manus ritu ſolemni imponebantur. Prior Pœnitentia gravioribus peccatis e numero mortalium infligebatur, quamvis occulta eſſent. Secunda publicis tantum, & quæ univerſa Eccleſia noverat. Eam Diſciplinam in Eccleſia Africana viguiſſe, non ſolum prolata S. Auguſtini verba inſinuant, ſed etiam Concilium Carthaginenſe Tertium, anno Chriſti 397. celebratum, cui S. Auguſtinus aderat, Canone 41. quo ſtatutum eſt, „ Ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet Pœniten-
„ tem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem Pœnitentis
„ publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante Abſi-
„ dem ei manus imponatur.“

Denique S. Auguſtinum de Pœnitentia Clavium loqui, cum ait illam agendam eſſe pro illis peccatis quæ legis Decalogus continet, & quorum rei Dei regnum non poſſidebunt, non vero de Pœnitentia publica tantum, conſtat rurſus ex fine Homiliæ, in qua hæc habet: „ Sed fac incertum eſſe utrum ignoſcat Deus. „ Quid perdit, cum
„ ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis
„ enim certus eſt, quod etiam Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, ma-
„ ria tranſmeantur, procellarum incerta ſubeuntur: & pene ut mors evitetur, mors
„ ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini; ſine dubitatione fiunt iſta,
„ cum ſit dubium quo fine proveniant: & tamen certiores ſunt Eccleſiæ Claves, quam
„ corda Regum; quibus Clavibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cœlo ſolutum
„ promittitur. Et multo eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ
„ Dei; & labor minor imponitur; & nullo temporalis mortis periculo mors æterna
„ vitatur.

XVII. Contra. Sanctus Auguſtinus omnia peccata quæ Legis Decalogus continet, & de quibus ab Apoſtolo dictum eſt, *Qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt*, illi Pœnitentiæ ſubjecit, in qua homo per Eccleſiaſticam Diſciplinam ab Euchariſtia ſeparabatur: *Per Eccleſiaſticam Diſciplinam*, inquit, *a Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur*. Sed Pœnitentia in qua homo ab Euchariſtia ſeparabatur erat publica: omnia igitur peccata quæ Legis Decalogus continet, quorumque rei Dei regnum non poſſidebunt, ſubjiciebantur Pœnitentiæ publicæ.

Reſpondeo, diſtinguo minorem. Pœnitentia in qua homo ſeparabatur ab Euchariſtia, ſecundum præſcripta Canonum, & per Antiſtitum ſententiam, concedo: in qua ſeparabatur ab Euchariſtia ſponte, & humiliter parendo præcepto, vel conſilio Sacerdotis, apud quem peccata depoſuerat, nego. Namque hæc viguit, & viget etiamnum in Eccleſia Diſciplina, cujus periti probique Confeſſarii obſervantiſſimi ſunt, ut qui peccatis mortalibus inquinati ſunt & in ea frequentius relabuntur, a Communione Dominici Corporis aliquantiſper arceantur, donec dignos Pœnitentiæ fructus oſtenderint, & ſalubri ſatisfactione fuerint purgati. Nec tamen illis imponitur Pœnitentia publica. Hunc eſſe Sancti Auguſtini ſenſum conſtabit locum integrum legentibus & expendentibus. *In hac ergo Pœnitentia*, inquit, *majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut a ſeipſo judicatus „ non judicetur a Domino ... Aſcendat itaque homo adverſum ſe tri-*

bunal mentis ſuæ . . . Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui ſeparari a regno cælorum timet per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam Diſciplinam a Sacramento cœleſtis Panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicii; ut cum alii accedunt ad Altare Dei, quo ipſe non accedit, cogitet quam ſit contremiſcenda illa pœna qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.

XVIII. Contra. Omne peccatum excommunicatione dignum, Pœnitentiæ publicæ olim ſubjiciebatur: ſed omne peccatum mortale a Sanctis Patribus judicatum eſt excommunicatione dignum. Omne igitur peccatum mortale publicæ Pœnitentiæ ſubjiciebatur antiquitus.

Probatur minor ex S. Auguſtino Epiſtola 108. ad Seleucianam data, ubi triplicem diſtinguit Pœnitentiam: prima eſt *quam agunt homines ante Baptiſmum de ſuis prioribus peccatis*. Secunda, quæ agitur de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis. Tertia Juſtorum, de qua ſcribit: *Eſt etiam Pœnitentia bonorum & humilium Fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in Baptiſmo; ſed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt*. De ſecunda vero ſic loquitur: *Agunt etiam homines Pœnitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur: Sicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie Pœnitentes appellantur*. Ergo quicumque poſt Baptiſmum mortaliter peccaverant, excommunicatione plectebantur, & addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Reſpondeo nego minorem. Ad auctoritatem vero S. Auguſtini reſpondeo, ipſum eo loci unam tantum ſpeciem Pœnitentiæ, quæ poſt Baptiſmum agitur, recenſere, ſcilicet Pœnitentiam publicam, cui adjuncta erat excommunicatio; aliam vero, ſcilicet privatam, quam agunt illi, qui tam horrenda peccata non commiſerunt, ut excommunicatione plectantur, premere ſilentio. Quod illa in Epiſtola conſulto fecit, quia contra Novatianum hominem agebat, de quo ad ipſum ſcripſerat Seleuciana, qui negabat poſt Baptiſmum dari Pœnitentiæ locum, & Apoſtolos dediſſe Pœnitentiam pro Baptiſmo aſſerebat, ita ut ante Baptiſmum eam dederint, atque ii quibus data ſit, poſtea non fuerint baptizati, quia eis illa pro Baptiſmo fuit. Illius hominis errorem ubi retulit S. Auguſtinus, ait, dubitare ſe, utrum Novatianus ſit, an ex aliqua alia ſecta: quia neſcit, utrum Novatiani eum errorem propugnaverint, & id nuſquam de illis audivit. Addit deinde, illam aſſertionem, *Cujuſcumque ſit, a regula Fidei Catholicæ, & a doctrina Chriſti, & Apoſtolorum prorſus alienam eſſe*; quia non ſolum ante Baptiſmum, verumetiam poſt Baptiſmum, agitur Pœnitentia in Eccleſia, prout eam agendam Apoſtoli prædicarunt & conſtituerunt. Pœnitentiam quæ agitur ante Baptiſmum, nec tamen illius neceſſitatem impedit, aut vim & efficaciam ſupplet, colligit ex Concione S. Petri ad Judæos Actuum 2. dicentis: *Agite Pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti, & dimittentur vobis peccata veſtra*. Pœnitentiam quæ agitur de peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, probat ex omnium Eccleſiarum diſciplina, in quibus graviorum peccatorum rei, Pœnitentiam publice agebant: & ſolum publicæ Pœnitentiæ exemplum profert, quæ & notior erat hæreticis, & ejus exemplum ad frangendam Novatiani hominis pervicaciam accommodatius. Novatiani enim omnium quidem peccatorum mortalium, ſed maxime graviorum veniam ab Eccleſia concedi non poſſe contendebant, & irremiſſibilia eſſe crimina poſt Baptiſmum commiſſa. Retundebatur autem ille error argumento petito ex diſciplina in Eccleſiis omnibus obſervata, in quibus, qui poſt Baptiſmum tam graviter peccaverant, ut excommunicari mererentur, ſubjiciebantur Pœnitentiæ publicæ, & ea perfuncti, Deo & Eccleſiæ reconciliabantur ab Antiſtitibus.

Cæterum quædam peccata mortalia S. Auguſtinum agnoviſſe, quibus non infligeretur ab Eccleſia excommunicatio, conſtat ex libro de Fide & Operibus, capite penultimo,

timo, ubi ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis*, &c. *Item nisi essent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui proprie Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripe eum inter te*, &c. Ex quibus verbis constat, esse quædam peccata mortalia non ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint.

Idem constat ex Enchiridii cap. 65. ubi hæc habet: *Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Dei Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus Pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem Pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit, cum fit coram illo cui dicitur: Gemitus meus a te non est absconditus: recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* Ex quibus verbis colligitur, esse aliqua peccata mortalia, quæ nomine criminum significantur, propter quæ a Christi Corpore non separantur Fideles, alia propter quæ separantur: quia peccatoribus imponitur Pœnitentia secundum modum sui cujusque peccati, aliis publica, aliis vero privata.

XIX. Contra. Pro quolibet crimine imponebatur antiquitus Pœnitentia publica (ut colligitur ex S. Eligio Homilia 5. & ex Sancto Cæsario Arelatensi, Homilia 8.) Atqui omne peccatum mortale, crimen est: omni igitur peccato mortali imponebatur olim publica Pœnitentia.

Probatur minor ex S. Augustino, in Enchiridio, cap. 64. dicente: *Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: Peccatum autem si dixerimus quoniam non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Resp. distinguo majorem. Pro quolibet crimine gravissimo, & canonico, concedo; pro quolibet crimine absolute, nego, Distinguo etiam minorem. Omne peccatum mortale crimen est, si cum veniali peccato conferatur, concedo; si comparetur cum gravioribus peccatis, quæ infamiam pariunt peccanti, scandalum Ecclesiæ, detrimentum proximo, quorum rei a sacris Ordinibus arcentur, propter quæ coram Ecclesiæ Tribunali accusari peccator potest, nego. Illa enim dumtaxat peccata, quibus hi characteres conveniunt, absolute crimina a Patribus appellantur. Sic a S. Augustino Tractatu 41. in Joannem, crimen definitur, *Peccatum grave accusatione & damnatione dignissimum*. Hinc advertit ibidem, Apostolum Paulum, *Quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus ad præposituram Ecclesiæ, non dixisse, Si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur*: Sed dixisse; *Si quis sine crimine est!, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.*

Sic Paulus Orosius in Apologia, manifeste distinguit inter peccatum & crimen, & ait, *Peccatum cogitatione concipi; crimen nonnisi actu ostendi*. At certum est multa peccata cogitationis esse mortalia, quamvis actu numquam ostendantur. Itaque omne peccatum mortale, secundum Orosium, non est crimen.

Denique S. Thomas ea notione criminis nomen a S. Paulo usurpatum testatur in Epistola ad Titum Cap. 1. cum Presbyterorum dotes describens, ait: *Si quis sine crimine est. Dicendum est* (inquit Angelicus Doctor Lectione 2. Commentarii in illam Epistolam) *quod aliud est crimen, & aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum & infame, Ps. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Et postea subdit: Qui ingreditur sine macula, &c. Non quod qui mortaliter peccat post Baptismum non possit eligi; sed quod eligendus non sit infamis.* Et Lectione 1. in Cap. 3. Epistolæ 1. ad Timotheum explicans illa verba, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse: Nec est dicendum*, in-

quit, *ſicut aliqui dixerunt, quod, quicumque peccavit mortaliter poſt Baptiſmum, non eſt idoneus; quia pauci eſſent tales, ſed irreprehenſibilis, id eſt, non ſubjectus alicui peccato, unde ab aliis reprehendi poſſit: quia indecens eſt, ſi reprehenſibilis ſit reprehenſor.*

XX. Objectio tertia nititur auctoritate Sancti Eligii Noviomenſis Epiſcopi, Homilia 8. ubi diſtinguit peccata in duas tantum claſſes: in prima collocat venialia, quæ *Minuta* appellat; in altera mortalia, quæ *Capitalia* nuncupat *crimina*. Docet autem hæc pœnitentiæ publicæ obnoxia fuiſſe. Et Homilia 13. alloquens Pœnitentes, duplex tantum genus peccatorum recenſet: altera appellat *Graviora facinora*, propter quæ Pœnitentiæ publicæ addicti ſunt. Altera nuncupat, *Quotidiana minorum peccatorum vulnera*, quæ eleemoſynarum, & orationum remediis curantur. Atqui capitalium criminum, & graviorum facinorum nomine omnia mortalia complexus eſt Sanctus Eligius, cum illa venialibus oppoſuerit: omnia igitur peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur.

S. Eligius omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ ſubdita fuiſſe non probat, ſed graviora quædam crimina.

Reſpondeo, nego minorem. Nam Sanctus Eligius horrenda quædam, & fœtida crimina his nominibus deſignavit, cum de publicis Pœnitentibus ageret: nec venialium peccatorum meminit; quaſi venialia eſſent quæcumque publica non caſtigabantur Pœnitentia, ſed ut oſtenderet Pœnitentes ſemel reconciliatos ſolis minorum peccatorum vulneribus obnoxios eſſe debere, nec in mortale uſquam labi peccatum; quod nemo Chriſtianus vitare non tenetur. *Videte ergo*, inquit, *ut gravia facinora, quæ fallente Diabolo commiſiſtis, cum gemitibus & ſuſpiriis, quamdiu vixeritis, lugeatis: & quomodo non deerunt vobis quotidiana peccatorum minorum vulnera; ſic numquam deſint eleemoſynarum, & orationum remedia. Diem mortis ſemper præ oculis habete: & qui uſque hodie in publica Pœnitentia cilicio induti fuiſtis, induite deinceps ſobrietatem, abſtinentiam, temperantiam.*

Cæterum Sanctum Eligium agnoviſſe Pœnitentiam privatam pro peccatis mortalibus, quæ ita gravia & horrenda non eſſent, conſtat ex Homilia 13. ubi poſtquam publicos Pœnitentes allocutus eſt, ad cæterorum Fidelium cœtum orationem ita convertit: „ Vos „ etiam, fratres, poſt exhortationem quam habuimus ad Pœnitentes, mecum admo„ neo, ut unuſquiſque noſtrum recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta, & interroget ſe„ metipſum qualiter per totum annum, maxime his ſacris diebus converſatus eſt. Et „ ſi invenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat auxiliante Deo, quan„ tocyus evellere, & evellendo eradicare: hiſque eradicatis, fodiat vomere ſalutari, „ ac ſtercora, id eſt, bona opera immittat, ut poſſit facere fructum: &, ſi vel ho„ die puriter confeſſus, ac devote converſus fuerit, ut valeat dignus intereſſe Solemni„ tati præſentis diei, quæ quia Dominus in ea cum Apoſtolis ſuis cœnavit, Cœna „ vocatur. Videat ſummopere ut Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini digne reci„ pere queat, quatenus potius ſalutem, quam damnationem ſibi acquirat. Lavet prius „ lacrymis pedes cordis, & poſtea pedes pauperis, quia peccatorum vita jam indigna „ eſſe non poteſt, quæ fletibus lavatur.

Et Homilia 7. poſtquam præmiſit, „ aliud eſſe mutare vitam, aliud tolerare vi„ tam, *quod* mutare vitam, eſt a capitalibus criminibus abſtinere; tolerare, eſt, mi„ nuta peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, eleemoſyna quotidiana redimere: *ſic* „ *Fideles omnes alloquitur*: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, „ ne ab æterno, (quod abſit) nec ab illo igne tranſitorio exuramur; de quo igne „ judicii Dei Apoſtolus ait, Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit . . . Illum „ ergo diem (*extremi judicii*) tota intentione cogitemus, vitam corrigamus, mores „ mutemus, mala tentantia reſiſtendo vincamus, perpetrata autem fletibus puniamus, „ &c.“ Supponit itaque Sanctus Eligius inter Fideles quoſdam fuiſſe carne & ſpiritu inquinatos, & capitalia etiam crimina perpetraſſe, propter quæ non tranſitorio dumtaxat igne Purgatorii, ſed æterno inferni exuri mererentur, qui tamen ad Pœnitentiam publicam detruſi non erant, ſed fletibus, & mutatione vitæ, & bonis operibus illa peccata poterant expiare; pœnitentiam privatim agentes, & peccata illa Confeſſione Sacramentali eluentes (ut ipſe uberius exponit Homilia 11.)

Poſt hæc, ad publice Pœnitentes orationem convertit ſuam Sanctus Eligius, eoſque

his

his verbis alloquitur: *Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos Mater Eccleſia, quaſi non ſuos recognoſcens, ob fœditatem ſcelerum veſtrorum dudum a ſe repulit, &c.* Quibus verbis non omnia peccata mortalia, ſed fœtida quædamſcelera, ſeu graviora dumtaxat in ordine mortalium, publicæ Pœnitentiæ addicta fuiſſe, evidenter innuit.

XXI. Objectio quarta nititur auctoritate Sancti Cæſarii Arelatenſis Homilia 1. ubi omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa publicæ Pœnitentiæ addicta fuiſſe diſerte teſtatur. „ Si levia ſunt fortaſſe delicta, *inquit*, verbi gratia, ſi homo vel in „ ſermone, vel in aliqua reprehenſibili voluntate, ſi oculo peccavit, aut corde, ver- „ borum, & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & privata compun- „ ctione terendæ ſunt. Si vero quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod „ capitale commiſit: aut ſi fidem ſuam falſo teſtimonio expugnavit ac prodidit, aut „ ſacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit; ſi veram Baptiſmi tunicam, & „ ſpecioſam virginitatis holoſericam cœno commaculati pudoris infecit: ſi in ſemetipſo „ novum hominem nece hominis occidit; ſi per augures, & divinos, atque incanta- „ tores, captivum ſe diabolo tradidit: hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus com- „ muni & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione non poſſunt.

S. Cæſarii Arelatenſi ſententia & illius ætatis Diſciplina Pœnitentialis exponitur.

Et Homilia octava, quæ Sancto etiam Auguſtino inſcribitur, & extat inter Sermones ejus de Sanctis 41. poſtquam diſtinxit peccata in capitalia, & minuta, id eſt, in venialia & mortalia, recenſuitque varias amborum ſpecies, ac denique propoſuit opera quibus peccata venialia expiantur, & redimuntur, de mortalium expiatione hæc ſubjungit: „ Pro capitalibus vero criminibus non hoc ſolum ſufficit, ſed addendæ ſunt „ lacrymæ, & rugitus & gemitus; continuata & longo tempore procraſtinata jeju- „ nia, largiores eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ, ul- „ tro nos ipſos a communione Eccleſiæ removentes, in luctu & triſtitia multo tempo- „ re permanentes, & Pœnitentiam etiam publice agentes. Pœnitentia igitur publica pro quibuſvis peccatis mortalibus infligebatur tempore Sancti Cæſarii Arelatenſis, id eſt, quinto Sæculo cadente, & ſexto ineunte.

Reſpondeo, Sanctum Cæſarium Arelatenſem in priori loco, nomine levium delictorum non intelligere ſola venialia; adeoque nec facinorum capitalium nomine deſignare omnia mortalia peccata. Nam in exemplum levium delictorum affert omnia peccata, quæ, *Sermone, aut aliqua reprehenſibili voluntate, quæ oculo, aut corde* committuntur. Conſtat autem plurima ex illis eſſe mortalia. Unde non dicuntur *levia delicta*, niſi quatenus cum iis, quæ in ordine mortalium graviora ſunt, ac ideo *Capitalia* dicuntur *facinora*, conferuntur, qualia ſunt homicidium, mœchia, perjurium, falſum teſtimonium, &c. Cum igitur verborum, & cogitationum maculæ quotidiana oratione terantur, ſi veniales ſint; & privata inſuper compunctione, id eſt, pœnitentia privatim acta, per Eccleſiæ claves dimittantur, ſi ſint lethales; ſequitur omnia peccata mortalia, ejus ætate, non fuiſſe obnoxia Pœnitentiæ publicæ, ſed ab ejus legibus excepta ſaltem fuiſſe peccata, quæ ſola cogitatione, voluntate, aſpectu, vel ſermone committerentur; ſi ſermone tamen illo non læderetur immediate divinus honos, vel grave detrimentum proximo inferretur, ut in blaſphemia, perjurio, & falſo teſtimonio.

Præterea, illa ſolum peccata ſubdita fuiſſe Pœnitentiæ publicæ, quæ publicam in lucem facile erumpere, & gravem offenſionem Fidelibus creare poterant, cujuſmodi ſolum erant peccata externa, & quorum infamia comes eſt, conſtat ex his S. Cæſarii verbis eodem in loco: *Hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione non poſſunt: ſed graves cauſæ graviores & acriores publicas cauſas requirunt: ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.*

Ad ſecundum locum reſpondeo, Sanctum Cæſarium vel loqui de Pœnitentia publica ſponte ſuſcepta, ad quam agendam omnes peccati mortalis reos, eſto, adhortetur; non vero de Pœnitentia publica ex Eccleſiæ lege, & diſciplina impoſita, ut innuere verba illa videntur: *Ultro nos ipſos a communione Eccleſiæ removentes*. Vel, Pœnitentiam publicam ſubeundam velle Sanctum Cæſarium pro peccatis in genere mortalium

gravioribus, prout mox explicuimus. Quod patet ex ratione, qua Pœnitentiam pro illis criminibus publice agendam persuadet: *Et Pœnitentiam*, inquit, *etiam publice agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.*

XXII. Contra. Sanctus Cæsarius Arelatensis Homilia 8. Capitalia peccata enumerans, quæ subinde Pœnitentia publica expianda esse censet, inter illa collocat *superbiam, invidiam, avaritiam, iracundiam, si longo tempore teneatur, ebrietatem si assidua sit, & detractionem.* Non igitur sola graviora, sed mortalia quælibet subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ tempore S. Cæsarii.

Respondeo distinguo antecedens: Illa enumerat inter peccata capitalia, ut ostendat illa igne Purgatorio expiari non posse, sed æterna flamma in inferno puniri, concedo; ut ostendat illa Pœnitentiæ publicæ subjici, nego. Itaque Sanctus Cæsarius ibi contra quosdam agit, qui falso sibi persuadebant crimina mortalia igne Purgatorio purgari posse, & ostendit erroneam esse illorum opinionem, & lethalium criminum reos igne illo transitorio purgandos non fore, nisi diuturna pœnitentia crimina expiaverint. Sed ne leviter quidem publicam ibi Pœnitentiam innuit. En ejus verba: *Multi sunt qui lectionem istam* (Apostoli nimirum 1. Cor. 3. dicentis) „ Si quis superædificat super „ fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, &c. male intelligentes, fal„ sa securitate decipiuntur, dum credunt, quod cum supra fundamentum Christi cri„ mina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possunt purgari, & ipsi „ postea ad vitam pervenire. Intellectus iste, Fratres charissimi, corrigendus est, quia „ ipsi se feducunt, qui sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit A„ postolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia sed mi„ nuta peccata purgantur . . . Et quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit; „ nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicemus quæ illa sint: sa„ crilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, super„ bia, invidia, avaritia, & si longo tempore teneatur, iracundia; ebrietas, si assidua „ sit, & detractio, in eorum numero computantur. Quicumque enim aliqua de illis „ peccatis in se dominari cognoverit, nisi digne (si habuerit spatium) longo tempo„ re Pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & a peccatis ipsis absti„ nuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit, sed æter„ na illa flamma sine ullo remedio cruciabitur.

Præterea, dato quod omnia illa peccata publicæ Pœnitentiæ subjecisset S. Cæsarius, non sequeretur quod omnia mortalia illi Pœnitentiæ addixisset. Nam ebrietas, quamvis assidua non sit, mortale peccatum est; quæ tamen a Pœnitentiæ publicæ legibus immunis erat (teste Cæsario.)

XXIII. Objectio quinta nititur auctoritate S. Fulberti Carnotensis Episcopi Sermone 2. ad populum, dicente: *Cecidimus per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia, superbia, invidia, & avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Sed crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, Pœnitentiæ publicæ obnoxia sunt: ergo tempore S. Fulberti, etiam peccata interiora, scilicet superbia, & invidia Pœnitentiæ publicæ addicebantur.

Respondeo, S. Fulbertum his verbis non innuere, quod propter omnia illa, quæ recenset, peccata, segregarentur ab Ecclesia peccatores, sed quod Christiani ad quos loquebatur, in varia peccata incidissent, quorum quædam ita gravia erant, ut propter illa peccatores ab Ecclesia separarentur, ut homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia.

Respondeo secundo, omnia peccata enumerata a Fulberto Carnotensi, & quævis alia crimina mortalia, homines ab Ecclesia separare, interna separatione, sed non externa. In Ecclesia namque Christi spiritu non sunt, quotquot Christo capiti Ecclesiæ per charitatem non conjunguntur: *Nec ita sunt in Domo Dei, ut etiam sint ipsi eadem domus Dei, sed ita sunt in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ.* Uno verbo mali intra Ecclesiam *carnaliter & animaliter*

ter vivunt ; ſed ſpiritaliter ſeparati ſunt , (ut ait S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 41.) Sic itaque Fulbertus propter omnia illa peccata ſeparari ab Eccleſia peccatores dixit. Unde non eſt conſequens , ut illa publicæ Pœnitentiæ cenſuerit addicenda . Quin immo ex eodem loco colligitur plurima ex illis privata Pœnitentia dumtaxat expiari ſolita fuiſſe tunc temporis: quæ ut peccatoribus pro modo criminum imponatur, ipſos remittit ad Sacerdotes. *Quapropter*, inquit, *neceſſarium eſt imprimis crimini finem dare: deinde vero commiſſa delere per Pœnitentiam, per eleemoſynam, per orationem. Modum Pœnitentiæ vobis conſtituent Sacerdotes, &c.*

Denique Fulbertus Carnotenſis in Breviculo duplici Pœnitentiarum , (quod poſt illius Epiſtolas & Sermones extat Tom. 3. Bibliothecæ Patrum Editionis Margarini Bignæi) non imponit publicam pœnitentiam niſi homicidio & mutilationi membrorum , variis mœchiæ ſpeciebus, divinorum conſultationi, ſacrilegio , perjurio , & juramento contra pacem. Adverſus odii pertinacis reos excommunicationem quidem decernit, ſed publicam non infligit illis Pœnitentiam. Mulieres vero ob hæc præterea crimina mulctari ſtatuit Pœnitentia publica, ſcilicet ob initum cum duobus fratribus matrimonium ; ob interemptum, vel excuſſum fœtum, ob filios inter dormiendum oppreſſos, vel caſu ex matris negligentia mortuos , vel ſi, per ejus incuriam , ſine Baptiſmo deceſſerint. Nullum certe in his Breviculis de ſuperbia, invidia, avaritia, iracundia, ebrietate, publica Pœnitentia caſtigandis, aut puniendis anathemate, veſtigium.

Adde quod tempore Sancti Fulberti mos Pœnitentiæ publicæ pro criminibus occultis imponendæ jam exoleverat. Immo ab anno ſeptingenteſimo , jam antiquari Diſciplina illa cœpta eſt, ut ſequenti Diſſertatione oſtendemus . Obiit autem S. Fulbertus anno MXXVIII.

XXIV. Objectio ſexta petitur ex Gennadio libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus, cap. 53. ubi peccata quævis mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, publica Pœnitentia eluenda eſſe ſcribit. „ Quamvis quis peccato mordeatur , *inquit* , peccandi non habeat de „ cætero voluntatem , & communicaturus ſatisfaciat lachrymis , & orationibus , & „ confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ Confeſſioni donare conſuevit, ac„ cedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus . Sed hoc de illo dico , quem capitalia „ & mortalia peccata non gravant . Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum „ commiſſa premunt , hortor prius publica Pœnitentia ſatisfacere , & ita Sacerdotis „ judicio reconciliatum, Communioni ſociari: ſi vult non ad judicium, & condemna„ tionem ſui Euchariſtiam percipere .

Reſpondeo, Gennadium conſulere Pœnitentiam publicam pro mortalibus peccatis, ut quid conveniens; non imponere ut quid neceſſarium: *Hortor prius*, inquit, *publica Pœnitentia ſatisfacere*. Sed non negat quin ſecreta etiam ſatisfactione , & privata Pœnitentia expiari poſſint, & ſuo tempore frequentius fuerint expiata . *Sed & ſecreta* , inquit, *ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus ; ſed mutato prius ſæculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, immo perpetuo luctu miſerante Deo, ita dumtaxat ut contraria pro iis quæ pœnitent, agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex ſubmiſſus, ad mortem uſque, percipiat.*

SCHOLION.

Ex iſta Diſſertatione Num. 9. ſeu pag. 277. primæ Editionis , Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem in Indiculo ſuo notant: *Cum multitudine non eſt ſeveritas exercenda.*

R. De comeſſationibus & ebrietatibus per Africam in Cœmeteriis & Memoriis Martyrum ſpecie Religionis frequentari ſolitis , & de prava illa conſuetudine abolenda ſcribebat *S. Auguſtinus* ad *Aurelium* Carthaginenſem Epiſcopum : *Non aſpere , non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis docendo, quam jubendo; magis jubendo, quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine: Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum.* Hunc S. Auguſtini locum tantum retuli , de meo nihil addidi. An Regula Diſciplinæ a S. Auguſtino tradita Religioſis Cenſoribus damnatione digna videtur?

QUÆ-

etiam occulta deponebantur, ſi illa confeſſi eſſent, vel de iis per accuſatores, ſive delatores victi; & recludebantur in Monaſteriis, vel in locis privatis ad agendam Pœnitentiam: igitur, propter occulta etiam peccata laici addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor duobus exemplis celeberrimis. Primum eſt Potamii Bracarenſis Epiſcopi, qui cum data Epiſtola ad Patres in Concilio Toletano X. congregatos, anno Chriſti 656. ſe occultiſſimæ fornicationis reum confeſſus eſſet; propter quam jam novem menſium ſpatio a muniis Epiſcopalibus abſtinuerat, & Pœnitentiæ cauſa in quodam ſe recluſerat ergaſtulo; Epiſcopatu abdicatus eſt a Patribus, ſervato illi ſolo nomine honoris, & perpetuæ Pœnitentiæ officiis ærumniſque addictus. In ejus vero Sedem ſuffectus eſt, in ipſo Concilio, Fructuoſus Dumienſis Eccleſiæ Epiſcopus. Iſta conſtant ex Decreto Concilii Toletani X. pro Potamio Epiſcopo.

Alterum exemplum eſt Genebaldi Laudunenſis Epiſcopi, quod 30. circiter annis ante iſtud Concilium Toletanum contigit. Refert illud Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in Vita S. Remigii Remenſis etiam Archiepiſcopi. Res ita ſe habet. Genebaldus vir nobilis, pius & eruditus, S. Remigii neptem in matrimonium duxerat: poſtea, relicta conjuge, Vitam Monaſticam profeſſus eſt: inde Laudunenſium Epiſcopus a S. Remigio creatus. Antiſtitem uxor frequentius inviſere cœpit. Suſcitati ſunt ex mutuo colloquio & cohabitatione priſtini amores. Gravida mulier filium ſuſcepit. Id cum denuntiari Genebaldo curaſſet, confuſus & dolens nuntio dixit: *Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi abſconſo generatus eſt, recte vocabitur Latro: ſic ei nomen imponat*. Addit Hincmarus: *Et quia culpa hominibus non innotuit, ne ſuſpicio inde procederet, ſi ſe a ſolita viſitatione femina illa ſubtraheret, cœpit ut antea domum frequentare Epiſcopi. Unde factum eſt, ut iterum laberentur, & ex eorum commixtione filia naſceretur, cui Vulpeculæ nomen inditum*. Tandem Genebaldus ſerio ad Deum converſus, advocato S. Remigio, ſtolam de collo ſuo tollere, & ad pedes ejus procidere volens, niſi Sanctiſſimus Antiſtes prohibuiſſet; maximis cum fletibus peccatum confeſſus, Pœnitentiam ab illo ſuſcepit pene publicam: Nam, ut refert Hincmarus, *Facta manſiuncula, cum lecto, in modum ſepulcri, & parviſſimis feneſtellis, ac Oratorio, Genebaldum in ea recluſit*. Curam interim gerebat Laudunenſis Eccleſiæ S. Remigius, non ſecus ac Remenſis, & toto ſeptennio unam Dominicam Remis, alteram Lauduni celebrabat, in illiſque Eccleſiis Epiſcopalia munia alternis obibat. Septimo tandem anno, in vigilia Cœnæ Domini, Genebaldo in Oratione pernoctanti Angelus apparuit, eique dixit: *Suſcepit Dominus Pœnitentiam tuam, & dimiſſum eſt peccatum tuum; ſurge, & hinc egredere, facque Miniſterii Epiſcopalis officium, & reconcilia Domino Pœnitentes*. Ipſe autem Angelo reſpondit, ſe egredi non poſſe, quia domunculæ clavim Sanctus Remigius abſtulerat, oſtiumque ſigillo ſuo ſignaverat. Cui reſpondit Angelus: *Ut non dubites me a Domino miſſum: ſicut patet tibi cœlum, ſic & oſtium iſtud patebit*. Et ſtatim, ſigillo & cera ſalvis, oſtium reſeratum eſt. Ex his duobus exemplis colligitur, Majores Clericos propter peccata etiam occulta deponi ſolitos, vel in ergaſtulis quibuſdam, Pœnitentiæ cauſa recludi: adeoque laicos, propter peccata etiam occulta, publicæ Pœnitentiæ addictos fuiſſe.

Objicitur primo. S. Auguſtinus Homilia 50. non damnat ad Pœnitentiam publicam, niſi eum *cujus peccatum non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum*. Et S. Cæſarius Arelatenſis Homilia 1. & Homilia 8. Pœnitentiæ publicæ non addicit niſi illum, *Qui cum plurimorum afflictione, vel cum multorum deſtructione ſe perdidit*. Sola itaque peccata publica Sanctorum Auguſtini, & Cæſarii ætate, Pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur.

Reſpondeo, nego conſequens. Poteſt enim aliquod peccatum eſſe in ſcandalum aliorum, & in afflictionem, aut deſtructionem multorum vergere, etiamſi non ſit publicum; immo fere nulla ſunt peccata mortalia, quæ non ſint in ſcandalum aliorum, verbi gratia complicis, ſervorum, amicorum, familiæ, vicinorum. Nam ut peccatum ſit publicum, non ſufficit, ut aliquibus notum ſit: ſed requiritur præterea, ut legi-

legitime convinci possit reus in judicio sæculari, vel Ecclesiastico, ut diserte tradit Sanctus Augustinus.

Objectio secunda petitur ex Concilio Carthaginensi 3. Canone 32. decernente, ut *Cujuscumque Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante Absidem ei manus imponatur*. Sed quibus tam solemni ritu manus imponebatur, illi publicam Pœnitentiam agebant: propter sola igitur peccata publica, & vulgatissima crimina, publica Pœnitentia imponebatur.

Respondeo, distinguo minorem: illi Pœnitentiam agebant solemniorem, concedo; illi soli agebant Pœnitentiam publicam, nego. Lucem huic distinctioni afferunt verba antecedentia: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente*. Post quæ verba immediate se-quitur altera pars Canonis, concepta verbis in objectione laudatis: *Cujuscumque autem Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est*, &c. Unde ex totius Canonis serie constat, duo peccatorum genera Pœnitentiæ publicæ subdita fuisse, occulta scilicet, ac publica: porro publicorum dumtaxat proprium fuisse, ut illorum reis ante Absidem, id est, patenti singulis Fidelibus loco, manus imponeretur.

Objicitur tertio. Si Pœnitentia publica reis occultorum criminum imposita fuisset, Confessionis sigillum fuisset relatum. Notum enim erat, quibus peccatis tot annorum Pœnitentia infligeretur, aut saltem notissimum erat illam non imponi, nisi pro gravioribus. Neminem vero latet, violari Confessionis sigillum, si a Sacerdote Pœnitens graviorum criminum reus verbis vel factis innuatur. Cum itaque summa semper fuerit in Ecclesia sigilli illius religio, consequens est occultorum criminum reis impositam non fuisse Pœnitentiam.

Respondeo, nego majorem. Ratio est, quia multi graviorum licet criminum puri, Pœnitentiam publicam pietatis causa amplectebantur, & sedulo obibant; ut constat ex facto VVambæ Gothorum Hispanorum Regis, sanctitate insignis, qui Pœnitentiam publicam sibi imponi æger postulavit, eaque, cum ex morbo convaluisset, perfunctus est, regno ad Ervigium Principem translato, ut refert Concilium Toletanum Duodecimum, Canone 1. utque narrat etiam Lucas Tudensis. Eadem Ecclesiæ consuetudo probatur ex Concilio Toletano XIII. Canone 1. quo Gaudentii Valerienſis Episcopi Consultationi respondent Patres. Hic pœnitentiam æger susceperat; illaque perfunctus, cum in pristinam sanitatem restitutus esset, dubitabat, utrum Sacerdotii & Episcopatus sui munia sibi liceret obire. Ea de re consuluit Episcopos Toleti congregatos. Illis visum est, *Ut reconciliatione præmissa, soliti Ordinis retineret officia*. Rationem sui responsi reddunt Patres his verbis: *Si enim regulæ præcedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in his & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos Gradus pervenire permittunt: quanto magis, ut hi, qui in ipso Sacerdotio constituti Pœnitentiam accipiunt, a sui Ordinis officio non retrahantur? Tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt*. Ex quibus colligitur, nullam ex publica Pœnitentia pro criminibus occultis, creatam fuisse peccatoribus infamiam; nec potuisse certo colligi, quod graviorum facinorum rei essent, quia luctuosam illam Pœnitentiam subibant; quia nesciebatur an forsan pietatis causa illam suscepissent. Deinde, sententia lata non addicebantur Pœnitentiæ publicæ occultorum criminum rei, sed Sacerdotum, apud quos peccata deponebant, privato mandato, cui cum sese subjicerent, ipsorum peccata non revelabantur, ipsis invitis: revelabantur autem in genere, non in specie.

PROPOSITIO II.

Mos ille imponendi Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, septimo Sæculo exolevit.

PRobatur primo ex Venerabili Beda, qui Sæculo 7. ineunte florebat. Is enim in libello de Remediis peccatorum, cap. 7. non obscure distinguit inter crimina Clericorum publica & occulta, & utrique convenientem assignat Pœnitentiam. *Si Pres-*

byter, inquit, *vel Diaconus, vel Monachus, uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conscientiam populi devenerit, projiciatur extra Ecclesiam, & inter laicos pœniteat, quamdiu vixerit*. Evidens est, in conscientiam populi venire, idem esse ac notum effici populo, qui publici character criminis est.

Confirmatur ex cap. primo ejusdem libri, ubi Confessarios monens, ne eidem vitio eamdem semper Pœnitentiam imponant, hæc habet: *Non omnibus in una eademque libra pensandum est, licet in uno constringantur vitio; sed discretio sit in unoquoque eorum, hoc est, inter divitem & pauperem, seu liberum, servum, infantem &c. Voluntate, vel in casu; in publico, vel in abscondito &c.* Eadem habet Ecbertus Eboracensis Archiepiscopus creatus anno Christi 731. in Pœnitentiali suo.

Probatur secundo ex libro 5. Capitularium, cap. 52. in quo hæc habentur: *Si occulte & sponte confessus fuerit, occulte fiat; & si publice ac manifeste convictus, aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta Canonicos pœniteat gradus*. Ita etiam statutum est in Concilio Liptinensi, anno 743.

Probatur tertio ex Isaaco Lingonensi Episcopo, qui Collectionem se adornasse testatur eorum Canonum, quos Galliarum Episcopi cum S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo condiderunt sub annum 742. quosque Zacharias Pontifex Maximus Apostolica Auctoritate confirmavit. Ex iis hunc Canonem refert Collectionis suæ Titulo 3. cap. 9. *Mulier habens virum, si adulterium perpetraverit, & occulte ad Confessionem venerit, septem annis pœniteat .... Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc a viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa vero, secundum quod superius insertum est, publice agat Pœnitentiam.* Et Titulo 6. cap. 2. adversus raptores bonorum proximi hanc Pœnitentiæ legem latam describit: *Si publice actum fuerit, publicam inde agat Pœnitentiam, juxta sanctorum Canonum sanctionem. Si vero occulte, Sacerdotum consilio ex hoc agat Pœnitentiam.*

Probatur quarto ex Concilio Arelatensi 6. quod anno 813. celebratum est, & ex Concilio Remensi, quod eodem anno celebratum fuit. Primum quidem Canone 26. hæc habet: *Qui publico crimine convicti sunt, rei publice judicentur, & Pœnitentiam agant, secundum Canones*. Alterum vero Canone 31. decernit, *Ut discretio servanda sit inter Pœnitentes, qui publice, & qui absconse pœnitere debent*.

Probatur quinto ex Concilio Cabilonensi, anno 813. Canone 25. quo statuitur, auxilium postulandum ab Imperatore, ut publici Peccatores Pœnitentiam publicam obire cogantur. En verba Canonis: *Pœnitentiam agere, juxta antiquam Canonum Constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur; ut a Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulctetur Pœnitentia, & secundum ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur*. Hoc ipso quod de publica Pœnitentia pro peccatis dumtaxat publicis decernunt Lugdunensis Provinciæ Episcopi, innuunt privatam solum Pœnitentiam impositam fuisse pro occultis.

Probatur sexto ex Concilio Moguntino, quod sub Rabano celebratum est, anno 847. Can. 31. *Discretio*, inquit, *servanda est inter Pœnitentes, qui publice, & qui absconse pœnitere debent. Nam qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur Pœnitentia*.

Probatur septimo ex Burchardo VVormatiensi Episcopo, qui libro 19. Collectionis suæ, cap. 36. ex antiquo Auctore, quem nomine S. Augustini refert, hæc habet: *Si quis incestum occulte commiserit, & Sacerdoti occulte Confessionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verum, quia latet commissum, detur ei a Sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ pro occulta sua Pœnitentia proficiat*.

Probatur octavo ex antiquis Sacramentariis, & Pœnitentialibus, in quibus inter crimina publica & occulta, quoad modum & ritum agendæ Pœnitentiæ, manifestum discrimen videre est, ut in antiquissimo Sacramentario Romano, quod non diu ante annum septingentesimum scriptum est, In Capite enim Quadragesimæ, & in Cœna Domi-

Domini extat in eo, *Ordo agentibus Pœnitentiam publicam*. Ut quid porro sic inscriberetur, nisi alius esset erga privatam Pœnitentiam agentes observandus?

Probatur ultimo ex Pœnitentiali * Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, ante annum 690. exarato; in quo Græcæ Ecclesiæ morem, qui diu ante ejus ætatem invaluerat secutus, publicam publicis criminibus Pœnitentiam; occultis vero privatam imponit. Ex illo itaque Pœnitentiali, mos Græcorum in imponenda Pœnitentia publica pro publicis peccatis, privata vero pro occultis in Anglicanam Ecclesiam traductus est.

Postquam hæc scripsi, legi Dissertationem eruditi amicique juvenis Jacobi Parvi, qua Theodori Cantuariensis doctrinam ab omni novitatis suspicione sibi sumpsit vindicandam. Id ut præstet, tria probare nititur. Primo quod Patres negent morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum de peccatis occultis publice pœnitendi. 2. quod Patres affirment pro peccatis occultis Pœnitentiam secreto factam sufficere, atque de illis morem Ecclesiæ fuisse secreto pœnitendi. Tertio, quod Patres testentur Pœnitentiam publicam publicis tantum criminibus ab Ecclesia canonice fuisse statutam. Primum probat iis omnibus Patrum locis, in quibus fraternæ correctionis ordinem a Christo in Evangelio constitutum exponunt, ajuntque fratrem, quem peccantem viderimus, seorsim esse corripiendum, non vero proclamanda passim ac divulganda aliena peccata; quod esset utique non corrigentis, sed infamantis. Quod si crimen non emendaverit, post unam vel alteram correptionem, esse ad Ecclesiam deferendum. Ita Origenes Homilia 3. in Leviticum & in Commentario Matth. Editionis Huetianæ Tom. 1. p. 335. Vetus Auctor Constitutionum Apostolicarum, lib. 2. c. 37. Sanctus Hilarius Pictaviensis in Commentario Matth. cap. 18. Joannes Chrysostomus Homilia 61. in Matth. Sanctus Hieronymus in ea verba Evangelii: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Bacchiarius in Epistola ad Januarium *de recipiendis Lapsis*, Sanctus Augustinus Serm. 16. de Verbis Domini. Ex his colligit eruditus Juvenis, negasse Patres morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, publice pro peccatis occultis pœnitendi. Sed ex vero principio falsam conclusionem colligit: Non enim fraternæ correctionis ordo invertebatur, cum addicebantur publicæ Pœnitentiæ criminum occultorum rei. Siquidem eorum peccata non vulgabantur a Sacerdotibus, sed peccatorum dumtaxat emendatio, & pœna ad notitiam perducebatur: quo facto nulla ipsis irrogabatur infamia, immo potius accedebat honos. Deo enim palam satisfacere, & Pœnitentiæ laboribus Fideles ædificare, quis infame ac turpe dixerit? Innotescebat quidem Ecclesiæ Pœnitentes illos crimen aliquod gravissimum, quamvis occultum perpetrasse, sed ipsis consentientibus ac volentibus, id notum fiebat. Cum enim ipsis imposita erat a Sacerdote Pœnitentia publice agenda, ipsam quidem subire, & omnibus ejus laboribus perfungi tenebantur; sed cogi ad id minime poterant, nec a Communione arceri, quamdiu occultum crimen erat; sicut etiam nunc Sacerdos peccatori occulto, cui Sacramentalem Absolutionem justis de causis denegavit, Eucharistiam petenti denegare non potest. Cum igitur peccatores ob occulta crimina Pœnitentiam agebant, tam libere illam subibant, quam libere privatam modo subimus. Ideoque seipsos potius profitebantur peccatores exomologesi sua, quam proclamarentur. Et sicut in Religiosa Societate peccatum Fratris, prætermissa monitione & correptione privata, defertur ad Præpositum inviolato fraternæ correptionis ordine, ut sentit Ecclesia, quæ illius Societatis regulam probavit, & *Pium* declaravit *Institutum* in Concilio Tridentino: quia ita secum agi consentiunt, qui illi Societati dant nomen: ita fraternæ correptionis præceptum inviolatum fuisse contendo, cum occultorum criminum rei publicæ addicti sunt Pœnitentiæ: quia ipsi post privatam Sacerdotis correptionem, ejus se mandato de Pœnitentia publica subeunda libere subjecerunt, ut publico illo pudore peccata eluerent, ac Deo satisfacerent.

Objicit eruditus Juvenis testimonium Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 29. cap. 13. in Epistolam ad Corinthios ad illa verba: *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum ac trium stabit omne verbum*. Quæ verba sic exponit: *Cum aliunde etiam multis ex rebus, tum vel hinc maxime Pauli sapientiam, paternumque affectum perspicere licet: nimirum quam in denuntiandis quidem suppliciis multus ac vehemens, in in-*

feren-

* *Theodoretus Monachus Græcus, Tharsi Ciliciæ natus, Episcopus a Vitaliano Pont. Maxim. ordinatus est, missusque in Britanniam, Cantuariensem Ecclesiam rexit annis 1. & 4. insuper mensibus, obiit anno 690. De eo legatur Ven. Beda lib. 4. Hist. Angl. cap. 1. & 2. Respondetur objectionibus Jacobi Parvi.*

ferendis autem segnis ac tardus sit. Neque enim de iis qui peccabant, pœnas statim sumpsit: sed semel atque iterum admonuit. Ac ne sic quidem in contumaces animadvertit: sed rursus admonet ac denuntiat dicens: Tertio hoc venio ad vos: ac priusquam adsim, rursus scribo. Postea ne cunctatio segnitiem illis pariat, vide quo pacto hic quoque eos corrigat, assidue nempe interminans, ac plagas intentans, atque hisce verbis utens: Si venero iterum, non parcam: Et, Ne cum venero, lugeam multos. Hæc porro idcirco facit ac loquitur, ut hac quoque parte omnium Dominum imitetur: Nam & assidue quidem comminatur, ac sæpe pœnas denuntiat; sed non sæpe punit & cruciatum infert. Hoc itaque ipse quoque facit. Ob idque etiam ante dicebat: Parcens vobis, non ultra veni Corinthum: quid est, Parcens vobis? hoc est, ne vos sceleribus devinctos inveniens, ac sine ulla emendatione in his perstantes, pœna & cruciatu vos afficiam &c. Ex quibus sic colligit eruditus Juvenis. Cum D. Paulus Dominum imitatus, pœnas non statim sumpserit de immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam multi gesserant, sed semel atque iterum eos admonuerit; cumque tot minas intenderit, ut vitia sua corrigerent, atque ipsorum contumacia non cogeretur illos ab Ecclesia expellere, neque supplicio afficere; nonne omnibus Ecclesiæ Prælati egregium patientiæ præbuit exemplum: Quod a Joanne Chrysostomo adeo luculenter expositum satis declarat, morem non fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, de criminibus occultis, & iis quæ peccantium contumacia non reddit publica, publice pœnitendi.

At hic Sancti Joannis Chrysostomi locus nequaquam id probat, quod pertendit Auctor Eruditus. Esto enim, Apostolica S. Pauli patientia evincat, Apostolorum temporibus, quibus nondum erat omni ex parte constituta Disciplina Pœnitentialis, morem Ecclesiæ non fuisse de criminibus occultis publice pœnitendi: sequitur ne quod secutis temporibus ista non fuerit sancita Disciplina, neque mos ille invaluerit? Certe si alicujus ponderis est hæc objectio, probabit, nec morem Ecclesiæ fuisse pro peccatis publicis publice pœnitendi: siquidem fornicationes, immunditiæ, seditiones, ob quas se non parciturum Corinthiis scribit Sanctus Paulus, si ad illos tertio venerit, occultæ non erant, sed publicæ: quod illa verba ostendunt evidenter: *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium stabit omne verbum.*

Objicit eruditus Juvenis Juliani Pomerii testimonium libro 1. de Vita Contemplativa, cap. 5. dicentis: *Cæterum si Ecclesiæ Communione priventur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum gravati succumbunt, & Sanctorum omnium vultus, per quos possent restitui Deo, refugiunt: aut certe ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt: & quidquid mali occulte faciebant, publice perpetrabunt .... Propter hoc ergo blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt &c.* Quo ex testimonio ita colligit eruditus Juvenis: Julianus Pomerius ostendit primo, quam perniciosa sit infirmis increpatio publica. Deinde declarat, quam utilis sit, ac prorsus necessaria Pœnitentia secreta pro peccatis occultis. Ergo plane negat cum cæteris Patribus, morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, publice de peccatis occultis pœnitendi.

At quomodo id neget Julianus Pomerius, omnino me fugit: hancque ex illius testimonio extundi posse conclusionem absque vi manifesta, non video. Loquitur ille de infirmis, quos durior increpatio exacerbaret, & quos obrueret tristitiæ moles. Ait erga ipsos a severiori Disciplina temperandum esse, nec esse a Communione removendos, ne durities illa ipsorum saluti noceat, in quibus omnis peccandi licentia pia compassione reprimeretur. Porro de criminum dumtaxat occultorum reis ibi non agit, sed de reis publicorum peccatorum. Siquidem de illis loquitur, qui excommunicatione plecti poterant. Hac autem pœna solum castigabantur publici peccatores, quorum nempe crimen vel propria Confessione coram Antistitibus & Clero, vel plurium testimoniis in aliquo judicio, sive Ecclesiastico, sive sæculari, publicum evaserat, secundum illud Sancti Augustini: *Neminem a Communione removere possumus, nisi vel sponte confessum, vel in aliquo judicio, sive sæculari, sive ecclesiastico convictum.* Deinde loquitur generatim de infirmis, quorum saluti consulendum est mitiori Disciplina; quia eos publica increpatio pertinaces & impudentes faceret in peccatis. At non solum in-

ter

ter occultos, verum etiam inter publicos peccatores, inveniuntur homines sic affecti; id est, ita infirmi, ut excommunicatione in præceps desperationis agerentur; atque ita non medicinalis, qualis esse debet pœna ecclesiastica, sed eorum saluti exitiosa foret. Non ergo loquitur Julianus Pomerius de criminum prorsus occultorum reis, sed de publicis peccatoribus, qui tamen crimina sua furtive, quantum in ipsis erat, committebant, nec ad illum pervenerant improbitatis cumulum, ut admonitiones omnes & pia consilia spernerent, atque de peccato gloriarentur. Hos autem, si ejus fuerunt indolis, ut publicam increpationem ferre non possint, humanius tractandos ait Julianus Pomerius, ne Disciplinæ durioris pondere fatiscant. Denique morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, ut de peccatis illis publice Pœnitentiam agerent peccatores, de quibus loquitur, satis indicat Julianus Pomerius: si quidem severitatem Disciplinæ erga omnes hoc modo temperandam esse non docet, sed solum erga infirmos, qui curari adhibita increpatione non possunt.

Secundam propositionem suam, scilicet quod Patres affirment, pro peccatis occultis Pœnitentiam secreto factam sufficere, atque de illis morem fuisse Ecclesiæ secreto pœnitendi, probat eruditus Juvenis iis momentis, quæ præcedentibus robustiora mihi non videntur. Primum petit ex testimonio Origenis Homilia 2. in Psalm. 38. dicentis: *Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris: si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, & satis perito illius Medici consilio procurandum est.*

Fateor ex hoc Origenis testimonio colligi, morem fuisse Ecclesiæ secreto pœnitendi pro peccatis occultis plurimis. Omnia namque peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ addicta non fuisse, superiori quæstione probavi: sed nego ex eo colligi, morem fuisse Ecclesiæ secreto dumtaxat pœnitendi pro criminibus occultis, qualiacumque essent. Canonica enim peccata, scilicet idololatriam, homicidium, fornicationes etiamsi occulta essent, publicæ Pœnitentiæ laboribus expiata fuisse, Propositione superiori ostendi. Et locus ipse Origenis; quem Juvenis eruditus objicit, id manifeste probat. *Si intellexerit*, inquit, *& præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari &c.* Ex quibus constat, Sacerdotem, apud quem peccata sua deponebant Pœnitentes, quædam ex illis, quamvis occulta, subjecisse Pœnitentiæ publicæ.

At, inquit eruditus Juvenis, iste Medicus probatus dat consilium publice pœnitendi, & non præceptum: Ergo nondum Ecclesiæ Decreto sancita erat pro criminibus occultis publica Pœnitentia; sed potius mos erat secreto pœnitendi: quia, ut ait S. Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis.*

Verum in consilii nomine, cur tantam vim faciat, ratio nulla subest. Quamvis enim Ecclesiæ decreto indicta fuerit pro peccatis etiam occultis, si graviora & canonica essent, Pœnitentia publica; consilium nihilominus vocari poterat impositio illius Pœnitentiæ a Sacerdote: quia cogere non poterat peccatorem ad illam Pœnitentiam subeundam, nec illum a communione removere, si illam amplecti nollet; quamvis absolutionem ipsi denegare posset.

Alia testimonia Patrum, quæ profert eruditus Juvenis, non probant id quod magno conatu probare nititur: sed id evincunt unum, Confessionem publicam occultorum criminum præceptam non fuisse, aut ex Ecclesiæ disciplina statutam. Sic S. Hilarii locus intelligendus est in Psalmi 51. Enarratione, ubi hæc Psalmistæ verba exponens: *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti*, notat Psalmistam docere, *Nulli alii esse confitendum, quam qui fecit olivam fructiferam spei misericordia in seculum seculi.*

Sic S. Basilius in Psalmum 37. ubi illa verba Davidis, *Rugiebam a gemitu cordis mei*; ita explicat: *Non multis manifestus fiam, ore fateor, sed corde ipso, clausis oculis, tibi soli respicienti arcana, mecum ipse rugiens, ostendo meos gemitus*. Quamquam hæc Psalmistæ verba paraphrastice a Patribus illis explicata, Pœnitentialem Ecclesiæ Disciplinam nullatenus spectant.

Nihil etiam adversus nos probant illa Sancti Basilii verba in Regulis Brevioribus, ad Interrogat. 229. *Iis tantummodo peccatorum confessio fieri debet, qui ea possint curare*. Solum enim affirmat eo loci Basilius, Confessionem publicam esse non debere, nec temere quibusvis hominibus faciendam, sicut vitia corporis nequaquam quibusvis hominibus, sed solis Medicis aperiuntur. Loquitur autem generatim de peccatis Basilius, nec inter occulta & publica distinguit. Unde eadem ratione ex hoc loco colligere potuisset eruditus Juvenis morem non fuisse Ecclesiæ de peccatis publicis publice pœnitendi. Sed verius dixerim neutrum ex hoc testimonio recte colligi, nec omnino esse ad propositum.

Sancti Gregorii Nysseni auctoritas in Epistola Canonica ad Letojum, qua testatur publica Pœnitentia illum non plecti, *Qui latenti ablatione alienum sibi usurpat*, non probat morem Ecclesiæ non fuisse pro quibusdam peccatis occultis publice pœnitendi, scilicet pro idololatria, homicidio, & adulterio; sed solum hac disciplina omnia peccata occulta castigata non fuisse, nec furtum ipsum, si occultum esset.

Sancti Ambrosii verba Enarratione in Psalmum 37. dicentis: *Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi soli interiore corde te purga*. Et ejusdem exemplum in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, probat pariter morem secreto pœnitendi pro maxima peccatorum occultorum parte, non pro omnibus. *Causas autem criminum quas illi confitebantur* (inquit Paulinus) *nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint, magis quam accusatores apud homines*. Loquitur Paulinus in Vita Sancti Ambrosii de peccatis omnibus, quæ Sancto Ambrosio, ad percipiendam Pœnitentiam, peccatores confitebantur. Hæc non erant semper occulta, sed quandoque publica, & quidem canonica. Propter illa postrema Pœnitentiam publicam ex Ecclesiæ disciplina imponebat Ambrosius. Causas tamen criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli indicabat. Ergo hic locus non probat, morem Ecclesiæ decreto sancitum fuisse, pro omnibus peccatis occultis, etiamsi gravissima essent, ut idololatria, homicidium, adulterium, secreto pœnitendi.

Objicit eruditus Juvenis testimonium Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 20. in cap. 5. Geneseos dicentis: *Scortator enim, vel adulter, vel qui aliud tale quiddam admisit, etiamsi omnes latere queat, numquam tamen sic in tranquillitate vivit, &c. Attamen, qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & Medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio etiam est delictorum*. Quid his verbis clarius, inquit amicissimus Juvenis, quibus Sanctus Joannes Chrysostomus affirmat, pœnitentia secreto facta, quælibet crimina, ut scortationes, adulteria, & alia ejusdem generis, quæ alios latent, aboleri?

Nihil revera clarius esset, si id affirmaret Chrysostomus, quod ipsi Parvus noster fingit. Sed istud non asserit. Secreta quidem Confessione scortationes & adulteria occulta curari ait, non secreta dumtaxat Pœnitentia. Medico, id est, Sacerdoti ulcus ostendit, crimen detegit scortator vel adulter occultus. Curat ille, non exprobrat. Nec enim publice etiam Pœnitentibus peccata exprobrabant, vel ipsis insultabant Sacerdotes, sed condolebant, & compatiebantur. Soli Medico, sive Sacerdoti peccator loquebatur nullo alio conscio, ipsi peccata exponebat, & ab ipso accipiebat remedia, id est Pœnitentiæ labores: an publice, an secreto perferendos, non dicit Chrysostomus.

Non alius est cæterorum testimoniorum sensus, quę ex eodem Chrysostomo laudat eruditus Juvenis, ut istius ex Homilia 21. ad Populum Antiochenum: *Nec hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit* Deus; *verum, & quod ipsa non revelat*,

velat, nec manifesta facit, nec accedentes cogit in medio patrata edicere, sed soli sibi rationem reddere jubet, & sibi confiteri. Et illius ex Homilia 8. de Pœnitentia: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit. Non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine, præter eum, qui cuncta videt Deum.* Eodem modo intelligendum est illud ex Homilia 10. de Pœnitentia. *Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, Pœnitentiam age: Medicinæ locus est hic non judicii, non pœnas exigens; sed Peccatorum remissionem tribuens; Deo solum dic peccatum tuum: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, & dimittitur peccatum tuum.* Item illud in Sermone de Pharisæo & Publicano: *Itaque admoneo ut confitearis peccata tua. Neque enim duco te ad theatrum conservorum tuorum, nec te cogo ea hominibus enuntiare; conscientiam tuam Deo expone: ei ostende facta & vulnera, & ab eo medicinam pete: ostende te non exprobranti, sed curanti.* Probant hæc omnia publicam peccatorum occultorum, quantumvis gravia essent, Confessionem Ecclesiæ decreto aut moribus statutam non fuisse: At publicam pro peccatis occultis Pœnitentiam in usu non fuisse, ex Ecclesiæ disciplina, non probant, si peccata illa canonica essent; ut idololatria, homicidium, & fornicatio.

Objicit eruditus Juvenis testimonio Innocentii I. in Epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, cap. 4. quærentis, cur mulieribus adulteris, non autem viris adulteris denegetur communio, & respondentis, Christianam Religionem adulterium in utroque sexu pari ratione condemnare: sed id inde contingere, quod viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, *Et non habent latentia peccata vindictam.* Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt. *Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, Communio denegatur; Virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur.* Ex hoc testimonio colligit, morem fuisse Ecclesiæ, pro adulteriis occultis Pœnitentiam secreto agendam imponendi. Sed minus recte colligit. Etsi enim viros adulteros, qui nec sponte confitebantur peccatum, nec illius in judicio convincebantur, Ecclesia non addiceret publicæ Pœnitentiæ, nec a communione removeret: *Quia non habent latentia peccata vindictam;* illos tamen, si se apud Sacerdotes accusarent, publica Pœnitentia castigabat, & a communione submovebat, non quidem lata palam sententia, sed decretis in foro interiori mandatis. Tunc enim satis detectum erat eorum flagitium, satis eorum confessione probatum, ut hoc modo publicæ Pœnitentiæ addicerentur, & a communione removerentur; quamvis exterius cogi non possent ad hujusmodi pœnitentiam subeundam, nec denegari illis posset Eucharistia, si ad Sacram Mensam inter communicantes se sisterent.

Objicit eruditus Juvenis, Bacchiarium in Epistola ad Januarium, dicentem: *Sed prætermissis his plangatur defunctus, sepeliatur mortuus: id est, partim nostro labore, partim verecundiæ suæ confusione peccatum ejus celetur, & auferatur e medio: nos autem consolationis linteamina, & cœlestis spei pigmenta tribuamus. Ipse autem intra sepulcrum secreti sui confusus peccati pudore, contineat se: ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui totus in eo putredines obligat peccatorum.* Colligit Parvus noster, illam esse Pœnitentiam secreto factam, quam tamen pro adulterio nefando sufficere existimat Bacchiarius. At ne quidem id Bacchiarius innuit. Conceptum de secreto peccato pudorem, & dolorem, quo laceratur conscientia, Sacerdotum adhortationibus adjunctum, expungere peccata & eorum putredines obligare asserit: Sed sufficere non asserit. Alioqui concedat eruditus juvenis, pudorem, dolorem, conscientiæ vermem, cum verbis consolatoriis Sacerdotis sufficere, & ne privatam quidem satisfactionem requiri; quia de illa diserte non loquitur hoc in loco Bacchiarius.

Objicit idem Auctor S. Augustini testimonium Sermone 44. in Evangelium Joannis, dicentis. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit. Et fit, ut novimus, ut quotidie homines se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente: Surge, condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem & justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit in cogitationis secre-*

to, *facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus, intra latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes*. Quomodo, inquit, eruditus Juvenis, fit ista Resurrectio animæ mortuæ intus, in cogitationis secreto, nisi Pœnitentia secreto facta? Et cur non adhibetur publica? Quia inquit Augustinus, mortuum intus habet, & nondum extulit, id est, crimen nondum est publicum.

Perperam S. Augustinum interpretatur Parvus. Qui enim mortuum intus habet, & nondum extulit, non est cujuslibet criminis occulti reus, sed sola cogitatione seu consensu peccavit. *Sunt ergo intus*, inquit, *qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent*. Illi, fateor, in cogitationis secreto ita reviviscunt, ut illis secreta Pœnitentia sufficiat. Sed si mortuus jam elatus sit, idest, in factum processerit peccator: vel sepultus fuerit, id est mala consuetudine implicitus (ut ibidem Augustinus exponit) non ita facile reviviscit. Denique jam publicum est quodammodo peccatum, cum opere perpetratum est. *Post consensum, eunt in factum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico*. Etsi non ita publicum evadat, ut in plurium notitiam perferatur: unde jam Ecclesiæ publica supplicatio, tamquam piæ matris fletus, in Pœnitentiæ publicæ actione adhiberi congrue potest, ut mortuus suscitetur; præsertim si peccatum gravissimum fuerit, & canonicum.

Objicit eruditus Juvenis illud Sancti Augustini Sermone XVI. de verbis Domini: *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus. Non non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur vulnus*. Itaque, inquit, Sanctus Augustinus frequenter docet morem Ecclesiæ fuisse, de criminibus occultis secreto pœnitendi.

Immo vero nullibi id docet Sanctus Augustinus, si de omnibus criminibus occultis, etiam gravissimis, etiam canonicis quæstio sit. Aliud est non prodere palam, non arguere publice, sed in secreto, aliud non imponere publicam Pœnitentiam: Homicida enim, vel adulter occultus, qui post sui criminis Confessionem privatim factam Sacerdoti, ab eo Pœnitentiæ publice agendæ, vel saltem coram selectis testibus (secundum Ecclesiæ Africanæ morem) secreto accipiebant mandatum in foro interno, palam non prodebantur, nec adulterii, aut homicidii arguebantur coram omnibus, ne ab inimicis inscriberentur, & ad Judices deferrentur, ut Sanctus Augustinus ait, sed secreto correpti, cum Sacerdotem Pœnitentiæ causa adierant, ejus labores non renuebant subire palam: quia inde probari non poterat, ipsos hujus vel illius criminis, sed in genere dumtaxat gravioris alicujus peccati reos esse.

Testimonium Sancti Leonis, Epistola ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, Confessionem publicam occultorum criminum vetat; & secretam, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti sufficere ait: sed secretam esse debere pro peccatis quibuslibet occultis Pœnitentiam non affirmat. Immo publice pro illis pœnitendi morem, qui illis in Ecclesiis vigebat, sartum tectum relinquit, improbato dumtaxat & sublato Confessionis publicæ more.

Laurentii Novariensis Episcopi testimonium in Homilia de Pœnitentia, dicentis: *Ex illa die, illaque hora, qua egressus de lavacro, ipse tibi es fons jugis, diuturna remissio. Non opus habes Doctore, nec dextra Sacerdotis ... Et quia non poteras manens in membris, corporisque compage, liber existere a peccato, immunis que esse a noxa: post Baptismum remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras Sacerdotem, cum necessitas efflagitaverit. Sed ipse jam ac si scitus, perspicuusque magister errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas*. Istud, inquam, testimonium Parvo non favet, quod nec inter occulta & publica peccata distinguit, nec ministerium desiderare videtur Sacerdotis. Quod longe amplius probaret, quam pertendat Parvus, nisi benigna interpretatione molliretur.

Nihil adversus nos probat Gregorii Magni locus III. Parte Curæ Pastoralis, Admonitione 8. ubi aliter monendos esse impudentes, aliter verecundos docet, *Ut & illorum culpas increpatio dura detegeret, & horum negligentiam mollior sermo velaret*.

Publi-

Publica igitur Pœnitentia impudentibus neceſſaria eſt, inquit Jacobus Parvus, quorum crimina increpatione dura deteguntur: occulta vero Pœnitentia ſufficit verecundis, quorum peccata molliori ſermone velantur. Homicidarum, inceſtuoſorum, adulterorum occultorum crimina Sanctum Gregorium Magnum negligentiæ nomine excuſaſſe, & molliori ſermone velanda & curanda dixiſſe, ſibi perſuadeat quiſquis voluerit cum optimo & docto Juvene: id mihi perſuadere non poſſum. Durius objurgatos tantorum criminum reos exiſtimare æquius eſt; non ea quidem increpatione, quæ ipſorum peccata detegere, ſed quæ imponendo ſeveriorem & publicam Pœnitentiam, caſtigaret. Putidis enim vulneribus quamvis occultis non fomenta molliora dumtaxat, ſed ferrum & ignis a Medico perito adhibenda ſunt, ut curentur. Præterea, impudentes eſſe poſſunt detractores, ebrioſi, perjuri, aliorumque rei peccatorum, quæ publicæ Pœnitentiæ, ex publica Eccleſiæ lege & diſciplina, obnoxia non fuerunt, etiamſi publica eſſent, ut Quæſtione 1. hujus Diſſertationis probavimus. Illorum ergo culpas increpatio dura detegere debebat, ſecundum Gregorii Magni regulam. Itaque increpatio dura, non eſt idem quod Pœnitentia publica. 2. Verecundi ſunt, qui adulterium occulte committunt, quod non committerent, ſi flagitium illud ſuum ſcirent detegendum, & qui ita ſunt affecti, illos pudor ab externo actu peccati, quod conſenſu ſuo jam admiſerunt, revocaret. Dum tamen occultant crimen, quantum poſſunt, pellex aut ſervi ipſos produnt, notum fit ipſorum ſcelus in Eccleſiæ ſcandalum. Putatne Parvus noſter ipſis verecundiam ſuffragari, ut a Pœnitentiæ publicæ laboribus eximantur, & eorum ſcelus molliori ſermone veletur? Fateatur itaque ſe perperam accepiſſe hunc Gregorii locum. Nihilo felicius urget ejuſdem Sancti Pontificis verba in Admonitione 30. quæ ſolum probant, peccata cogitationis publicæ Pœnitentiæ addicta non fuiſſe, quod lubenter fateor, & ſuperius oſtendi. *Sæpe*, inquit, *miſericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo hæc exire ad opera non permittit: & cogitata nequitia quanto citius ſolvitur, quia effectu operis diſtrictius non ligatur*. Eam ob rem Pſalmiſtam recte dixiſſe notat: *Dixi: Pronuntiabo adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei: quatenus quia uſque ad opus non venerat culpa, uſque ad cruciatum non perveniret Pœnitentia, ſed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinaſſet*.

Sanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus, cujus teſtimonia duo urget eruditus Juvenis, unum ex Homilia de Filio prodigo; alterum ex Homilia 15. de utriuſque Agni Paſchalis eſu, in quibus, antequam ſermonem ad publicos Pœnitentes convertat, Peccatores occultos alloquitur, & eos quidem quos notat pejora forſan commiſiſſe, quam publice Pœnitentes, & fornicationis forte, vel inceſtus reos eſſe: & affirmat nihilominus eos, *ſi puriter confeſſi, ac devote converſi fuerint*, ipſo die Cœnæ Domini, dignos fieri poſſe, ut Solemnitati interſint, & per divinæ ſalutis medicamentum ſe purificare poſſe: ut reliquiæ cogitationum eorum diem feſtum agant Domino. Sanctus (inquam) Eligius aperte his in locis indicat, pro peccatis graviſſimis, qualia ſunt fornicatio & inceſtus, Pœnitentiam ſecretam factam fuiſſe in Eccleſia Gallicana: Sed inde colligi non poteſt morem antiquum Eccleſiæ, ante Eligii tempora, non fuiſſe imponendi Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, ſi graviſſima eſſent, & canonica. Tempore namque Sancti Eligii, qui floruit ab anno 646. ad annum 665. eadem qua Theodorus Cantuarienſis ætate, priſca Diſciplina de Pœnitentia pro peccatis occultis publice agenda, ſenſim in diſſuetudinem abibat.

Tertiam propoſitionem ſuam, ſcilicet Pœnitentiam publicam pro publicis tantum criminibus ab Eccleſia canonice fuiſſe ſtatutam, probare nititur eruditus Juvenis, vel teſtimoniis Patrum quibus ſupra reſpondimus, ut Sancti Auguſtini, Homilia ultima ex L. ex Sermone XLI. de Sanctis, & Cæſarii Arelatenſis Homilia 1. vel probantibus dumtaxat occultos Peccatores excommunicari nominatim non poſſe; qualia ſunt loca Origenis Homilia 21. in Joſue, Homilia 1. in cap. 11. Judicum & Tractatu 35. in Matthæum, Concilii Neocæſareenſis Canon 9. locus Sancti Baſilii Epiſtola 246. Sancti Auguſtini libro 3. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 11. Juliani Pomerii libro 11. de Vita Contemplativa cap. 16. Vel denique probant illa teſtimonia, Pœniten-

tiam publicam pro publicis peccatis actam fuisse; sed non negant quin acta sit etiam pro quibusdam criminibus occultis, ut testimonia Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 82. in Matthæum, & S. Augustini in Enchiridio ad Laurentium, cap. 65. Unde perperam ubique colligit eruditus Juvenis, Patres testari, pro publicis tantum criminibus, publicam Pœnitentiam ab Ecclesia fuisse statutam.

SCHOLION I.

Ad hujus Articuli Propositionem secundam ad pag. 327. Editionis primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Pœnitentes non poterant ad Pœnitentiam publicam a Confessario obligari*.

R. Hæc Propositio mihi perperam affingitur: id non scripsi: immo asserui ad subeundam Pœnitentiam publicam obligatos fuisse, quibus a Confessario imposita erat: sed tamen ad eam in foro exteriori cogi non potuisse, quamdiu crimen erat occultum.

SCHOLION II.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Jesuitæ cedunt juri correctionis fraternæ*.

R. Falso diceretur, Patres Societatis Jesu cedere juri correctionis fraternæ. Id non scripsi, perperam mihi tribuitur Propositio tam absurda. Qui renunciaret juri fraternæ correctionis, renunciaret Evangelio & legi charitatis. Sed Patres Societatis Jesu „ Peccatum fratris, prætermissa quandoque monitione & correptione privata, deferunt „ ad Præpositum, inviolato fraternæ correptionis ordine, ut sentit Ecclesia, quæ illius Societatis Regulam probavit, & pium declaravit Institutum in Concilio Tri„ dentino: quia ita secum agi consentiunt, qui illi Societati dant nomen. *Hæc verba mea. Idem ante me docuit* Dominicus Bannes *in Secundam Secundæ Sancti Thomæ, ad Quæst. 33. Art. 8. Dubio 2. in Responsione ad septimam Objectionem* „. Jam aliud, „ *inquit*, quod in eadem confirmatione objicitur, quod in aliqua Religione Professores „ illius renuntiant juri suo, ut cum illis servetur prædictus ordo correctionis fraternæ, „ respondetur, quod ego non video, quare non possint suo juri renuntiare. Nam cum „ unusquisque sit dominus suæ famæ, licitum est illi pro suo bono spirituali illam „ amittere apud quem voluerit secluso scandalo. Hoc enim non est dispensare in Præ„ cepto Evangelico, aut potius naturali servandi illum ordinem, sed est mutare ma„ teriam præcepti. Nam tota ratio illius ordinis est, ne fiat injuria fratri corripien„ do, infamando ipsum plus quam oportet, ut corrigatur & emendetur. At vero „ scienti & volenti non fit injuria, quoniam ipse dominus est propriæ famæ. *Idem docet* Silvius *in Secundam Secundæ, Quæst. 33. Art. 7. Conclusione 3. in Responsione ad primum*.

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propositionem: *Sex prioribus Ecclesiæ seculis peccatis etiam occultis pœnitentia publica infligebatur*.

§. UNICUS.

Probabilius est, peccata canonica omnino occulta pœnitentiæ publicæ vi canonum subdita non fuisse.

Mihi videtur prorsus ita docere S. Basilius in Epistola canonica ad Amphilochium can. 34. quamvis in suæ probationem sententiæ ipsius auctoritatem statim referat Natalis. Illius verba ita se habent. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine communione jusse-*

runt,

runt, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Nemo non ſcit, adulterium inter ea fuiſſe peccata, quæ publica pœnitentia erant diluenda; & tamen hic mulier, quæ ſe ſecreto adulterio polluerat, a publicæ pœnitentiæ lege diſpenſatur. Putat Natalis leviori quidem, ſed publica ſatisfactione mulctatam fuiſſe, cum eam canones ab Euchariſtia percipienda arcerent. At non adhærendum Natali cenſeo; quamvis etenim verum ſit ad pœnitentiam publicam pertinuiſſe ſtationem conſiſtentiæ, in qua pœnitentes a communione arcebantur, adhuc etiam verum eſt, quod hic ſtatus pœnitentiæ publicæ naturam non induebat, niſi reſpectu eorum, qui alios pœnitentiæ publicæ gradus; fletus nempe, auditionis, & ſubſtrationis percurrerunt. Id oſtenditur primo obſervando Eccleſiam noluiſſe præfatas mulieres publica pœnitentia punire, ne ita occaſio earum criminis detegendi daretur. *Qui enim*, ait Balſamon in præfatum S. Baſilii canonem, *videret extra divinos Eccleſiæ ambitus ſtantes, vel etiam cum Catechumenis exeuntes, primo aſpectu omnino intelligeret propter adulterii crimen eam illis eſſe pœnam injunctam, & fieret punitio cauſa mortis.* Quamvis autem in gradu ſeu ſtatione conſiſtentiæ pœnitentes his non plecterentur pœnis, ſed ſola Euchariſtia privarentur; nihilominus ubi ſemper hæc pœna a publica pœnitentia ſejuncta non fuiſſet, numquam ſatis ſecuritati uxorum conſultum fuiſſet: quas enim in conjugibus zelotypia ſuſpiciones non ſuſcitaſſet, ubi aliqua pœnitentiæ publicæ ſpecie ad ſuis ſatisfaciendum peccatis uxores cogi vidiſſent? Deinde nonne & nos docemus multos pœnitentes a ſacra Synaxi prohibendos, ſi recenter in peccata carnis prolapſi fuerint, vel ſi neceſſe ſit experiri, an ex animo pœniteant &c. quod potiſſimum evenire ſolet reſpectu eorum, qui libidinis cœno ſolent inquinari? An forte ita agendo publica imponitur pœnitentia? Gratis ergo quamdam pœnitentiæ publicæ ſpeciem ſubiiſſe dicuntur illæ mulieres, quæ ob adulterii culpam abſtinere a communione jubebantur.

Unum etiam ex canonicis delictis, quod pœnitentia publica delendum canones demandabant, erat homicidium. Sed videamus quomodo de illo, ſicut & de adulterio loquatur S. Auguſtinus *Serm.* 82. *alias* 16. *de verb. Apoſt.* quando erant ſecreta: *Novit, ait* cap. 8. *neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego nolo publice corripere, ut tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo: corripio in ſecreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conſcientiam; perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus. Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus, nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

Hujuſmodi Auguſtini teſtimonium conatur Natalis infirmare dicendo, illos, qui ſecreti homicidii vel adulterii crimine inquinabantur, fuiſſe quidem ſecreto correptos, ſed non proinde a publica pœnitentia abſolutos; ex qua tamen non apparebat hujus vel illius criminis reos fuiſſe, ſed in genere dumtaxat alicujus gravioris peccati. Verum, meo videri, abſtinere debuiſſet Auguſtinus a commendanda juxta leges charitatis ſecreta correctione, ac ab affirmando ibi malum mori, ubi contingebat, ſi ex canonum mandato etiam pro culpis canonicis, quamvis ſecretis, publica erat imponenda pœnitentia. Cum canonica delicta ad tria potiſſimum reſtringerentur, idololatriam nempe, homicidium, & adulterium, jam qui ad publicam pœnitentiam cogebantur, unius ex præfatis delictis rei denunciabantur, ac ex circumſtantia temporis, perſonæ, aut loci, cujus gratia publicam quis ſubiret pœnitentiam, facillime vel detegi, vel poſſet maxime ſuſpicari: ex quo graviſſima ſequutura incommoda quis non videat? Neque ſatis etiam pœnitentium famæ conſulebatur, eo quod pœnitentiam publicam ultro eligerent etiam ii, qui nullo crimine erant culpabiles; cum etenim ii ſolerent ſpecialibus florere virtutibus, jam qui iis deſtituebantur, & pœnitentiæ publicæ addicebantur, ſatis manifeſtabantur alicujus canonici criminis rei.

Ex iis infertur, quod ſi pœnitentia publica occulta etiam canonica delicta corrigebantur, non ſatis veras dici potuiſſe illas PP. loquutiones, quibus dicitur, Sacerdotes ſoli Domino indicare cauſas criminum, quas pœnitentes confitebantur, nec eſſe accuſatores apud homines: ſecretum adulterum Confeſſario ulcus oſtendere debere, ut cu-

ret *nullo alio conscio*: non habere latentia peccata vindictam. His omnibus, aliisque, quæ ex PP. objicit Jo. Parvus, respondet Natalis nulli quidem revelari potuisse a Sacerdotibus crimina, quæ audiebant; nullum præter ipsos debuisse conscium esse secreti patrati criminis; & secreta delicta, quorum reus non se accusabat, nullam subiisse vindictam: hæc vero non obstare, quin Sacerdos posset ea publica pœnitentia punire. At ego putarem semper verum esse Sacerdotes non solum uni Deo crimina patefeciisse, sed etiam hominibus; apud homines eorumdem dici potuisse accusatores, ac proinde aliis a Confessario palam fieri, quoties etiam denegando absolutionem, ut vult Natalis, coegissent eum, qui secreto peccasset, pœnitentiam publicam acceptare. Ipsa publica pœnitentia, ut paulo ante dixi, manifestasset hominibus vel idololatriæ, vel adulterii, vel homicidii crimen, ac ex circumstantiis facillime quodnam ex istis criminibus patratum fuisset, innotesceret. Ille autem potissimum quod secretum esset propalaret, qui denegando absolutionem cogeret manifestum reddere publica pœnitentia.

Si etiam canones peccata occulta publica pœnitentia plectenda decreviissent, fraternæ correctionis ordinem omissum cum Jacobo Parvo crederem; cum hunc ordinem ita Christus instituerit, ut proximi famæ occulta correctione consuleretur, quoadusque ad extorquendam emendationem non esset necesse illum ad Ecclesiam deferre. Respondet Natalis ratione publicæ pœnitentiæ innotuisse quidem, eidem mancipatos gravissimum, sed occultum crimen perpetrasse, at hoc notum factum fuisse ipsis volentibus & consentientibus; siquidem cogi a Sacerdotibus non poterant, quamvis ipsi pœnitentes publicam pœnitentiam amplecterentur. At animadvertendum ita velle Natalem illos subire debuisse publicam pœnitentiam, ut si renuerent, absolutio posset illis denegari, ut constat ex §. *Verum in consilii*, &c. At quæ major coactio, quam nolie sacramentali absolutione donare illum, qui aliquid facere renuat? atque ita gravissimum delictum occultum, quod non fuisset necesse ad emendationem manifestare, ratione publicæ pœnitentiæ non sine pœnitentis infamia publicum evasisset. Et quidem quamvis Deo satisfacere, & pœnitentiæ operibus proximos ædificare turpe non sit, miror quomodo opinari potuisset Natalis, non passurum famæ jacturam, qui publica pœnitentiæ opera peragendo, se vel idololatriæ, vel homicidii, vel adulterii crimine reum esse detegisset?

Neque hic ad rem est disciplina Societatis Jesu, in qua prætermissa privata monitione reus Superiori denunciatur, quamvis aliquam famæ jacturam debeat subire. Non est, inquam, ad rem, quia unusquisque volens & lubens Societatis leges profitetur, atque ita liberrima voluntate se subjicit illi regulæ, qua imponitur ipsius delictum Superiori denunciandum, atque ita juri suo renunciat. At in casu nostro pœnitens etiam ex ordine a Jesu Christo præscripto habens jus ad suam famam, cogeretur illi renuntiare, ni vellet sacramentali absolutione carere, unde non plena libertate suo juri renuntiando, debuisset se gravissimi criminis reum manifestare; atque ita ordo fraternæ correctionis fuisset inversus, quia cogeretur publicum facere suum delictum, quando ad sui emendationem non fuisset necessarium.

Demum adverto facillime tunc futurum, ut pœnitentes occulta sua crimina Sacerdoti non detegerent, si sciviissent publicam sibi imponendam pœnitentiam. Omnes sciunt quantum etiam modo quædam peccata, & maxime inhonesta occultentur, quamvis apud Ecclesiam prodenda non sit pœnitentia. Quid ergo timendum non fuisset, ubi gravissima peccata publica pœnitentia fuisent quodammodo detegenda? Mihi persuadere non possum Ecclesiam pœnitentes in tam graves angustias redigere voluisse.

Adversam mihi sententiam primo probat Natalis eo generali argumento, quod cum canones pœnitentiam publicam imposuerint graviorum criminum reis, nuspiam distinguendo inter crimina publica & occulta, non est cur hujusmodi crimina a publicæ pœnitentiæ legibus excepta arbitremur. Sed respondendum, quod si hoc argumentum robur haberet, eodem modo punienda fuisent peccata publica & occulta; quia dum uni peccato pœnam decernunt, non aliam publico, aliam occulto crimini imponunt: & tamen ratio dictat peccata publica fuisse rigidiore pœna plectenda, publicam nempe illam reddendo, utpote quæ semper aliorum scandalum comitatur. Canones ergo quia erant breves agendorum regulæ, non poterant omnes exceptiones continere, & juxta

usum

uſum communem interpretabantur. Sed & falſum eſt canones inter publica & occulta crimina non diſtinxiſſe, ut ſtatim ab initio vidimus ex S. Baſilio. Sed & Concilium Vaſenſe I. an. 442. can. 8. ita ſtatuit: *Si Epiſcopus ſe tantum alieni ſceleris conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat; ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correctionibus elaboret, illo quamdiu probari nihil poteſt, in communione omnium permanente*. Et Concilium Neocæſareenſe can. 4. peccatum ſola cogitatione commiſſum liberum declarat a ſubeunda publica pœnitentia. Etiam ratio, quæ affertur imponendæ publicæ pœnitentiæ, quia nempe crimina publice & cum multorum ſcandalo fuerunt perpetrata, demonſtrat ſacros canones pro peccatis prorſus occultis publicam pœnitentiam non decreviſſe. Ita habet Concilium Carthaginenſe III. can. 32. quem ſibi objicit Natalis in ſecunda objectione ad primam propoſitionem; nec umquam intelligere potui, qua ratione eidem reſpondendo ex eo inferat canone tam peccata publica, quam occulta publicæ ſubdita fuiſſe pœnitentiæ. Idem tradunt S. Auguſtinus, & S. Cæſarius, quos ſibi opponit Natalis in prima objectione, quibus addi poteſt S. Eligius hom. 16. in fine ubi ſic ait: *Vos propterea fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam*. Hæc & hujuſmodi elidit Natalis dicendo raro dari peccata, quæ in aliorum ſcandalum non ſint, v. g. complicis; etenim ob imponendam publicam pœnitentiam requirebatur peccatum, quod in ſcandalum fuiſſet aliorum, quia fuiſſet publica actione commiſſum; atque ita Concilium Carthaginenſe ſupra citatum illud vocat *publicum, & vulgatiſſimum crimen*. Et S. Cæſarius dicit fuiſſe peccatum, quod ſe prodebat *cum plurimorum afflictione, vel cum multorum deſtructione*; & S. Eligius ex publica actione criminali publicam infert pœnitentiam. Ubi ergo peccatum in ſecreto fuerat commiſſum cum paucorum ſcandalo, ſicut non ceſſabat eſſe ſecretum, ita a publica pœnitentia erat immune; quod non deſinit innuere S. Auguſtinus *ſerm. 82. alias 16. de verb. Domini c. 7.* his verbis: *Ergo corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius*.

Opponit deinde Natalis S. Ambroſii auctoritatem, qua occulta crimina publica pœnitentia deleta fuiſſe aſſerit. Verum cum S. Ambroſius de eo loquatur, qui *propter Chriſtum ſtudioſe pœnitentiam egerit*, nil aliud ſignificaſſe puto, quam peccatores occultos ex pietatis impulſu ſeu de conſilio ſacerdotis, aliquando publicam pœnitentiam ſubiiſſe, ad quam tamen nego ex vi canonum adſtrictos fuiſſe. Dum vero addit: *Volo veniam reus ſperet, & petat cum lachrymis, &c.* explodit errorem Novatianorum, quem data opera in eo libro confutare aſſumpſerat, atque ita aſſeruit perfuncta pœnitentia veniam eſſe concedendam. Et quidem ſi quis diceret S. Ambroſium voluiſſe peccata occulta publicæ pœnitentiæ eſſe ſubjicienda, cum ibi generaliter de peccatis ſermonem habeat, dicere oporteret omnia indiſcriminatim peccata mortalia eidem pœnitentiæ addicta voluiſſe, quam diſciplinam viguiſſe in Eccleſia negat idem Natalis, Morinus, &c.

Sed neque Epiſtola Innocentii I. ad Victricium convincit, ut putat Natalis, occulta crimina fuiſſe publica pœnitentia delenda. Innocentius igitur non fuit interrogatus de ſecreta aut publica pœnitentia peragenda, ſed an expectanda eſſet mors illius, cui Monialis ſe clam conjunxerat, ut pœnitentiæ addiceretur, ſicut expectabatur, dum publica nuptiarum figura intervenerat; & Innocentius reſpondit in utroque caſu expectandam eſſe mortem complicis. Sed & illud addendum perperam id adduci in exemplum criminis vere occulti, quod dixi ſacros canones publicæ pœnitentiæ non addixiſſe. Quamvis igitur nuptiæ illæ dicantur clanculo celebratæ, quia in facie Eccleſiæ matrimonium non fuerat contractum, non tamen revera occultæ dici poterant, cum impoſſibile foret multis non innotuiſſe, cum viderent Monialem apud virum manere, unde legi publicæ pœnitentiæ eſſe poterant obnoxiæ.

Minoris momenti ſunt quæ deinde opponit ex S. Auguſtino; nil aliud etenim ex eis inferre licet, quam peccata occulta fuiſſe poſtea publicæ addicta pœnitentiæ, quando ex aliorum delatione publica evadebant. At hoc quis negare audeat? Cæterum etiam qui cum ſcandalo peccaverant, ſed nec deferebantur, nec patrati criminis convincebantur

cebantur, aliquando pœnitentiam publicam vel ex sua pietate, vel ex sui Sacerdotis consilio subibant; & de his loquens S. Cæsarius Arelatensis *hom.* 1. *inter* 14. quas edidit Basnagius, ita ait: *Ille qui pœnitentiam publice accepit, poterat eam secretius agere; sed credo considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere.*

Ad ea vero quæ opponit Natalis ex S. Leone, respondendum, optime dici posse S. Leonem loquutum de Idololatria, vel homicidio publico &c. dum dicit hujusmodi reos non esse ad communionem admittendos, nisi per publicam pœnitentiam. Nec obest Natalem observasse, quod si homicidia fuissent publica, capitali supplicio fuissent vindicata; nam ultraquamquod poterat hæc pœna evadi, si ad Judicem, licet publica essent, non deferebantur, vel non satis probabantur, adhuc poterant a Principe condonari, quod primis illis temporibus facile obtinebatur vel numerando ipsi Principi, seu parti læsæ pecuniam, vel intercedentibus apud Principes Episcopis, ut observat S. Augustinus *ep.* 153. *alias* 54. *ad Macedon.* Poterat etiam delinquens pœnam evadere ad Ecclesiam confugiendo, ut ex Concilio Remensi c. 7. an. 630. celebrato. Ubi ergo eveniisset homicidium legum civilium severitate non plecti, adhuc nonnisi peracta publica pœnitentia ad communionem non erat reus admittendus.

Ad illud quod addit Natalis ex eodem Pontifice respondeo, ibi S. Leonem improbare tantum publicam confessionem, quia de eadem tantum agebatur. Silet de publica pœnitentia, quia de ea non erat quæstio. Verum ratio improbandæ publicæ confessionis vigebat etiam pro improbanda publica pœnitentia pro peccatis occultis infligenda, nam primam condemnat *ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referare, quibus possunt legum constitutione percelli. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia pœnitentis.*

Demum nullius sunt roboris, quæ tandem ad confirmandam suam propositionem adducit Natalis. Dum dixi igitur ex antiqua Ecclesiæ disciplina secreta delicta non fuisse publicæ pœnitentiæ addicta, loquutus sum de secretis delictis, quæ & secreta perseverabant, cum soli patefierent sacerdoti sacramentali absolutione delenda. Ubi vero publica evadebant vel ex aliorum testimonio, vel ex propria & spontanea confessione, minime nego ratione talium delictorum potuisse Clericos deponi, & laicos publicæ addici pœnitentiæ. Porro exempla, quæ habet Natalis unice probant delicta, quæ postea publica fiebant, fuisse publica pœna mulctata. Sed & Natalis argumentum adversus ipsum retorquendo, observo Concilia clericos deponendos voluisse propter ea crimina, propter quæ laici excommunicantur: unde Concilium Rotomagense ait: *Pro tanto habetur sacerdotem ab officio removere, pro quanto laicum a communione cessare. Nam unde laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris submoventur.* Similia habet Conventus Pistensis sub Carolo Calvo *can.* 20. At laici propter peccata prorsus occulta non excommunicabantur. Et Concilium Neocæsarienses *can.* 3. postquam dixit Presbyterum offerre non debere, si confessus fuerit crimen, quod post ordinationem perpetraverat, subdit: *Si de se non fuerit confessus, & argui manifeste nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.* Si ergo ubi crimen occultum perseverabat, clericus in suo gradu poterat permanere, neque laicum ob hujusmodi crimen publicæ subditum pœnitentiæ dicere ex Natalis argumento debemus.

Restat modo quædam generaliter observare, ad hoc disciplinæ caput magis elucidandum. Primum est quædam testimonia PP. afferri a contrariæ opinionis Assertoribus, & præcipue a Morino, quæ si recte expendantur, nil aliud probant, nisi de peccatis sincere esse pœnitendum, eaque clavibus Ecclesiæ esse subjicienda. Quod si aliquis contendat PP. voluisse ex canonum præscripto etiam secreta peccata antiquitus publica pœnitentia fuisse punita, nullum perfecto reperire erit peccatum, quod ab eadem esset immune; quod tamen verum non esse Natalis, Morinus, aliique fatentur.

Deinde observandum, quod etsi PP. tam vehementer adhortentur peccatores, ut deposito pudore in conspectum Ecclesiæ prodeant, non proinde sequitur ex jure canonum publicam pœnitentiam a prorsus occultis peccatoribus subeundam fuisse. Primo, bene

horta-

hortari potuerunt ad verecundiam excutiendam, licet ſecreta eſset confeſſio, & ſecreta futura eſſet pœnitentia, ſicut modo facere non deſinunt ſacri concionatores. Secundo illa adhortatio dirigi potuit; ut excitarent fideles ad id, quod ex Eccleſiæ quidem præcepto faciendum non eſset, ſed quod tamen efficacius eſſet ad Deo ſatisfaciendum, cum tunc etiam ſponte publicam ſubirent pœnitentiam. Tertio adhortari poterant ad verecundiam dimittendam, quamvis ageretur de peccatis, quæ vellent canones publicæ pœnitentiæ addicta. Cum etenim ad hanc pœnam imponendam ſuffecerit, ut non amplius ſecreta dici poſſent, quia nempe non ſolum complici, ſed aliis etiam innoteſcebant, vel quia ex facto ipſo apparebant (qua ratione apud S. Baſilium can. 22. apparebat crimen occultum raptoris, mulierem apud ſe retinendo) adhuc reſtabat illum gravem vincere pudorem, quo pœnitentes erant ſuffundendi, dum ratione publicæ pœnitentiæ univerſæ Eccleſiæ graviſſimi criminis reos ſe prodere adigebantur.

Tertio non prætereundum, quandoque PP. eodem modo loqui de pœnitentia pro peccatis publicis & occultis, quia eadem pro iis imponi poterat dempta ſolemnitate.

DISSERTATIO VII.

De Abſolutionis denegatione, in ſupremo vitæ diſcrimine, quorumdam criminum reis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum primis Eccleſiæ Seculis, & tertio præſertim, negata ſit Abſolutio Sacramentalis quibuſdam criminibus?

CEnſent viri quidam eruditi, idololatriæ, homicidii, & mœchiæ reis, Pacem, Communionem, ſeu Abſolutionem Sacramentalem a florentiſſimis Eccleſiis, Romana ſcilicet, Carthaginenſi, & Hiſpanienſi eſſe negatam, in ſupremo etiam vitæ diſcrimine: eamque ſententiam validiſſimis argumentis ſibi probare videntur. Nos quid ea de re ſentiamus, quanta fieri poterit perſpicuitate, ſequentibus Propoſitionibus exponemus.

PROPOSITIO I.

Canonicorum criminum reis, in ſupremo vitæ diſcrimine, Abſolutio Sacramentalis negata eſt, ſi in infirmitate dumtaxat Pœnitentiam poſtulaſſent.

PRobatur primo ex S. Cypriano, Epiſtola 52. ad Antonianum. *Idcirco*, inquit. *Frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſua profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis; ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed morbi urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Porro nomine communicationis & pacis, non Communionem tantum Euchariſticam, ſed Abſolutionem a peccatis intelligi manifeſtum eſt, quia peccatores illi, non delicti Pœnitentia duci, ſed mortis metu ad eam poſtulandam compelli ſupponebantur. Iis autem, quibus nullus ſupponebatur ineſſe veræ Pœnitentiæ ſenſus, Abſolutionem fuiſſe denegatam, exiſtimare par eſt.

Probatur ſecundo ex Concilio Arelatenſi Primo, quod anno Chriſti 314. celebratum eſt, cuique ducenti Epiſcopi interfuerunt, Canone ultimo, quo ſic decernitur: *De his qui apoſtatant, & numquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, ne quidem Pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti, petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Certe Abſolutio Sacramentalis non conceditur, niſi iis qui dignos Pœnitentiæ fructus egerint,

rint: ut enim ait Sanctus Gregorius, seu potius alius Auctor Commentarii in librum Regum sub ejus nomine diti, lib. 6. in c. 15. primi Regum: *In fructu, non in foliis, aut ramis, Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcirco omnis Confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia Confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Cum igitur Concilium Arelatense Apostatis, qui infirmitate correpti, Communionem petunt, eam propterea neget, quod fructus dignos Pœnitentiæ non egerint; non de Communione tantum Eucharistica, sed etiam de Absolutione a peccatis, intelligendum est.

Probatur tertio ex Innocentio Primo Pontifice Max. Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum data, c. 2. Hanc Summo Pontifici proposuerat quæstionem Exuperius: *Quid de his observari oporteat, qui post Baptismum, omni tempore, incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem Communionis exposcunt.* Dupliciter illam quæstionem solvit Innocentius, & secundum antiquum Ecclesiæ morem, veteremque Disciplinam, & secundum recentiorem. Secundum antiquum morem, his verbis: *De his observatio prior durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentiam, sed Communio negaretur.* Durioris istius Disciplinæ subjungit rationem: *Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne Communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito Communio est, concessa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remissionem fecit temporis ratio.*

Posteriorem, & inclinatiorem observationem sic describit Innocentius: *Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, Communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiem subsequi videamur.* Tandem quæstioni ab Exuperio propositæ hæc Innocentius applicat: *Tribuetur ergo cum Pœnitentia extrema Communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.*

Sane Innocentium per Communionem & Viaticum intelligere Absolutionem a peccatis, evidentissimum est. Eam enim tandem concessam esse dicit iis, qui Pœnitentiam in extremis tantum postulaverant, ne duritiem Novatiani sequi videretur Ecclesia. At controversia Novatianos inter & Catholicos intercedebat, non de negatione Communionis Eucharisticæ tantum, sed de negatione Absolutionis Sacramentalis, & veniæ.

2. Illa Communio a perpetuo exitio vindicabat, (inquit Innocentius) erat igitur Absolutio a peccatis.

3. Sancti Cypriani ætate, quam spectavisse videtur Innocentius, Absolutio ab Eucharistica Communione nullo sejungebatur intervallo: igitur si Eucharistia denegata est iis, qui Pœnitentiam in extremis flagitabant, negata etiam illis est Absolutio. Antecedens constat ex Sancto Cypriano, apud quem pacem dare, & Eucharistiam porrigere, prorsus idem significat. *Censuimus* (inquit Epistola 54.) *eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & instrui oportere: at vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus, communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut accipientibus possit esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus?*

4. Frustra dixisset Innocentius, priorem observationem duriorem, posteriorem vero inclinatiorem, nisi prior Disciplina denegasset Absolutionem a peccatis, iis qui in mortis periculo constituti Pœnitentiam primum postulabant: quia ut Absolutio a peccatis

sine

ſine Communione tribueretur, non ſolum Innocentii ævo, ſed multis poſt Sæculis, ſæpius obſervatum eſt, & etiamnum in Galliis erga criminum capitalium reos ad mortem damnatos obſervatur.

Denique prior illa obſervatio vigebat, inquit Innocentius, *Ne Communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu*. Secundum priorem itaque Diſciplinam non reconciliabantur, nec abſolvebantur a peccatis. Ex his colligе, fruſtra viros quoſdam eruditos contendere Abſolutionem Sacramentalem nullo in caſu negatam fuiſſe ab Eccleſia. Sed collige, rurſus eos abuti auctoritate Innocentii, qui ex ea probare nituntur Eccleſiam Roman. idololatris, homicidis, & mœchis, Abſolutionem a peccatis in ſupremo vitæ diſcrimine negaſſe: cum aliam omnino hypotheſim ſpectet laudatus Pontifex, & de iis tantum loquatur, *qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ, Pœnitentiam ſimul & reconciliationem Communionis expoſcunt*.

Objiciet quiſpiam. Non eſt exiſtimandum veterem Eccleſiam in eo errore fuiſſe, quem in Novatiano damnavit: atqui ſi denegaſſet Abſolutionem moribundis, in eo errore fuiſſet, quem in Novatiano damnavit. Nuſquam itaque Abſolutio a peccatis denegata eſt Lapſis ab Eccleſia, ſed Euchariſtica tantum Communio.

Reſp. diſtinguo min. Si denegaſſet Abſolutionem moribundis Pœnitentia functis, concedo; moribundis Pœnitentiam in extremis dumtaxat poſtulantibus, nego. Itaque iſtud erat diſcrimen inter duriorem illam veteris Eccleſiæ Diſciplinam, & errorem Novatianorum: quod illi Hæretici Lapſis quocumque in caſu Abſolutionem ab Eccleſia poſſe concedi inficiarentur, etiamſi plenam Pœnitentiam egiſſent: quia capitalia delicta, idololatriam ſcilicet, homicidium, mœchiam, & quæcumque mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, pertinaciter contendebant irremiſſibilia eſſe, nec ad illorum remiſſionem extendere ſe Eccleſiæ Claves. At Vetus Eccleſia Lapſis Pœnitentia legitima functis, vel eam dum ſani eſſent, poſtulantibus, & agere ferventer incipientibus, non negabat Abſolutionem; ſed iis ſolum qui in ſupremo vitæ diſcrimine ad Sacerdotes confugiebant, & Pœnitentiam ac reconciliationem ſimul flagitabant. Nec abſque ratione illam erga Peccatores, Pœnitentiam ad exitum uſque ſuum differentes, ſeveritatem exercebat Eccleſia: Supponebat enim vix converſionem ſic dilatam, veram, ſinceram & legitimam eſſe, quia mortis metu frequentius, quam odio peccati, & Dei ſuper omnia amore compellebantur ad Pœnitentiam in his anguſtiis flagitandam, ut ex S. Cypr. conſtat: *Rogare illos*, inquit, *non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit*.

Dubiam eorum converſionem ac Pœnitentiam ſemper habuit Eccleſia, qui ad horam mortis illam diſtulerant.

Hinc Eccleſia, etiam poſtquam priorem illam ſeveritatem mitiori Diſciplina emollivit, & conceſſit Abſolutionem etiam illis qui imminente mortis periculo illam rogaverant, & converſionem ad illas uſque diſtulerant anguſtias, ſignificavit ſe vehementer dubitare de hujuſce converſionis & pœnitentiæ ſinceritate, necnon de Abſolutionis efficacia, propter probabilem indiſpoſitionem Pœnitentis. Unde ſic Pœnitentes, & abſolutos in extremis, immo & Euchariſtia donatos, iterum Pœnitentiæ publicæ, ſi convaluiſſent, ſubjecit. Id conſtat primo ex S. Gregorio Nyſſeno in Epiſtola Canonica ad Letojum, Can. 1. quo ubi Apoſtatæ a fide, Pœnitentiæ tempus vitam omnem præſcripſit, hæc ſubjungit: *In hora autem ſui e vita exceſſus, Sacramenti Communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut iis præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio; myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum uſque expers*.

Sic pœnitentes & abſolutos in extremis, immo & Euchariſtia donatos, ſi convaluiſſent, publica Pœnitentia iterum ſubjiciebat.

Secundo idem conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. Canone 76. quo decernit, ut is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate fuerit, vel in phreneſim verſus, dantibus teſtimonium, qui eum audierunt, accipiat Pœnitentiam: *Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Et mox addit: *Si ſupervixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum; & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probaverit*. Et poſtquam Canone 77. decrevit, ut *Pœnitentes qui in infirmitate ſunt, Viaticum accipiant*, hæc addit Canone 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos, ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint*.

Ter-

Tertio idem constat ex Concilio Arausicano I. Canone 3. ita decernente: *Qui recedunt de corpore, Pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, & ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.* Vocant illam Communionem legitimam Patres: quasi legitimam non esse suspicarentur, quæ infirmis Pœnitentiam imminente obitu, aut vi morbi premente, flagitantibus data erat.

Quarto idem constat ex Concilio Epaonensi, Can. 36. cujus hæc sunt verba: *Nullus sine remedio, aut spe veniæ ab Ecclesia repellatur, neve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur. Sed si cui forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constituta tempora relaxentur. Quod si ægrotum accepto Viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spatia observare convenit.*

Verum Pœnitentiæ in extremis actæ, & concessæ absolutionis incertum effectum, habita ratione indispositionis quæ frequentius inest Pœnitentis animo ad has angustias redacti, luculenter exponit S. Augustinus, seu alius Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 57. de Tempore, cujus stylus a S. Cæsarii Arelatensis stylo parum distare mihi videtur. *Parum est*, inquit, *peccato rem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Et libro 50. Homiliarum, Homil. 41. *Qui egerit veraciter pœnitentiam*, inquit, *& solutus fuerit a ligamento, quo erat obstrictus, & a Christi Corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, a populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit; sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus, cum sanus est, & postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, & securus sum, & do securitatem: Unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.*

Cum itaque Ecclesia semper dubitaverit de valore Pœnitentiæ in extremis actæ, & de absolutionis tunc concessæ efficacia, habita ratione status, ad quem redactus est his in angustiis peccator, quia potius dimitti videtur a peccato, quam dimittat ipse peccata, illisque renuntiet, ut ait ibid. S. Aug. *Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*: Mirum nemini esse debet, quod vetus Ecclesia præsumens conversionem illorum, qui in extremis dumtaxat positi, seu gravi infirmitate correpti, Pœnitentiam postulabant, veram ac sinceram forte non esse, illis Absolutionem Sacramentalem negaverit.

PROPOSITIO II.

Quidam Episcopi Africani ante Sanct. Cyprianum, mœchis, etiam in exitu, Absolutionem Sacramentalem negaverunt: quam idololatris, & homicidis negasse consequenter videntur.

PRobatur prima pars ex S. Cypriano, Epistola 52. ad Antonianum data, in qua hæc habet: *Et quidem apud Antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia*

vincia noſtra, dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen a Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem, vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur. Manente concordiæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo ſacramento, actum ſuum diſponit & dirigit unuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino reddituris.

Probatur ſecunda pars. Non eſt veriſimile quod minoris delicti reis Abſolutionem Sacramentalem in exitu negaverint illi Antiſtites, & eam conceſſerint illis, qui in majora crimina lapſi erant: Atqui idololatria & homicidium graviora ſemper crimina habita ſunt fornicatione & adulterio. Nam idololatriam Tertullianus vocat, *Principale crimen generis humani, ſummum ſæculi reatum, totam judicii cauſam. Summum delictum* ſæpe vocat S. Cyprianus. Aliquando *graviſſimum & extremum, ingens & immenſum*, Presbyteri & Diaconi Romani ad Sanctum Cyprianum ſcribentes. Cum itaque Epiſcopi Africani pacem, ſeu Abſolutionem Sacramentalem mœchis, etiam in ſupremo vitæ diſcrimine negaverint, videntur conſequenter eam negaſſe idololatris & homicidis. *Lib. de Idolol.* *S. Cyprian. Ep. 10. & 11. & 12. & lib. de Lapſis.*

Ne tamen exiſtimes, Epiſcopos illos in eodem luto cum Novatianis hæſiſſe. Nam abſolutionem mechis, homicidis, & idololatris non negarunt, *deſperatione indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ*, (ut Sanctus Auguſtinus in ſimili cauſa loquitur, Epiſt. 50.) Sicut ergo Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam, qua criminum capitalium reis ad mortem damnatis abſolutionem denegabat ad annum uſque 1396. quo hanc conſuetudinem Carolus Sextus Rex Chriſtianiſſimus, Cleri, Procerumque precibus annuens, abrogavit Edicto dato Pariſiis 4. Nonas Februarii, nemo Novatianiſmi jure inſimulaverit; ita nec Africanorum Antiſtitum ſeveritatem. Illi enim Eccleſiam poteſtatem habere peccata remittendi mœchis, homicidis, & idololatris credebant; ſed nolebant ea uti, ut ſtius diſciplinæ rigore homines a tam gravibus peccatis deterrerent. *Hoc edictum Caroli Sexti integrum refert Fontano, tom. 1. Edictorum & conſtitutionum Regum Franciæ, Tit. 68. n. 1.*

PROPOSITIO III.

Nullæ Orientis Eccleſiæ, nec celeberrimæ Occidentis, ut Romana, Carthaginenſis, Hiſpanienſis, & cæteræ Pacem, ſive Abſolutionem Sacramentalem Lapſis Pœnitentia functis umquam denegarunt.

PRobatur prima pars exemplo Sancti Joannis, qui omnes Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias, illiſque & fidei, & diſciplinæ regulas tradidit. Illius celebre factum ex Clemente Alexandrino refert Euſebius libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 17. Res ita ſe habuit. S. Joannes ex Inſula Pathmo reverſus, cum Aſiæ luſtraret Eccleſias, Adoleſcentem ingenuum & venuſtum intuitus, eum urbis Epiſcopo commendavit. Mandato Apoſtolico morem gerens Antiſtes, illum pie inſtituit, ac Baptiſmo initiavit; ſed cum erga illum de priſtinis curis nonnihil remiſiſſet, a pietate Juvenis defecit, atque a ganeonibus depravatus, dux prædonum evaſit, & in omne flagitiorum genus præceps ruit. Illam forte civitatem luſtrans Sanctus Joannes, chariſſimum ab Epiſcopo repetiit depoſitum: a quo miſerrimi adoleſcentis lapſum cum didiciſſet, equum aſcendit, & itineris duce aſſumpto, confeſtim perrexit ad locum quem prædo cum nefaria ſui ſimilium turba inſederat. Illum ut conſpexit perditiſſimus Juvenis, fugam arripuit. Ipſum vero pro viribus inſecutus Apoſtolus, his verbis revocavit ad Pœnitentiam. *Quid, fili, me tuum ipſius Patrem, inermem, & ætate confectum fugis? Miſerere laboris mei, ne formides: adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt: Ego Chriſto pro te reddam rationem: & ſi ſit opus, pro te lubens mortem oppetam, ſicut Dominus pro omnibus nobis: pro tua anima meam dabo. Conſiſte, crede; Chriſtus me miſit ad te.* Hæc audiens dux ille prædonum, *Oculis primum humi defixis conſtitit, deinde arma abjecit: tum horrore perfuſus, graviter & acerbe lamentatus eſt. Senem ad ſe adventantem complexus, fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa ſatisfecit: & dextera ſola occultata, lachrymarum unda ſecundo baptizatur. Apoſtolus rata & conſtanti aſſevera-*

veratione, ei se a Servatore veniam precibus suis impetraturum pollicetur : atque ad genua accedens, ipsam manum dexteram, tamquam aqua pœnitentiæ ablutam, purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ sapientiæ sententiis ejus animum quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque : neque prius, ut fertur, inde decessit, quam illum Ecclesiæ restituisset. Ex cujus historiæ serie colligitur, Sanctum Joannem Evangelistam non tradidisse Orientalibus Ecclesiis morem, ac disciplinam absolutionis denegandæ idololatriæ, homicidio, & mœchiæ, siquidem illum prædonum ducem multis homicidiis inquinatum, aliisque nefariis facinoribus pollutum, post brevem pœnitentiam Communioni restituit Verum nec alii Apostoli tam duram Ecclesiis disciplinam tradiderunt ut constat exemplo incestuosi Corinthii, quem Sanctus Paulus post annuam Pœnitentiam absolvit. (2. Cor. 2. cap.)

Probatur secundo ex lib. 2. Pastoris, Mandato 4. ubi Pœnitentia, & post Pœnitentiam venia, ex Angeli mandato quibuslibet peccatis, & mœchiæ sigillatim conceditur. Ejus verba refert Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum. Cum ergo liber ille maximo in pretio esset apud Ecclesias primis Sæculis, non videtur probabile quod Lapsis absolutionem in exitu negaverint.

Probatur tertio testimonio Sancti Irenæi lib. 1. adversus Hæreses, c. 9. ubi refert mulieres quasdam a Marco hæresiarcha constupratas, exomologesi facta, in Ecclesiam receptas fuisse.

Probatur quarto ex Sancto Dionysio Alexandrino, in Epistola ad Fabium, cujus fragmentum refert Eusebius l. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 36. in qua Serapionis historiam narrans, & de Sacerdote loquens ad quem ille in extremis constitutus puerum miserat, hæc habet: *Quoniam a me mandatum dabatur, ut qui jam essent vita emigraturi, Sanctorum Mysteriorum (dummodo peterent, & vel maxime si antea, dum integra valetudine erant, supplices petivissent) participes fie-rent ; sicque cum pace dimissi, & bona spe confirmati, ex hac luce decederent : puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in os Senis infunderet.* Serapion porro idolis immolaverat, & publicam propterea peragebat Pœnitentiam. Idololatris igitur, aliorumque canonicorum criminum reis, in Ecclesia Alexandrina, absolutio concedebatur & venia, si Pœnitentia functi essent.

Probatur quinto ex Canonibus, qui dicuntur vulgo Apostolici, quorum quinquagesimus primus hæc habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter a peccato revertentem non recipit, sed rejicit, deponatur : quoniam Christum molestia afficit, qui dixit : Gaudium est in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.*

Et Canone sexagesimo ita decernitur: *Si adversus Fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Certe si mœchi in perpetuum a Communione pulsi fuissent, non fuisset timendum, nec singulari Canone cavendum, ne ad Clerum promoverentur.

Et Canone 61. statuitur ut *si quis Clericus propter metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit, siquidem nomen Christi, ejiciatur : si autem nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.* Igitur qui gravissimum crimen commiserat negationis Christi absolutione donabatur, & communione Laica: multo magis illi qui minus gravia crimina perpetraverant, ut homicidium, vel fornicationem.

Probatur sexto ex Concilio Nicæno, Canone 13. ita sanciente: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario Viatico minime privetur.* Ante Concilium itaque Nicænum, jam ab antiquo, lege lata ab Ecclesia statutum erat, observatumque, ut nullus in exitu privaretur ultimo & maxime necessario Viatico. Atqui Viaticum maxime necessarium est absolutio a peccatis, non autem Eucharistia ; de qua postmodum Patres eodem Canone ita decernunt: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatio-*

ne dare debebit. Tribus igitur primis Eccleſiæ ſæculis, abſolutio non denegabatur Lapſis quibuſcumque Pœnitentia functis, in Eccleſia præſertim Orientali.

Porro quod Viatici nomine abſolutionem intellexerint Nicæni Patres, conſtat ex Arauſicano Concilio Primo, Canone 3. ita decernente: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt*.

Dices. Communio quæ ſine reconciliatoria manus impoſitione tribuebatur, non erat abſolutio a peccatis: igitur tum Nicæni, tum Arauſicani Patres abſolutionem Lapſis moribundis denegandam ſanxerunt, & ante iſta Concilia diſciplina illa in Eccleſia obſervabatur.

Reſpondeo, reconciliationem duplicem eſſe diſtinguendam, juxta Canones; primam & minimam, ultimam & maximam. Prima jus Communionis ſimplicis reſtituebat, id eſt Pœnitentes corpori Eccleſiæ redintegrabat, ſolvebat peccatorum vinculis, & omnium rerum, Euchariſtiæ dumtaxat & Oblationum uſu excepto, concedebat ſocietatem. Altera jus percipiendæ Euchariſtiæ, & communicandi Altari tribuebat, quæ vocabatur *Legitima Communio*. Ex Can. igitur Arauſic. perſpicuum eſt, Pœnitentem imminente obitu, prima, & minima reconciliatione donari potuiſſe, ſeu juri ſimplicis Communionis reſtitui, quæ, ſine ſolemni manuum impoſitione ad ſalutem ſufficeret, ſeu abſque ultima illa, & maxima reconciliatione. Enimvero major illa reconciliatio eo tantum nomine dabatur, ut Pœnitenti jus redderetur ad Euchariſtiam; ideoque cum Pœnitenti, qui extremum ſpiritum mox efflaturus erat, negata Euchariſtia eſt, eidem quoque ultima, & maxima negata eſt reconciliatio. Unde poſtquam Synodus Arauſicana ſanxit, ſine manus impoſitione reconciliatoria dari poſſe communionem, quę morientium ſufficiat conſolationi, ſive quæ ſit ad eorum ſalutem ſufficiens, addidit: *quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem*, id eſt Euchariſtiam, *cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis, de Eccleſia ſcilicet Romana, ex Epiſtolis Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum; præſertim ex Epiſtola 2. qua Lapſorum cauſas in ſuſpenſo manere decernit ad novi uſque Pontificis electionem, iiſque interim pacem dari prohibet, exceptis tamen illis qui in ſupremo vitæ diſcrimine conſtituti fuerint, quibus Abſolutionem dari jubet acta Pœnitentia, id eſt, ſi Pœnitentiam antea agere cœpiſſent, & in ejus curriculo, morbo lethali corriperentur. *Cujus*, inquit, *temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longe poſitis perſecutionis iſtius ardor ejecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed Lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus; ut interim dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur: eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre acta Pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum: ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum caute & ſolicite ſubveniri. Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera; nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem; nec vero Pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem*. Cum itaque florentiſſimus Clerus Abſolutionem Lapſis moribundis tribui jubens, non innuat ſe novi aliquid decernere, aut antiquam ſe emollire Diſciplinam, argumento eſt nuſquam antea Rom. Eccl. Lapſis, qui Pœnitentiam ſani inchoaverant, aut poſtulaverant, Abſolutionem in exitu denegaſſe. *Inter Epiſtolas S. Cypriani 31.*

Probatur tertia pars de Eccleſia Carthaginenſi, ex S. Cypriano Ep. 52. ad Antonianum data, in qua contra Novatianum ad hominem diſputans, qui cum mœchis in Schiſmatica ſua Factione, Communione junctus erat, oſtendit mœchis Communionem dari, ſecundum Apoſtoli præceptum, ſi Pœnitentiam egerint; indeque concludit contra Novatianos, pacem Idololatris etiam eſſe concedendam, ſi Pœnitentia functi fuerint,

vint: & in eos, qui Lapſis Communionem in perpetuum negabant, toto eloquentiæ impetu debacchatur. At quis exiſtimet ita vecordem fuiſſe S. Cyprianum, ut eum morem tam acri cenſura damnet, verbiſque tam vehementibus inſectetur, qui antea fuiſſet ab univerſa Eccleſia Africana receptus, & Carthagine celebris? En S. Cypriani verba: *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent Lapſis Pœnitentiam, aut Pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: Memento unde ceciderís, & age Pœnitentiam.* Et infra: *Aut ſi ſe cordis, & renis ſcrutatorem conſtituit & judicem* (Novatianus) *per omnia æqualiter judicet, & cum ſciat ſcriptum eſſe: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat; fraudatores & mœchos a latere atque a comitatu ſuo ſeparet: quando multo & gravior & pejor ſit mœchi, quam Libellatici cauſa .... Quibus tamen & ipſis,* (ſcilicet mœchis) *Pœnitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur, ſecundum ipſum Apoſtolum dicentem: Timeo ne forte veniens ad vos, lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus, & libidinibus.*

Et infra, Catholicæ Eccleſiæ Fidem & Diſciplinam circa Pœnitentiam Lapſorum reconciliationem, & Novatianorum hæreticorum in Abſolutionis denegatione crudelitatem ſic exponit: *Neminem putamus a fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum; cum ſciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pœnitentibus non denegari.* Deinde his verbis Novatianorum inhumanitatem execratur: *Atque o fruſtrandæ Fraternitatis irriſio! o miſerorum lamentantium caduca deceptio! o hæreticæ inſtitutionis inefficax & vana traditio! hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam: dicere fratribus noſtris: Plange & lachrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare; ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris; quæcumque ad pacem pertinent, facies; ſed nullam pacem, quam quæris accipies. Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum a propoſito lamentationis avertat? Operari tu putas ruſticum poſſe ſi dixeris: Agrum peritia omni ruſticitatis exerce; culturis diligenter inſiſte; ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies: nulla de arboribus poma decerpes? Vel ſi ei, cui dominium eſt, uſum navium ſuadeas, dicas: Materiam de excellentibus ſylvis mercare, frater; carinam prævalidis & electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis, operare; ſed cum hæc feceris, fructum de actibus ejus & curſibus non videbis? Præcludere eſt atque abſcindere iter doloris, ac pœnitendi viam, ut cum in Scripturis Dominus Deus revertentibus ad ſe, & Pœnitentibus blandiatur, noſtra duritia & crudelitate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur, Pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi invenimus a Pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi; admittendus eſt plangentium gemitus, & Pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos Confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt: qui ex toto corde pœnituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſervari, qui ad Eccleſiam ſuam venturus, de illis utique, quos in ea intus invenerit, judicabit.* Cum itaque illæ Sancti Cypriani rationes adverſus Novatianorum duritiam, æque efficaces fuiſſent adverſus Diſciplinam Eccleſiæ Africanæ, ſi tam dura extitiſſet, ut denegaſſet Abſolutionem Lapſis Pœnitentia functis; veriſimile non eſt quod Africana Eccleſia Lapſis Pœnitentiam agentibus pacem, & Abſolutionem in exitu uſquam denegaverit.

Probatur ultima pars de Eccleſia Hiſpanienſi. Si ex aliquo Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumento probari poſſet Lapſis Pœnitentibus Abſolutionem Sacramentalem fuiſſe denegatam in exitu, maxime ex Concilio Illiberitano, cujus Canones in criminum gravium reos hanc frequenter pœnam decernunt, *Nec in fine accipiant Communionem*, vel, *Placuit nec in fine eos ad Communionem ſuſcipere* (ut conſtat ex Canonibus 1. 2. 3. & aliis:) atqui nomine Communionis non intellexerunt Illiberitani Patres Abſolutio-

lutionem Sacramentalem, ſed Euchariſtiam. Nemo igitur hujus auctoritate Synodi evincet, Lapſis Pœnitentia functis negatam fuiſſe ab Eccleſia Hiſpanienſi Abſolutionem Sacramentalem.

Probatur minor. Communio Dominica, & Communio pacis, de qua Fideles edunt, Euchariſtia eſt, non Abſolutio a peccatis. Licet enim Abſolutionem Communionis nomine Patres & Concilia ſæpius ſignificaverint; quoties tamen hoc epithetum, *Dominica*, addiderunt, Euchariſtiam deſignavere; quod fecerunt etiam quoties Communionis nomini vocem aliquam adjunxerunt, quæ manducationem ſignificat, vel ad eam ordinem dicit. Sed Illiberitani Patres eam Communionem dumtaxat Lapſis negant in exitu, quam vocant poſtea Communionem Dominicam, & Communionem pacis, de qua edunt Fideles: de Communione igitur ſive ſuſceptione Euchariſtiæ, non vero de Abſolutione a peccatis intelligendi ſunt, cum nec in fine dandam Communionem decernunt.

Probatur minor ex Canone 3. qui de Flaminibus, poſt peractam pœnitentiam, Communione in exitu refectis conſtituit, ut ſi mœchiæ ſordibus, reſtituta valetudine, ſeſe iterum inquinaverint, a Communione poſtea perpetuo repellantur, ne videantur luſiſſe de Communione Dominica. En verba Canonis: *Item, ſi poſt Pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius eis non eſſe dandam Communionem, ne luſiſſe de Dominica Communione videantur.*

Idem colligitur ex Canone 47. ita decernente adverſus conjugatum, qui ſæpius mœchatur: *Si quis Fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus; quod ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei Communio: ſi reſuſcitatus, rurſus fuerit mœchatus, placuit ulterius non edere eum de Communione pacis;* vel, ut habent alii Codices, *non ludere de Communione pacis.* In Codicibus aliis legitur, *de Communione panis.* Sed quocumque modo legatur, perſpicuum eſt hæc verba ad Communionem Euchariſtiæ eſſe referenda.

Idem conſtat ex Canone 54. quo decernitur, ut parentes, qui ſponſaliorum fidem a filiis datam fregerint, *triennii tempore abſtineant ſe a Communione.* Certe nomine Communionis hic intelligi Euchariſtiæ perceptionem, evidens eſt; nam abſtinere ſe a remiſſione peccatorum, vel Abſolutione, dicitur nemo, ſecundum modum loquendi a Patribus & Auctoribus Eccleſiaſticis uſurpatum: recte autem dicitur abſtinere ſe ab Euchariſtia.

Secundo probatur ex Canone 46. quo Idololatris exceptis, indulgetur Apoſtatis Communio poſt decennium Pœnitentiæ: non eſt igitur veriſimile, quod fornicatoribus & adulteris, quorum minus erat quam Apoſtatarum crimen, Communionis abſolute ſumptæ, ſeu Abſolutionis a peccatis perpetuo beneficium Patres negaverint. En Canonis verba: *Si quis fidelis Apoſtata, per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit; ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit Idololatra, poſt decem annos placuit eum Communionem accipere.* Idem ſancitum eſt de Catholicis ad hæreſim deficientibus, Canone 22. *Si quis de Catholica Eccleſia ad hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque ad Eccleſiam recurrerit, placuit, huic pœnitentiam non eſſe denegandam: eo quod cognoverit peccatum ſuum; qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari Communio debet.*

Tertio. Pontifices, & Concilia, quæ Communionis perpetuam privationem in certorum criminum reos decernunt, ipſis Illiberitanæ Synodi verbis, ejuſque etiam laudatis Canonibus, non intellexerunt nomine Communionis Abſolutionem Sacramentalem. Cum enim longe poſt Nicæni Concilii tempora ſcriberent, quod Abſolutionem in exitu Lapſis dari conſtituit, & iis Sæculis, quibus jam remitti cœperat Pœnitentialis Diſciplinæ ſeveritas, incredibile eſt, quod ſecuti fuerint Diſciplinæ illius duritiem, quæ Lapſis Pœnitentia functis Abſolutionem denegaſſet. Itaque nec Illiberitani Patres, quorumdam reos criminum perpetuo privantes Communione, Abſolutionem Sacramentalem, Communionis nomine intellexerunt, ſed Euchariſtiam.

Antecedens conſtat ex Adriano I. qui in ea Canonum Collectione, quam fecit ad cauſæ ſuæ tuitionem, ſeptuageſimum quintum hujus Concilii Canonem eiſdem verbis

retulit. *Si quis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse Communionem.* Idem constat ex Concilio Colonienſi ſub Carolo Craſſo Imperatore, Canone ſexto, in quo decimus tertius Illiberitani Concilii Canon refertur totidem verbis, & probatur: *De Virginibus, ſi mœchatæ fuerint, ſtatuimus, ſicut in Concilio Illiberitano, Canone 13. ſcriptum eſt: Virgines quæ ſe Deo dedicaverunt, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit nec in fine dandam eis eſſe Communionem.* Eadem habet Concilium Moguntinum Tertium tempore Arnulfi Regis, Canone 26. Idem colligitur ex Concilio apud Sanctum Medardum in Suburbio Sueſſionenſi, tempore Caroli Regis, in quo ad finem Canonis ultimi hæc habentur: *Unde & iidem Fratres, qui felle amaritudinis majores natu criminati ſunt, quorumque vox muta fore eſt judicata, juxta canonicam auctoritatem, ſecundum Concilium Illiberitanum, cap. 75. Si quis, inquiens, Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe Communionem.*

Objectio. Impugnatur ſecunda pars propoſitionis auctoritate Tertulliani, qui diſertis verbis teſtatur, ſuo primum tempore pacem mœchis in Eccleſia Romana & Africana indultam fuiſſe, Zephirino priſcam ſeveritatem erga ipſos remittente; Idololatris vero & homicidis fuiſse in utraque Eccleſia negatam. Unde in Catholicos hoc argumento utitur in libro de Pudicitia: Idololatris & homicidis pacem negatis; debetis igitur & mœchis eam denegare. Porro non ita ſenſu deſtitutus erat Tertullianus, ut ſic ratiocinari potuiſſet, niſi res fuiſſet omnibus explorata, Pacem, ſive Abſolutionem Sacramentalem homicidis, & idololatris, Romæ, & in Africa, denegari. En Tertulliani verba libro de Pudicitia, cap. 5. *Pompam quamdam atque ſuggeſtum aſpicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii inſequentis. Inter duos apices facinorum eminentiſſimos ſine dubio digna conſedit, & per medium eorum quaſi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circumfultam a cohærentium corpore divellet? De vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu, ut ſolam eam ſecernat ad pœnitentiæ fructum?* Et infra: *Quid agis molliſſima & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebis: Beati enim pacifici; aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis; idololatræ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, utriuſque collegam.*

Et cap. 9. *Cæterum ſi in hoc geſtit diverſa pars, ovem, & drachmam, & filii luxuriam Chriſtiano peccatori configurare, ut mœchiam & fornicationem Pœnitentia donet, aut & cætera delicta pariter capitalia concedi oportebit, aut paria quoque eorum mœchiam, & fornicationem, inconceſſibilia ſervari.*

Et cap. 12. *Noviſſimi Teſtamenti ſemper indemutabilis ſtatus eſt, & utique recitatio decreti, conſiliumque illud cum ſæculo deſinet. Satis denegavit veniam eorum, quorum cuſtodiam elegit; vindicavit, quæ non proinde conceſſit. Hinc eſt quod nec ſanguini pax ab Eccleſiis redditur.*

Capite denique ultimo ſic colligit: *Quæcumque auctoritas, quæcumque ratio mœcho & fornicatori pacem eccleſiaſticam reddit, eadem debebit & homicidæ, & idololatræ pœnitentibus.*

Reſponſio. Reſpondeo, Tertullianum inhumanam illam erga homicidas & idololatras diſciplinam, Eccleſiæ falſo affingere. Licet enim Zephirinus priſtinam ſeveritatem erga mœchos nonnihil temperaverit, non tamen ipſis tunc primum communionem & veniam ſanxit eſſe concedendam. Nec etiam homicidis & idololatris pax ab ipſo, aut ab aliis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus denegata eſt. Tertullianus itaque Montaniſta, in libro de Pudicitia, quem adverſus Eccleſiam conſcripſit, pro Hæreticorum more & ingenio imponit Catholicis, falſoque aſſerit, ipſos homicidis & idololatris pacem negaviſſe. Hæc autem Tertulliani in Eccleſiam calumnia ex ipſius Scriptis meridiana luce clarius demonſtratur: & rem aliter ſe habuiſſe quam referat, his evincitur momentis.

Primo, quia initio libri de Pudicitia, teſtatur ſe mutaſſe ſententiam, quam in libro de Pœnitentia propugnavit, quæ Catholicæ Eccleſiæ ſententia erat, atque fides.

Erit

Erit igitur, inquit; *& hic adversus Psychicos titulus*; *adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent*. Cum itaque in toto libro de Pudicitia illum unum præstituerit sibi scopum, ut ostenderet peccata graviora esse irremissibilia, præsertim idololatriam, homicidium, & mœchiam: recte colligitur ipsum aliter sensisse, cum scripsit librum de Pœnitentia. Cumque idololatriæ, & homicidio pacem, id est, absolutionem, denegari ab Ecclesia asserat, consequens est illum sensisse, cum adhuc in Ecclesiæ castris militaret, nullum peccatum esse irremissibile, & graviora etiam crimina, ut idololatriam, homicidium, & mœchiam, remitti Pœnitentibus per Ecclesiæ claves.

Secundo, in libro de Pœnitentia, cap. 8. idololatras & mœchos ad Pœnitentiam invitat, spe reconciliationis & veniæ ab Ecclesia obtinendæ. *Offendisti*, inquit, *sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum, & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat; Sardos non plenorum operum incusat; Pergamenos docentes diversa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis objurgat. Et tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignorasset pœnitenti*. Falsum igitur est quod Tertullianus in libro de Pudicitia asserit, idololatris & homicidis veniam fuisse ab Ecclesia denegatam.

Tertio id probatur ex ipso libro de Pudicitia, c. 3. ubi Catholicorum adversus Montanistas luculentissimam ratiocinationem refert, tribus propositionibus innixam, quarum prima hæc est: *Omnis criminis agenda est pœnitentia*. Secunda: *Omni Pœnitenti danda est venia, alioqui Pœnitentia inutilis foret*. Tertia: *Veniæ illius concedendæ potestas est penes Ecclesiam*. Ecclesiæ itaque doctrina, & disciplina illis temporibus, quorumlibet criminum reis Pœnitentiam; & ubi Pœnitentia functi essent, absolutionem & veniam concedebat. En rationem Catholicorum, Tertulliani verbis expressam. *Sed prius decidam intercedentem ex diverso responsionem ad eam pœnitentiæ speciem, quam cum maxime definimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua Pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur pœnitentia, si caret venia. Omnis autem Pœnitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agatur. Porro frustra agetur, si venia carebit. Merito itaque ita opponunt, quoniam hujus quoque Pœnitentiæ fructum, id est, veniam, in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos, a quibus pacem humanam consequitur; quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur*. Ex his evidentissimum est, Ecclesiam Tertulliani tempore, concessisse veniam & absolutionem, non solum mœchis, sed etiam idololatris, & homicidis. Nam contra denegationem veniæ trium istorum criminum, aliorumque omnium reis, æque pugnat Catholicorum ratio; Pœnitentiam scilicet inutilem fore, si venia & absolutione ab Ecclesia concessa non compensetur.

Quarto, Scripturæ Sacræ testimonia, quibus adversus Tertullianum & Montanistas pugnabant Catholici, non mœchis dumtaxat, verumetiam idololatris, & homicidis, & quorumlibet criminum reis, modo pœnitentiam agerent, veniam esse concedendam demonstrabant. Utebantur enim (ut constat ex Tertulliano in lib. de Pudicitia) Parabolis ovis & drachmæ perditæ, & filii prodigi in gratiam recepti a patre. Proferebant etiam hæc testimonia ex Epistola Sancti Joannis: *Sanguis Filii enim ejus emundat nos ab omni delicto*: &, *Si confitemur delicta nostra, fidelis & justus est, ut dimittat ea nobis, & emundet nos ab omni injustitia*.

Ultimo. Catholici Montanistis objiciebant auctoritatem libri Pastoris (ut constat ex Tertulliano, cap. 10. ejusdem libri) *Sed cederem tibi*, inquit, *si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum, inter apocrypha & falsa judicaretur adultera & ipsa, & inde patrona sociorum*. At liber Pastoris non tantum adulteris & fornicatoribus, sed omnium omnino criminum reis veniam concedendam esse asserit, ut libro 2. Mandato 4. videre est: quem locum Catholicos Montanistis opposuisse est verisi-

millimum. Igitur Catholici non mœchiam tantum, ſed omnia prorſus crimina, homicidium, & idololatriam, Pœnitentia functis ab Eccleſia dimitti poſſe, & merito dimitti aſſerebant.

Contra. Niſi Tertulliano fides adhibeatur Diſciplinam Eccleſiaſticam ſui temporis referenti, nuſquam teſtis advocari poterit traditionis, aut obſervantiarum Eccleſiaſticarum. Unde fruſtra Catholicorum dogmatum vindices ejus teſtimonia proferent ex libro de Jejuniis, ad Jejunii Eccleſiaſtici certis temporibus, & diebus, præcipue ante Paſcha, demonſtrandam obſervantiam, jam primis ſæculis celebrem. Itaque Tertulliano fides derogari non debet, aſſerenti pacem idololatris & homicidis fuiſſe ſuis temporibus denegatam, & mœchis tunc primum conceſſam.

Reſpondeo, nego antecedens. Poterit enim teſtis proferri traditionis, & obſervantiarum Eccleſiaſticarum, cum de Montani erroribus, aut aliis ipſi propriis, quæſtio non eſt, cum ſecum ipſe non pugnat, & cum aliis Patribus conſentit. At in eo, quod tractamus, argumento, agitur de Montani errore, in quo hæſiſſe Tertullianum certum eſt. Secum ipſe pugnat Tertullianus, ſiquidem aliud aſſerit in libro de Pudicitia, quem Hæreticus ſcripſit contra Eccleſiam, aliud in libro de Pœnitentia, quem Catholicus edidit. Ipſi porro Catholico potius, quam Hæretico credendum eſt. Non conſentit etiam cum aliis Patribus, & Auctoribus Eccleſiaſticis, maxime cum S. Cypriano ſuppare Scriptore, & majori longe fide digno. Ejus igitur hac in quæſtione explodendum eſt teſtimonium, velut impoſtoris, & Eccleſiæ hoſtis.

Quidni vero impoſuiſſe credatur Eccleſiæ Tertullianus, cum idololatris & homicidis veniam ſuo tempore ab Eccleſia fuiſſe negatam, & mœchis pacem tum primum conceſſam aſſerit; cujus alteram calumniam in poſtremo capite libri de pudicitia legimus? Martyrum namque conſuetudinem enarrans, qui libellos lapſis concedebant, ſic de more illo loquitur, quaſi Martyres abſolutam remittendorum peccatorum poteſtatem, ſibi vindicarent, hancque ipſis tribueret Eccleſia. *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem*, inquit ... *Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati, vel ſuperbi eſt, in alios quoque ſpargere, quod pro magno fueris conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi Dei Filius.*

Objectio ſecunda. Objicitur ſecundo. Clerus Romanus, & S. Cyprianus fiduciario primum Decreto ſtatuerunt, ut Lapſis in exitu pax concederetur, illis maxime qui libellos a Martyribus accepiſſent: peremptorio deinde Judicio decreverunt, perſecutione ſedata, ut interim admitterentur Libellatici, Sacrificatis vero in exitu ſubveniretur. Atqui id fruſtra ſancitum fuiſſet, niſi antea in Eccleſia Romana & Carthaginenſi pax Lapſis negata fuiſſet: itaque Lapſis, etiam in exitu conſtitutis, pax ſive Abſolutio Sacramentalis aliquando a celeberrimis illis Eccleſiis negata eſt.

* *Extat inter Ep. S. Cyp. 31.* Probatur major ex Epiſtola 2. Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, * cujus hæc ſunt verba: *Ante conſtitutionem Epiſcopi, nihil innovandum putavimus, ſed Lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur. Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poterit ferre, acta Pœnitentia ... cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum caute & ſollicite ſubveniri.*

Sanctus vero Cyprianus Epiſtola 13. decernit: *Ut qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace a Martyribus ſibi promiſſa, ad Dominum remittantur.* Denique idem Sanctus Cyprianus Epiſtola 52. peremptorii Judicii tenorem his verbis refert: *Placuit, examinatis cauſis ſingulorum, Libellaticos interim admitti, Sacrificatis in exitu ſubveniri.*

Reſponſio. Reſpondeo diſtinguo minorem. Niſi pax Lapſis negata fuiſſet, qui nullam Pœnitentiam egerant, nec eam ſani poſtulaverant, etiamſi libellos Martyrum præ manibus haberent, concedo; niſi pax Lapſis negata fuiſſet, qui Pœnitentiam egerant, vel inchoaverant, vel ſaltem poſtulaverant ſani, & interim lethali morbo corripiebantur, nego. Itaque ex Decreto Romani Cleri, & Sancti Cypriani; cum fiduciario, tum

tum péremptorio, colligitur, Lapſis qui nullam Pœnitentiam egerant, nec eam poſtulaverant, dum plena ſanitate fruerentur, negatam fuiſſe pacem & Abſolutionem Sacramentalem in exitu. Quam tamen ſeveritatem celeberrimæ Eccleſiæ temperarunt erga Lapſos, qui Libellos pacis a Martyribus acceperant. Illis enim in honorem Martyrum pacem tribui ſanxerunt, etiamſi premente infirmitate, imminenteque obitu, eam poſtulare cępiſſent. Hoc eſt quod in Eccleſiæ diſciplina tunc fuit innovatum. Sed quoad pacem concedendam illis, qui pœnitentiam fuerant auſpicati, eamque agentes ſecundum ordinarias Eccleſiæ leges lethali ægritudine intercipiebantur, veterem Diſciplinam, & morem Eccleſiaſticum Sanctus Cyprianus una cum Romano Clero confirmavit, decernens illis in exitu pacem concedendam.

Contra. Eccleſia Romana, & Africana, Decreto peremptorio temperamentum conſtituerunt medium inter duo extrema, ſcilicet inter Novatianorum crudelitatem, qui Lapſis omnibus pacem negabant, & quorumdam Presbyterorum temeritatem, qui Lapſis omnibus pacem concedebant: atqui temperamentum inter illa duo extrema medium, eſt pacem Lapſis omnibus non concedere, nec rurſum denegare omnibus: igitur Eccleſia Romana & Africana ſtatuerunt, Lapſis omnibus non eſſe denegandam pacem, nec omnibus concedendam. Cum igitur nihil innovaſſe ſupponantur circa Eccleſiæ Diſciplinam, quantum ad conceſſionem vel denegationem pacis, argumento eſt eam in utraque Eccleſia quibuſdam Lapſis antea denegatam fuiſſe.

Reſpondeo, diſtinguo minorem: Eſt pacem Lapſis omnibus non concedere, abſque Pœnitentia, nec rurſum denegare omnibus, quantumvis Pœnitentiam peregiſſent, aut agere cępiſſent, concedo. Eſt pacem Lapſis omnibus Pœnitentia functis non concedere, nec rurſum omnibus abſolute denegare, nego. Itaque Novatiani, omnibus Lapſis, quantamcumque Pœnitentiam egiſſent, vel agerent, pacem negabant, ejuſque tribuendæ poteſtatem adimebant Eccleſiæ. En primum extremum, plane hæreticum. Preſbyteri vero incauti, ignari, & temerarii, Lapſis pacem concedebant, priuſquam pœnitentiam ullam peregiſſent, & abſque ulla ſatisfactione recipiendos ad Communionem eſſe contendebant, propter libellos Martyrum. En aliud extremum, plane contra Evangelicam cenſuram. Romana vero Eccleſia & Africana, ſedata perſecutione, & Cornelio Summo Pontifice electo, Cypriano vero Carthaginem reduce, peremptorio Decreto contra primum extremum, ſcilicet contra Novatianorum hæreſim & ſævitiam ſtatuerunt, pacem Lapſis non eſſe perpetuo denegandam, ne in deſperationem conjicerentur: contra ſecundum vero extremum, ſcilicet contra Presbyterorum temerariam inſolentiam, vel incautam facilitatem, qui Lapſis pacem dabant nulla Pœnitentia functis, decreverunt diuturnam & plenam Pœnitentiam ipſis ante agendam eſſe, quam Communione donarentur. En temperamentum ab Eccleſia Romana & Africana inter illa extrema conſtitutum. Iſta reſponſio colligitur evidenter ex Epiſtola 52. S. Cypriani ad Antonianum data. *Secundum quod ante fuerat deſtinatum*, inquit, *perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, & in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur; ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti Sæculum gentiliter viverent: nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent; ſed traheretur diu Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum .... At ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio, in eamdem nobiſcum ſententiam, pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit.*

Temperamentum ab Eccleſia Romana & Africana in diſciplina Pœnitentiali inſtitutum.

Hujus ſolutionis veritas etiam probatur ex iis quæ idem S. Cyprianus ad Cornelium ſcribit, Epiſt. 55. contra Presbyteros Schiſmaticos. „ Concilio, *inquit*, frequenter acto, „ non conſenſione tantum noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam „ fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret: & illi

„ contra Deum ſacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii de Eccleſia re-
„ cedentes, & contra Eccleſiam parricidialia arma tollentes, elaborant, ne vulneratos
„ divina clementia in Eccleſia ſua curet, miſerorum Pœnitentiam mendaciorum ſuo-
„ rum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat; ne Chriſtum Dominum ſuum,
„ qui Chriſtianus eſſe vel erubuit ante, vel timuit, poſtmodum quærat; ne ad Ec-
„ cleſiam, qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, ne ſatisfactionibus & la-
„ mentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera
„ falſæ pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris noverca intercedente præcludi-
„ tur, ne de pectore atque ore Lapſorum fletus & gemitus audiatur.

Denique idem conſtat ex Epiſt. 54. quam S. Cyprianus cum Africana Synodo ad eumdem Cornelium ſcripſit, in qua de peremptorio Decreto in cauſa Lapſorum edito ſic loquitur: „ Statueramus quidem jampridem, Frater chariſſime, participato invicem
„ nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario, &
„ lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam;
„ & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim
„ fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus
„ claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari: ut de ſæ-
„ culo recedentes, ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur: quando
„ permiſerit ipſe qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent;
„ ſolvi autem poſſent illic quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur “. Itaque tempera-
mentum ab Eccleſia Romana, & Africana inter duo extrema ſuperius notata conſti-
tutum in eo verſabatur, ut Lapſis non denegaretur pax in exitu, ſi Pœnitentiam egiſſent, aut inchoaſſent, poſtulaſſentque ſani: nec tamen ſatis concederetur Abſolutio, niſi diu egiſſent Pœnitentiam plenam. Colligi ergo non poteſt ex Decretis Romanæ, & Africanæ Eccleſiæ, pacem antea Lapſis moribundis, & Pœnitentia functis, vel eam actu agentibus fuiſſe negatam. Immo contrarium colligitur ex S. Cypriano, tum locis ſupra citatis in probationibus, tum etiam loco mox laudato, Epiſtola 54. Ait enim nefas eſſe, nec permittere divinam clementiam, ut Eccleſia pulſantibus claudatur, & de ſæculo recedentes, ſine communicatione, & pace dimittantur, idque ex Evangelica Lege, & Chriſti inſtitutione probat. Porro quod agere nefas eſt, quod divina clementia non permittit, quod Chriſti legi adverſatur, nuſquam factum eſt ab Eccleſia. Conſtat igitur ex S. Cypriano, & Africanis Patribus, pacem Lapſis Pœnitentia functis, aut eam agentibus, nuſquam denegatam in exitu fuiſſe ab Eccleſia Romana, vel Africana.

SCHOLION I.

Ad pag. 349. Editionis primæ Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Damnatis ad mortem in Galliis datur Abſolutio, ſed non Communio.*

R. Facti Quæſtio eſt, cujus teſtes oculati ſumus. Eccleſiæ Gallicanæ Diſciplina eſt, quam Sedes Apoſtolica numquam improbavit, quamvis alii ſint mores Italiæ. Galliæ uſus antiquæ Diſciplinæ Romanæ Eccleſiæ conſentaneus eſt, ut colligitur ex Epiſtola 3. *Innocentii I.* ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum. Solum *Pœnitentiæ Sacramentum ultimo deputandis ſupplicio negari, ſi petant*, prohibet Clemens V. in Clementina *de Pœnitentiis & Remiſſionibus*, cap. 2. *Robertus* S. R. E. Cardinalis *Pullus* l. 6. Sententiarum, c. 53. damnatis ad mortem Euchariſtiam negandam docet, aut pœnam capitis remittendam. *Si Chriſtus* (inquit) *a pœnitente & confeſſo ſuſcipitur, quo auſu præſertim a Chriſtianis Templum Dei probro cruciatuum violatur? Aut ſi Presbyter Sacrarium Chriſti ab injuria ſe defendere non poſſe novit, quare in dedecus inhabitantis habitaculum conſecravit? Reus ſi ad ſaxis conſtructum Templum confugerit, liber eſt, ſi vero ipſe Pœnitentia & Confeſſione conſtruitur, perceptione Euchariſtiæ in vivum & verum templum dedicatur, liber non eſt. Judices ergo aut Sacerdotes arceant; aut reos & convictos, quoniam patronum ſuſcepere Jeſum, abſolvant.* Hæc Robertus Pullus. In Italia, in Hiſpania, & Germania, viget contraria diſciplina, Alexandri IV. Decretali,

tali, c. *Super eo*, *De Hæreticis*, in Sexto, & Pii V. Brevi Apoſtolico, necnon Concilii Auguſtani Decreto, & Caroli V. Edicto firmata. Suas habet utraque Diſciplina rationes. Neutram improbamus.

SCHOLION II.

Ad hanc diſſertationem, & ad pag. 360. Editionis primæ Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Duplex Reconciliatio & manus impoſitio*.

R. Duplicem illam Reconciliationem & manus impoſitionem, primam, qua juri ſimplicis Communionis reſtituebantur Pœnitentes, & peccatorum vinculis ſolvebantur, omniumque rerum ac bonorum ſpiritualium, Euchariſtia dumtaxat, & oblationum uſu exceptis, fiebant participes: Alteram, quæ jus ad Euchariſtiam tribuebat, & maxima ſeu *Legitima Communio* vocabatur, nec primus, nec abſque fundamento diſtinxi. Videatur *Albaſpinæus* Aurelianenſis Epiſcopus lib. 1. *Obſervationum*, Obſervatione 1. 6. 11. & lib. 2. Obſervatione 21. & *Morinus* lib. 6. *De Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, cap. 21. §. 6. Ea diſtinctio nititur Can. 76. Concilii Carthaginenſis 4. & Can. 3. Concilii Arauſicani 1. laudati *Albaſpinæi*, & *Sirmondi* virorum eruditorum Notis illuſtrato; quibus illa Obſervatio mea concordat. *Felices artes, ſi de illis ſoli artifices judicarent!*

Nota.

MAgis utique ea praxis laudanda, qua ultimo ſupplicio necandi Euchariſtiæ Viatico non ſunt fraudandi. Eam & commendarunt, & indixerunt Summi Pontifices, ne hujuſmodi Rei tanti Sacramenti deſtituantur auxilio, cujus ſummopere indigent ad patienter in ſcelerum ſuorum ſatisfactionem mortem ſubeundam. Dum enim prudenter de ipſorum convenienti diſpoſitione timendum non ſit, ſicut urget eos divinum de ſuſcipiendo SS. Viatico præceptum, ita & ab Eccleſiæ Miniſtris non eſſet illis denegandum.

Contraria, quæ adhuc quibuſdam in Regnis conſuetudo ſervatur, & quæ etiam in Hiſpania invaluerat, teſte Soto *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 11. ubi etiam ab ea ceſſari exoptabat, ex eo incepiſſe videtur, quia facillime pertimeſcendum eſt, hujuſmodi reos nullo juſtitiæ amore, ſed timore tantum nimis ſervili perterritos propria deteſtari peccata. Quamvis autem, dum de convenienti diſpoſitione dubium ſuboritur, liceat ſacramentalem abſolutionem ſub conditione impertiri, denegandum tamen videtur Euchariſtiæ ſacramentum, cum abſque illo contingere poſſit juſtificatio. Iſtorum indiſpoſitionem ſatis innuit S. Cyprianus in epiſtola ad Antonianum, ubi hæc habet: *Idcirco, Frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communionis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Illud etiam animadverſione dignum, hujuſmodi homines quamprimum morte plectendos, illius horrore turbatos facillime omni pietatis ſenſu poſſe deſtitui; ac proinde non ea, qua par eſt reverentia ad tantum Sacramentum accedere.

Verum cum hæc incommoda non in omnibus ultimo ſupplicio damnatis poſſint evenire, nec videntur generali lege ab Euchariſtia arcendi, ſed judicio docti, ac vera prudentia præditi Confeſſarii relinquendum, ut ipſorum anteactæ vitæ inſpecta pœnitentia, aliiſque animi diſpoſitionibus, decernat an Euchariſtiæ ſacramento ſint communiendi. Obſervandum etiam videtur, ut monet Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanenſi, ne ea die ſupplicio afficiantur, qua Corporis Chriſti Sanctiſſimo Viatico reficiuntur; quædam enim & ipſi Chriſti Corpori injuria irrogari videtur, ſi ea die, qua in hominis corpore hoſpitatum eſt, idem corpus Tortoris manu omni tractetur ignominia. Tunc etiam illa nimia mentis confuſio vitaretur, quam oriri neceſſe eſt ex horrore mortis quamprimum ſubeundæ.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

De variis Pœnitentiæ publicæ Gradibus.

QUATUOR fuerunt olim in Ecclesia Pœnitentiæ publicæ gradus, scilicet, *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, & *Consistentia*. Primus illorum sigillatim, & distincte meminit Sanctus Gregorius Thaumaturgus, Canone ultimo Epistolæ suæ Canonicæ. Eosdem recensent Joannes Abbas Raithu in Scholiis ad Scalam Sancti Joannis Climaci, Harmenopulus in Epitome Canonum, Sectione 5. Titulo 3. Matthæus Blastares in Nomocanone, Aristæus in vigesimum primum Ancyranæ Synodi Canonem, & Gabriel Philadelphiæ Metropolita, cap. 10. libelli quem de Pœnitentia scripsit. Ad eas stationes alludit S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 7. *Movebitur*, inquit, *misericordia* (Christus) *cum viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet: Ubi posuistis eum? Hoc est in quo reorum statu est; in quo Pœnitentium ordine?* Gradus illos, & quid in iis agerent Pœnitentes, vel quam erga ipsos Disciplinam in singulis stationibus Ecclesia observaret, sequentibus Articulis exponemus.

ARTICULUS I.

De prima Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Fletu.

FLentium statio collocata erat in area, seu domuncula quadam Ecclesiæ adjacente; seu in porticu aut vestibulo, quo ad Synaxes erat iter. Id colligitur ex S. Basilio in Epistola ad Amphilochium Canone 56. ubi de Pœnitentia homicidæ voluntarii decernens: *Debet*, inquit, *quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes orans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.*

Eamdem stationem innuit S. Chrysostomus Hom. 17. in Matthæum, ubi quosdam e plebe sibi subdita contumaces sic terret: *Cæterum prohibeo vobis, ne sacra hæc vestibula conscendatis, & immortalibus Mysteriis participetis, ut fornicatoribus, adulteris, & homicidiorum reis.*

Fornicatoribus & adulteris eumdem locum Tertullianus assignat libro de Pudicitia, cap. 4. ultra quem graviorum obscœnitatum reos amandari testatur. *Reliquas autem*, inquit, *libidinum furias impias & in corpora, & in sexus, ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus; quia non sunt delicta, sed monstra.*

Inter Hyemantes orare *Quid sit?*

Stationem fletus innuisse non videntur Ancyranæ Synodi Patres, Canone 17. quo ita decernitur, secundum Versionem Gentiani Herveti: *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hyemantes orare.* Hyemantium enim nomine (ut vox ipsa præ se fert) debent intelligi, qui extra tectum, & sub dio orare tenebantur, aeris tempestatibus expositi. Flentes autem arcebantur quidem aditu Ecclesiæ, sed omni tecto non submovebantur, nam sub tectulo quodam præ templi foribus Pœnitentiam agebant.

Dionysius Exiguus Hyemantium nomine energumenos intelligit, & lepram spiritalem interpretatur, ut sit ille Canonis sensus: Ii qui detestandi vitii contagio, seu lepra alios infecerint, non Pœnitentes inter, sed cum energumenis orent, loco a Pœnitentibus & Catechumenis sejuncto. Unde sic vertit illum Canonem: *Eos qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui Spiritu periclitantur immundo.* Huic interpretationi consona est alia versio antiqua, quam exhibet Collectio Isidori Mercatoris: *Hos eosdem sane*, inquit, *non solum leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate jactantur, qui a nobis energumeni appellantur.* Martinus etiam Braccarensis, Can. 81. Breviculum Canonum Hadriani Papæ, & Ferrandi Breviarium Tit. 27. inter Hyemantes orare, interpretatur, inter Dæmonia-

moniacos orare. Verum planior eſt Canonis ſenſus, & Græco textui convenientior ſi nomine Hyemantium intelligantur illi, qui extra omne tectum Eccleſiæ pulſi, Pœnitentiam agere ſub dio cogebantur; & ſi Leproſi nomen ibi ſumatur in propria ſignificatione, ut ſit ſenſus: illi qui rationis expertia animantia inierint, vel alia quavis irrationabili copula fuerint fœdati; ſi Leproſi ſint, vel fuerint, & ſuſpicio ſit eos nondum eſſe plene ſanatos, non conveniant in eumdem cum aliis Pœnitentibus locum, ne ipſos inficiant. Cum enim hujuſmodi criminum reos Ancyrani Patres ad ſubſtrationem damnaſſent, Canone 16. quæ ſtatio erat ſub Eccleſiæ tecto, non eſt veriſimile quod eos ſub dio Pœnitentiam voluerint agere, niſi cauſa nova emergeret, quæ lepra erat, non ſpiritualis, ſed corporea.

Quid in illa ſtatione Pœnitentes agerent, vel quid pro iis ageretur? rogabis. Reſpondeo, nulla ipſis pietatis officia impendi ſolita fuiſſe, nullas frequentari manuum impoſitiones, nullas orationes ſuper ipſis ſpecialiter fundi. Privatim plebem fidelem pro illis Deum exoraſſe, ut veram illis Pœnitentiam concederet: Eccleſiam vero in publicis precibus eorum tantum generaliter meminiſſe, quatenus Pœnitentium nomine comprehendebantur.

Qui hoc in gradu agebant Pœnitentiam, ſe reos palam profitebantur, crimen deflebant, Fidelibus ad Synaxes convenientibus ſupplicabant, ad eorum pedes advoluti, ut apud Deum, Epiſcopum, Clerum, univerſamque Eccleſiam, pro ipſis intercederent. Hanc Diſciplinam ſpectat Sanctus Ambroſius, libro 2. de Pœnitentia, cap. 10. „ An teſtes, *inquit*, precationis, & conſcios refugis; cum ſi homini ſatisfaciendum „ ſit, multos neceſſe eſt, ambias, obſecres ut dignentur intervenire, ad genua te ipſe „ proſternas, oſculeris veſtigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros paternæ, etiam ve„ niæ precatores? Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis ut Deo ſupplices, ut patroci„ nium tibi, ad Deum obſecrandum, ſanctæ plebis requiras, ubi nihil eſt quod pu„ dori eſſe debeat, niſi non fateri; cum omnes ſimus peccatores: ubi ille laudabi„ lior, qui humilior; ille juſtior, qui ſibi abjectior? Fleat pro te mater Eccleſia, & „ culpam tuam lacrymis lavet. Videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat: Beati triſtes, „ quia gaudebitis. Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus Vi„ duæ lacrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit.

Illam ſtationem ut primum ingrediebantur Pœnitentes, veſtem lugubrem induebant, cinereque & cilicio ſordidati, neglecto capillitio, toto corporis habitu ad movendam miſericordiam compoſiti, in Eccleſia ſe ſiſtebant. Lugubris hujuſce ſtationis apparatum Sanctus Hieronymus egregie deſcribit, epiſtola 30. ad Oceanum, ubi Fabiolæ Romanas inter Matronas nobiliſſimæ publicam Pœnitentiam commendat. Hanc illa ſubiit, quia maritum adulterum cum dimiſiſſet, eo vivente, alteri nupſerat, Imperatorum Legibus id permiſſum ſciens, & divina Lege prohibitum ignorans. De ea ſic loquitur Sanctus Hieronymi viri „ Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundus: „ in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, jugo ſervitutis ex„ cuſſo, agere ſe liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre me„ retricis, ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur; & tota Urbe ſpectante Ro„ mana, ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus „ eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo „ collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſquallidas manus, ſordida colla „ ſubmitteret? Quæ peccata fletus iſte non purget? . . . Non eſt confuſa Dominum „ in terris, & ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & de„ colorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum „ caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Ma„ ria ſorore Moyſi ſeparata conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret ..... „ Faciem per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina „ videre non poterat, ornamenta fugiebat, ſic dolebat, quaſi adulterium commiſiſ„ ſet, & multis impendiis medicaminum vulnus unum ſanare cupiebat.

A R-

ARTICULUS II.

De ſecunda Pœnitentiæ publicæ ſtatione, ſcilicet de Auditione.

AUditionis quatenus laborioſæ pœnitentiæ gradus erat, meminit Sanctus Baſilius Canone 22. quo in mulierum raptores ita decernit: *Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad Auditionem admitti.* Ejuſdem meminit Sanctus Gregorius Thaumaturgus Canone ultimo Epiſtolæ Canonicæ. Nicænum Concilium Canone 2. decernit, ut qui ſub Licinii tyrannide lapſi ſunt, *Tribus annis inter Audientes habeantur*. Eamdem ſtationem memorat Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica ad Epiſcopum Melitinenſem, ubi de homicidii voluntarii reo, poſt novem annos in fletu exactos, ita ſtatuit: *Tot annos in Auditione permaneat, ſola Doctorum, & Scripturarum Auditione dignus habitus.*

Auditionis locus erat in portis Eccleſiæ, ſeu in Porticu magnis Templi portis connexa, id eſt, in ædificiolo quodam inter exteriores januas & interiores Baſilicarum intermedio, quod veſtibulum merito dici poteſt. Locus ille a Græcis ῥάβδος dictus eſt, id eſt, ferula, propter figuram, quæ longitudine multis partibus latitudinem excedebat.

Sex hominum generibus communis erat locus ille, Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Schiſmaticis, Catechumenis primi Ordinis, & Pœnitentibus Audientibus: his omnibus, cum ad Eccleſiam ſeſe conferebant, permittebatur eo in loco Pſalmorum cantum, ſacræ Scripturæ lectionem, & Sermones Epiſcoporum audire. Quorum ab auditione arceri debere neminem, conſtat ex antiquis Conciliis. Primo ex Carthaginenſi 4. Canone 84. quo ſancitum eſt, *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.*

Idem conſtat ex Concilio Ilerdenſi, Canone 4. ita decernente: *De his, qui ſe inceſtus pollutione commaculant, placuit ut quouſque in deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantum Catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.* Ex quibus verbis colligitur, ipſos excommunicatos ad auditionem verbi divini admiſſos fuiſſe.

Denique idem conſtat ex Concilio Valentino in Hiſpania, Can. 1. quo ita ſtatuit: *Antiquos Canones relegentes, inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum, in ordine Lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria Præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel Sermonem Sacerdotis, non ſolum Fideles, ſed etiam Catechumeni, ac Pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim, Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.* In loco igitur Audientium ſtabant & ipſi Catechumeni, qui primo & ſecundo ſæculo ſæpiſſime a Sanctis Patribus Audientium nomine deſignantur, licet ſolis Pœnitentibus Auditio fuerit pœnæ inſtar impoſita ab Eccleſia.

Dixi, Catechumenos primi Ordinis in loco Audientium poſitos fuiſſe, quia tres erant Catechumenorum Ordines. Primus eorum qui volebant eſſe Chriſtiani, nondum tamen dederant nomen. Secundus eorum qui nomen dederant, quique genua flectebant, ut ſuper eos Orationes funderentur. Tertius eorum qui ad ſuſcipiendum Baptiſmum idonei, dignique judicati fuerant, qui dicebantur Competentes, ſive Electi. Soli autem primi Ordinis Catechumeni ſtabant cum infidelibus, & Pœnitentibus in gradu Audientium conſtitutis, & cum illis expellebantur; ipſiſque dimiſſis aliorum Ordinum Catechumeni expiatoriis Orationibus ad Baptiſmum præparabantur. Preces illæ ſuper Catechumenos fuſæ, dictæ ſunt more loquendi Eccleſiaſtico, *Miſſa Catechumenorum*: quia illis completis dimittebantur ab Eccleſia ante Oblationem.

Cum Pœnitentibus Audientibus eodem modo agebatur, atque cum ignaris Myſteriorum Fidei: quaſi Eccleſia judicaret eos, qui ſeſe flagitiis mortiferis obſtrinxiſſent, divi-

divinorum præceptorum atque Mysteriorum cognitione satis imbutos non fuisse: opusque esse ut Christianæ Religionis rudimenta, & Evangelii Præcepta iterum docerentur, quandoquidem illorum memoria tam cito ex illorum animis effluxisset. Quamobrem diutius in hoc gradu detinebantur, quam Catechumeni, tamquam magis ignari in Fidei, Moralisque Evangelicæ rebus. Hinc frequens est phrasis apud Veteres, ad secundum istum gradum significandum: *Stent inter Catechumenos*.

In ista statione manus non imponebantur Pœnitentibus: quia ritus iste orationi conjunctus erat, qua adhuc indigni censebantur, quamdiu Audientium in Clase degebant. Neque etiam ulla opera laboriosa ipsis adhuc injungebantur: quæ vero faciebant, non jussi, sed sponte, & ad libitum faciebant.

JO: DOM. MANSI

Nota.

LOcum assignatum pœnitentibus secundi ordinis nempe audientibus Narthecem; id est, ut ipse exponit, Porticum præ foribus Ecclesiæ discurrentem indicat P. Natalis Alexander, qua in re non assentior viro doctissimo. Admitto enim in Narthece templi collocatos audientes: Narthecem vero extra Ecclesiam in porticu collocatum non admitto. Id profecto docere poterat historicum nostrum canon 84. Concilii IV. Carthaginensis, quem ipse pariter recitat: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam & audire verbum Dei sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum*. Porro idem locus qui audientes, idem pariter & gentiles & hæreticos admittebat, ut ipse pariter historicus noster fatetur. Nec sane facile auscultare Episcopum concionantem potuissent audientes isti, siquidem extra foras Ecclesiæ rejecti constitissent.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, sive ad pag. 387. editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Tres Catechumenorum Ordines*.

R. Catechumenos alios fuisse, qui ab infidelitate ad fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum: Alios qui procumbebant in genua, & orationibus Ecclesiæ ad Baptismum præparabantur: Alios qui in Fide recte instituti, baptismum petebant, nemo eruditus ignorat. Primi *Audientes*, secundi *Substrati*, tertii *Competentes* vocabantur. Primam & secundam classem quidem non distinguunt, & hos simpliciter *Catechumenos* appellant. Classem alteram statuunt *Competentium*, qui dederant nomen, & simul baptismum petebant. Tertiam assignant *Electorum*, qui ex Competentibus in albo baptizandorum descripti erant. Sed cum Sancti Patres Electos a Competentibus ut plurimum non distinguant, ut patet ex Serm. *S. Augustini* 216. alias *De Diversis* 8. ex S. Isidoro Hispalensi lib. *De Officiis Ecclesiasticis*, & ex Rabano l. 1. *De Institutione Clericorum*, c. 26. cui Amalarius, & VValafridus Strabo consentiunt, illos etiàm non distinxi. Legatur Card. *Bona* l. 1. *Rer. Liturg.* c. 16. §. 4.

ARTICULUS III.

De tertia Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Substratione.

SUbstrationis meminit Canon 16. Ancyranæ Synodi, quo de gravissimi peccati reis decernitur, secundum Gentiani Herveti Versionem: ut *postquam quindecim annis substrati ac supplices fuerint, Communionem ad preces assequantur. Deinde & cum in Communione quinque annis perseveraverint, Oblationem attingant. Examinetur autem & eorum in substratione vita, & ita humanitatem consequantur.* Illius meminerunt & Sanctus Gregorius Thaumaturgus in Epistola Canonica, Concilium Nicænum Canone

none 11. S. Basilius Epistola 3. Canonica ad Amphilochium, Felix III. Pontifex Maximus, Epistola 7. Joannes Abbas Raithu, & alii.

Locus istius stationis erat inter Audientes & Fideles positus, & ad Ambonem usque in Ecclesia protensus, id est, ad locum illum, ex quo Epistola & Evangelium legebantur, Dypticha recitabantur, Hymni, Psalmique canebantur, & Conciones ad Populum habebantur. Erat autem Ambo excelsius quoddam in Templis ædificiolum, orbicularis ut plurimum figuræ: ad quod aliquibus gradibus ascendebatur.

Toto substrationis tempore, quod plurium semper erat annorum, in singulis fere Synaxibus manus Pœnitentibus genuflexis imponebantur, ut colligitur ex Concilio Carthaginensi 4. Canone 80. decernente, ut *omni tempore jejunii manus Pœnitentibus a Sacerdotibus imponatur*, & ex Concilio Toletano 3. Canone 11. cujus hæc sunt verba: *Jubemus ut secundum formam antiquorum Canonum detur Pœnitentia, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, a Communione suspensum, faciat inter alios Pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere.* Et ex Felice III. Pontifice Maximo Epistola 7. hanc pœnam Laicis, qui se rebaptizari passi fuerant, imponente: *Tribus annis inter Audientes sint: septem autem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum.* Et infra: *Quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquamdiu sub manus impositione detentis, reddenda Communio est.*

Manuum impositioni super Pœnitentes conjuncta semper erat Oratio, ut colligitur ex S. Augustino, lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. dicente: *Quid est aliud impositio manuum, quam Oratio super hominem?* Celebrabatur autem uterque iste ritus post Missam Catechumenorum, & ante oblationem incruenti Sacrificii, ut colligitur ex Concilio Laodiceno, Canone 19. cujus hæc sunt verba, secundum Versionem Dionysii Exigui: *Quod oporteat primum super Catechumenos, post allocutiones Episcoporum, Orationes celebrari: & postquam Catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in Pœnitentia, precem fieri: His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & discedentibus, tres Orationes consummari Fidelium: ita ut prima quidem sub silentio, secunda vero & tertia per exclamationes solitas expleantur: & ita demum pacem sibi invicem dabunt. Et posteaquam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc Laici sibi tribuent: & ita Sancta celebrabitur Oblatio.*

Expulsionis autem Pœnitentium ante Sacrificii oblationem, cujus meminit iste Canon, meminerunt etiam Agathense Concilium, Canone 60. & Epaonense, Canone 26. Sozomenus libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16. & Sanctus Chrysostomus Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios, ubi invehitur in Fideles, qui cum adessent Mysteriis, eis participare nolebant, dicitque a Pœnitentibus, & Catechumenis qui Diaconi voce a Sacrificio abigebantur, non differre. *Non es dignus*, inquit, *Sacrificio, neque participatione; Ergo nec prece. Audis Præconem stantem & dicentem: Quicumque estis in Pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, sunt in Pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in Pœnitentia, non debes participare. Cur ergo dicit, Abite qui non potestis precari; tu autem stas impudenter? At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare, & nihil curas?*

Pœnitentibus in Substratione positis variæ pœnæ, atque opera laboriosa imperabantur, & diligenter, an imperata exequerentur, Patres attendebant, ut constat ex omnibus fere Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quæ de publice pœnitentibus loquuntur.

ARTICULUS IV.

De quarta Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Consistentia.

QUarta Pœnitentium statio Consistentia dicta est, ut constat ex S. Gregorio Thaumaturgo in Epistola Canonica, Canone ultimo, & ex S. Basilio in Epistolis Canonicis ad Amphilochium. Inde autem fluxit istud nomen, & huic stationi adscriptum est, quod qui in ea erant, simul cum Fidelibus in Ecclesia consisterent, neque cum Catechumenis expellerentur.

Istam

Istam stationem Patres his periphrasibus expresserunt: *Precum esse participem*; vel, *Orationibus communicare*. Sic Concilium Ancyranum, Canone 4. *Placuit eos inter Audientes uno anno constitui, succumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad Perfectionis gratiam pervenire*. Sic Nicænum Concilium, Canone 12. *Hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent*.

Qui in ista statione expiabantur, licet publicis precibus, & Sacrificio interessent cum Fidelibus, jus tamen Oblationis non habebant, id est, ipsorum munera ad altare non offerebantur. Unde consequens erat eos & Corpori Christi non communicare. Quapropter ista sunt æquipollentia in Canonibus, *Communicare precibus sine oblatione*, & *non communicare Corpori Christi*. Hoc sensu Concilium Ancyranum, Can. 5. *Cum duobus annis supplices, substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione, ut id quod perfectum est, triennio accipiant*. Sic Nicænum Concilium, Can. 11. *Duobus annis*, inquit, *sine oblatione populo in oratione communicent*. Sic Felix III. Pontifex Maximus Epistola 7. *Duobus annis*, inquit, *oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur*.

Locus hujus stationis erat ab Ambone versus Sanctuarium. Quatuor hominum genera complectebatur. Primum genus erat eorum, qui vel levius peccaverant, vel qui grave quidem crimen perpetraverant, sed sese sponte detulerant ad Episcopum, contritionem maximam demonstrantes. Hi posteriores nonnumquam ad Consistentiam recta mittebantur, condonata aliarum stationum severitate. Id constat ex Sancto Gregorio Thaumaturgo, Canone 9. ubi de prædonibus sic decernit: *Si accusati convicti fuerint, sint similiter in iis qui substernuntur: Sin autem seipsos enuntiaverint, & restituerint, etiam precibus digni habeantur*. Idem constat ex S. Basilio, Can. 61. *Qui furatus est* (inquit). *si sponte pœnitentia motus seipsum accusaverit, per annum a sola Sacramentorum Communione arcebitur: sin autem convictus fuerit, per annos duos: Dividetur autem illi hoc tempus in Substrationem, & Consistentiam, & tunc Communione dignus habeatur*.

Quod vero leviorum peccatorum rei, ad hanc stationem aliquamdiu purgandi remitterentur, constat ex Concilio Illiberitano, Canone 21. ita decernente: *Si quis in civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur*. Et Canone 79. in eadem statione expiari jubentur, qui alea luserint. Idipsum multis aliis Canonibus probari posset, quos brevitati consulens omitto.

Secundum hominum genus, qui ad hanc stationem attinebant, eorum erat, qui inferiores Pœnitentiæ stationes decurrerant. Propter illos instituta fuit hæc statio, ut ex perirentur Patres an luctuosæ Pœnitentiæ laboribus liberati vitam ducerent Christiano dignam, atque ita illos tuto admittere possent ad participationem Corporis & Sanguinis Christi.

Tertium hominum genus in hac Pœnitentiæ classe per accidens tantum collocabatur. Mulieres enim nuptæ, quæ adulterio pollutæ erant, ad hanc stationem mittebantur, ne si ad Substrationem fuissent detrusæ, mariti aliquid criminis perpetrati, suspicati fuissent, necemque, zelotypia abrepti, uxoribus intentassent. Id constat ex S. Basilio, Canone 34. *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ*.

Quartum denique genus, eorum erat, qui post actam publice Pœnitentiam in nova peccata prolapsi erant, ob quæ Pœnitentiam iterum agere publice debuissent. Hi ex Decreto Siricii Pontificis Maximi Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum data, cap. 4. ad Consistentiam reliquo vitæ suæ tempore amandabantur. Quod tamen de iis non est intelligendum, qui graviora crimina canonica perpetraverant: Nam iis secunda Pœnitentia, etiam privatim agenda non concedebatur: sed de iis qui in Constitutiones Ecclesiasticas publice Pœnitentibus præscriptas, scilicet de cingulo militiæ non resumendo, de matrimonio non contrahendo, de conjugii non degustan-

guſtanda voluptate, peccaverant. De his ita reſpondet Siricius Himerio conſulenti: *De his vero non incongrue Dilectio tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulandam, qui acta Pœnitentia tamquam canes ac ſues ed vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus Oratione jungantur, ſacræ Myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a Dominicæ Menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur.*

ARTICULUS V.

Utrum Pœnitentes ad ſuperiorem ſtationem ab inferiori quandoque aſcenderent, media prætermiſſa?

PROPOSITIO.

Pœnitentes ab inferiori Pœnitentiæ gradu interdum ad ſuperiorem impertranſito medio, aſcendebant, Epiſcopis Canonum ſeveritatem, ob contritionem illorum, & fervorem in agenda Pœnitentia, temperantibus.

PRobatur primo ex Concilio Ancyrano, Canone 6. ſecundum verſionem Dionyſii Exigui, ita decernente: *De his, qui feſtis diebus Gentilium in remotis eorum locis convivia celebrarunt, ciboſque proprios deferentes, ibidem comederunt; placuit poſt Pœnitentiam bienii eos ſuſcipi: utrum vero cum oblatione, ſinguli Epiſcoporum probantes vitam eorum, & ſingulos actus examinent.* Itaque Epiſcoporum arbitrio permiſit Ancyrana Synodus eos, qui ad Subſtrationem dejecti fuerant, poſt biennium recipere, vel ſine oblatione, hoc eſt ad Conſiſtentiam; vel cum oblatione, id eſt, ad Corporis Chriſti Communionem.

Probatur ſecundo ex Concilio Nicæno, Canone 12. cujus hæc ſunt verba: *Quotquot enim metu & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant; hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum fidelibus in Oratione communicent: poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.* Igitur poterat Epiſcopus transferre Pœnitentem ab Auditione ad Conſiſtentiam, Subſtratione prætermiſſa, modo ingentem animi contritionem lachrymis, & bonis operibus exhiberet. Immo & aliquid amplius remittere poterat Epiſcopus, quam totam Subſtrationis ſtationem.

Probatur tertio ex S. Baſilio Epiſtola 1. Canonica ad Amphilochium, Canone 7. quo trigamos ab auditione ad Conſiſtentiam, condonata Subſtratione, evehit. *Oportet autem*, inquit, *non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari Auditione duobus vel tribus annis: & poſtea permitti quidem conſiſtere; a boni tamen Communione abſtinere; & ſic, poſtquam pœnitentiæ fructum aliquem oſtenderint, Communionis loco reſtituere.*

Probatur quarto ex S. Gregorio Nyſſeno in Epiſtola Canonica ad Letojum Melitinenſem Epiſcopum Canone 3. ubi & præclaram iſtius diſciplinæ rationem reddit: *In iis autem*, ait, *qui diligentiori converſione uſi fuerint, & vita ipſa oſtenderint, ſe ad bonum regreſſos eſſe, licet ei qui diſpenſat pro Eccleſiaſticæ Oeconomiæ utilitate tempus Auditionis contrahere, & celerius ad converſionem deducere, & rurſus hoc quoque tempus contrahere, & celerius reddere Communionem; ut ſua probatione, ejus, cui medela adhibetur, conſtitutionem dijudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas projicere eſt vetitum, ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem a vitio & purgationem, homo eſt factus, abſurdum eſt.*

DIS-

DISSERTATIO IX.

De tempore quo Sacramentalis Absolutio primis Ecclesiæ Sæculis concedebatur.

PROPOSITIO I.

Graviorum peccatorum reis Absolutio Sacramentalis post peractam dumtaxat Pœnitentiam, & impletam satisfactionem, primis Ecclesiæ Sæculis, ordinaria lege concedebatur.

PRobatur primo ex S. Cypriano Epistola 52. ad Antonianum data, in qua satisfactionem Pœnitentiæ fructum esse diserte asserit: *Neminem putamus, inquit, a fructu satisfactionis & spe pacis arcendum . . . . . O frustrandæ Fraternitatis irrisio! O miserorum lamentantium caduca deceptio! hortari ad satisfactionis Pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere Fratribus nostris, Plange, & lachrymas funde, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, sed extra Ecclesiam post ista omnia morieris, quæcumque ad pacem pertinent, facies, sed nullam pacem quam quæris accipies.*

Idem constat ex controversia Episcoporum cum Lapsis ad Ecclesiam redeuntibus tempore S. Cypriani. Hi petebant reconciliationem, atque pacem, statim atque redirent: illi differendam esse judicabant, quousque satisfeciissent. Hujus rei testis est S. Cyprianus Epistola 10. „ Cum in minoribus peccatis, *inquit*, agant Peccatores Pœnitentiam justo tempore, & secundum Disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, „ & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant; nunc „ crudo tempore ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & „ nondum Pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur.

Idem constat ex facto Therapii Episcopi, qui Victori cuidam Presbytero, *antequam Pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfeciisset, temere, immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederat.* Qua de re cum Fidus querimonias detulisset ad S. Cyprianum & 66. Episcopos Carthagine in Concilio congregatos, illi Therapii factum vehementer improbarunt, ut constat ex Epistola 59. Sancti Cypriani, quam suo & Concilii nomine scripsit ad Fidum. *Quæ res*, inquit, *nos satis movit, recessum esse a Decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur: sed librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium Collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque a Sacerdote Dei semel datam, non putavimus auferendam, ac per hoc Victori Communicationem sibi concessam usurpare permisimus.*

Denique id luculenter probatur ex Tractatu ejusdem S. Cypriani de Lapsis. „ Temeritate quorumdam, *inquit*, laxatur incautis communicatio; irrita & falsa pax, „ periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam . . . Operiuntur morientium vulnera, „ & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. A „ diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc „ scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt. „ Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & „ minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est „ pax illa, sed bellum. Quid eis qui flere jugiter & rogare Dominum suum debent, „ inter-

„ intercepta pœnitentiæ lamentatione, communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi „ Lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pesti- „ lens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.

Probatur secundo ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, Epistola prima ad Sym- „ pronianum Novatianum. Scio Frater, *inquit*, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non „ passim omnibus dari, nec antequam aut interrogatio divinæ voluntatis, aut forsitan „ visitatio fuerit, relaxari, magno pondere, magnoque libramine, post multos gemi- „ tus, effusionemque lachrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ Pœ- „ nitentiæ non negari, ut judicaturo Christo nemo præjudicet.

Probatur tertio ex S. Ambrosio, lib. 2. de Pœnitentia, cap. 9. „ Nonnulli, *in quit*, „ ideo poscunt Pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam „ se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, „ Sacerdotis induunt.

Probatur quarto auctoritate Innocentii Primi Pontificis Maximi, Epistola 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum data, cap. 7. *De Pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, Quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

Probatur quinto ex Sancto Leone, Epistola 91. ad Theodorum Forojulienſem Episcopum data, „ Mediator Dei & hominum Jesus Christus, hanc Præpositis Ecclesiæ „ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem sa- „ lubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam recon- „ ciliationis admitterent.

Probatur sexto ex Concilio Toletano Tertio, c. 11. „ Quoniam comperimus, *in-* „ *quit*, per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canonem, sed fœdissime „ pro suis peccatis agere homines pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a „ Presbyteris se reconciliari expostulent. Et ideo pro coercenda tam execrabili præ- „ sumptione, id a sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquo- „ rum detur Pœnitentia, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, a Commu- „ nione suspensum, faciat inter reliquos Pœnitentes ad manus impositionem crebro „ recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicut Sacerdotalis contemplatio pro- „ baverit, eum Communioni restituat.

Ex quibus omnibus colligitur, Absolutionem a peccatis, ante impletam satisfactionem, ordinaria lege, primis Ecclesiæ Sæculis concessam non fuisse; & contrariam praxim fuisse improbatam, ut violationem Disciplinæ Ecclesiasticæ, & prævaricationem Canonum.

Probatur ultimo ex Epistolis Canonicis Sanctorum Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Gregorii Nysseni, Basilii, & priorum Conciliorum Canonibus, quibus constat, pluribus annis Peccatores in Fletu, Auditione, & Substratione permansisse; cum nequidem liceret eis cum Fidelibus in Ecclesia consistere. Porro non est verisimile, hominis per Absolutionem Sacramentalem justificati conditionem tam duram fuisse, ut Christo adhærens per charitatem, nequidem Communione precum Fidelibus jungeretur.

PROPOSITIO II.

Cum urgebat mortis periculum, aut in discrimine versabatur Pœnitentis salus, veluti cum periculum erat, ne capitalium criminum rei ad Hæreticos, aut Gentiles transfugerent, Absolutio ante impletam omnino Satisfactionem concedebatur.

PRobatur prima pars iis omnibus momentis, quibus supra demonstravimus, Absolutionem Sacramentalem numquam fuisse Pœnitentibus in exitu denegatam, modo Pœnitentiam sani postulassent.

His

His adde auctoritatem Innocentii Primi Epistola 1. cap. 7. jam laudato: „ Sane, „ *inquit*, si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, „ ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque Communione discedat. Et auctoritatem S. Leonis Epist. 91. ad Theodorum data, ita decernentis: „ His „ autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœ- „ nitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec re- „ conciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec „ tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio .... In dis- „ pensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacry- „ mas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione „ conceptam." Igitur mortis urgente periculo, Absolutio ante impletam omnino satisfactionem concedebatur.

Probatur secunda pars ex Sancto Cypriano Epistola 52. ad Antonianum data, in qua de Libellaticis Pœnitentibus ita scribit: „ Quorum si Pœnitentiam respuamus, ha- „ bentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis, „ quos incolumes reservaverant, in Hæresim vel Schisma diabolo invitante rapiuntur: „ & adscribetur nobis in die judicii, nec ovem sauciam curasse, & propter unam sau- „ ciam multas integras perdidisse.... Opem nostram, medelam nostram vulneratis ex- „ hibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos „ persecutione funesta sauciatos videmus; qui si in totum mortui essent, numquam de- „ eisdem postmodum & Confessores, & Martyres fierent. Sed quoniam est in illis „ quod pœnitentia sequente revalescat, ad fidem, & ad virtutem de pœnitentia robur „ armatur, quod armari non poterit, si quis desperatione deficiat, dure & crudeliter „ segregatus, ad Gentiles se vias, & sæcularia opera convertat; vel ad Hæreticos, „ & Schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat." Igitur cum in discrimine versabatur Pœnitentium salus, si diutius illis differretur Absolutio, concedebatur illis ante imple- tam satisfactionem, modo sinceræ conversionis, & veræ contritionis signa proderent.

PROPOSITIO III.

Imminente persecutione, Lapsis concedebatur Absolutio ante satisfactionem impletam, „ ut subeundo Martyrio idonei redderentur.

Christiani ad Martyrium protectione Corporis & Sanguinis Christi roborati.

PRobatur ex S. Cypriano Epistola 54. ad Cornelium data. „ Merito, *inquit*, tra- hebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, „ & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, „ sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a no- „ bis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos „ relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. *Et mox*: „ Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus: Pacem non „ deliciis, sed armis damus: Pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si secun- „ dum quod eos audimus, & optamus, & credimus, fortiter steterint, & adversa- „ rium nobiscum in congressione prostraverint, non pœnitet pacem concessisse tam for- „ tibus: immo Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Marty- „ ribus, ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas „ præparemus.

Et infra, quibusdam dicentibus non esse maturandam Lapsorum Absolutionem ob im- minens forte Martyrium, quia Martyres sanguine suo baptizantur, sic respondet: „ Pri- „ mo idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad præ- „ lium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit. Domi- „ nus enim in Evangelio suo dicit: Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quid „ loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis

„ qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Quando autem di-
„ cat in traditis, atque in Confeſſione nominis conſtitutis Spiritum Patris loqui: quo-
„ modo poteſt ad Confeſſionem paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace ac-
„ cepta receperit Spiritum Patris, qui corroborans ſervos ſuos, ipſe loquitur & confi-
„ tetur in nobis? Tum deinde, ſi relictis omnibus rebus ſuis fugerit, & in latebris,
„ atque in ſolitudine conſtitutus, in latrones forte incurrerit, aut in febribus & in lan-
„ guore deceſſerit, nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui ſua omnia
„ dereliquit, & contempta domo, & parentibus, ac liberis, ſequi Dominum ſuum ma-
„ luit, ſine pace, & ſine communicatione decedit Nonne nobis, vel negligentia ſe-
„ gnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die Judicii, quod Paſtores creditas & com-
„ miſſas nobis oves, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare?

Denique ſic concludit: „ Ne igitur ore noſtro, quo pacem negamus, quo duritiam
„ magis humanæ crudelitatis, quam divinæ & paternæ pietatis opponimus, oves no-
„ bis commiſſæ a Domino repoſcantur: placuit nobis, Sancto Spiritu ſuggerente, &
„ Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere
„ prænuntiatur, & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſin-
„ gulorum cauſis, pacem Lapſis dare, immo pugnaturis arma ſuggerere: quod credi-
„ mus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. " Ex quibus perſpicuum eſt, Lapſis conceſſam fuiſſe Abſolutionem nondum impleta ſatisfactione, dum perſecutio immineret.

PROPOSITIO IV.

Lapſis qui Martyrum libellis commendati fuerant, concedebatur interdum Abſolutio, nullis Pœnitentiæ toleratis laboribus.

INtius Diſciplinæ evidentiſſima ſunt apud Sanctum Cyprianum argumenta, quoties meminit libellorum, quibus Martyres Lapſos donabant. Quibus libellis inſpectis, quandoque pax ipſis tribuebatur, nulla in anteceſſum impleta ſatisfactione.

PROPOSITIO V.

Lapſis, qui poſt ſcelus commiſſum, arduum aliquid & eximium edebant, aut patiebantur pro Chriſti gloria, concedebatur Abſolutio priuſquam ſatisfactionem impleviſſent.

PRobatur ex Epiſtola Caldonii Africani Epiſcopi ad Sanctum Cyprianum, & ex reſponſo Sancti Cypriani ad ejus conſultationem, Epiſtola 20. Quæſtio erat de Lapſis nonnullis, qui poſt lapſum, urgente perſecutione, iterato tentati, Chriſtum confeſſi fuerant, & extorres facti fuerant pro Chriſto. Ita quæſtionem Sancto Cypriano proponit Caldonius, & ſuam de ea ſententiam aperit. *Sed oportebat vobis ſcribere, quoniam ii qui poſteaquam ſacrificaverunt, iterato tentati, extorres ſunt facti. Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, pœnitentiam agentes, Chriſtum ſequuntur.* Et infra: *Cum ergo univerſi pacem peterent dicentes: Recuperavimus fidem, quam amiſeramus, pœnitentiam agentes, & Chriſtum publice ſumus confeſſi, quamvis mihi videantur debere pacem accipere; tamen ad conſultum veſtrum eos dimiſi, ne videar aliquid temere præſumere.*

Extat Epiſtola Caldonii inter S. Cypriani Epiſt. 19.

Quid vero ad iſta Sanctus Cyprianus? *Recte ſenſiſti*, inquit, *circa impertiendam Fratribus noſtris pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia, & Dominicæ Confeſſionis gloria reddiderunt; ſermonibus ſuis juſtificati, quibus ſe ante damnaverant. Cum ergo abluerint omne delictum, & maculam primam, aſſiſtente ſibi Domino, poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub diabolo quaſi proſtrati non debent; qui extorres facti, & bonis ſuis omnibus ſpoliati, erexerunt ſe, & cum Chriſto ſtare cœperunt.* Ex quibus colligitur, Lapſis, qui poſt ſcelus commiſſum, arduum aliquid & eximium ediderant, paſſive fuerant pro Chriſto, Abſolutionem ante fuiſſe conceſſam, quam ſatisfactionem impleviſſent.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Cum abſque periculo Schiſmatis differri diu non poterat Abſolutio, tunc Lapſis concedebatur ante impletam ſatisfactionem, & Pœnitentialis Diſciplinæ ſeveritas erga ipſos relaxabatur.

PRobatur ex regula, quam Sanctus Auguſtinus tradit, libro 3. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 2. quam priſcæ Diſciplinæ, & primis Eccleſiæ moribus, ante Sanctum Auguſtinum, conſonam eſſe quis dubitet? „ In hac velut anguſtia quæſtionis, *inquit*, non aliquid novum, aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas obſervat „ Eccleſiæ, ut cum quiſque Fratrum, id eſt, Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocie„ tate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus „ habeatur, fiat hoc ubi periculum Schiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectio„ ne, de qua ipſe alibi præcepit dicens: Ut inimicum non eum exiſtimetis, ſed cor„ ripite, ut fratrem. Non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum . . . Nam „ & ipſe Dominus, cum ſervis volentibus zizania colligere, dixit: Sinite utraque cre„ ſcere uſque ad meſſem: præmiſit cauſam, dicens: Ne forte cum vultis colligere zi„ zania, eradicetis ſimul & triticum. Ubi ſatis oſtendit, cum metus iſte non ſubeſt, „ ſed omnino de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet; id eſt, quando „ ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nul„ los prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit Schiſma contingere; „ non dormiat ſeveritas Diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, „ quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc ſine labe pacis, & uni„ tatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cum Congregationis Eccleſiæ multi„ tudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena eſt. Tunc enim adjuvat Præpoſi„ tum potius corripientem quam criminoſum reſiſtentem. *Et poſt multa ſic concludit:* „ Hoc qui diligenter cogitat, nec in conſervatione unitatis negligit Diſciplinæ ſeve„ ritatem, nec immoderatione coercitionis diſrumpit vinculum ſocietatis. “ Igitur antiqui Patres molliebant Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſeveritatem, cum Schiſmatis aut alicujus tumultus in Eccleſia periculum immineret: adeoque Lapſis Abſolutionem tunc concedebant, non impleta ſatisfactione, immo & de ſatisfactionis rigore plurimum relaxabant.

PROPOSITIO VII.

Cum ex redita Lapſorum ingens aliquod bonum in Eccleſiam redundabat, ut Schiſmatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad Eccleſiam reductio, tunc Abſolutio ſtatim ipſis tribuebatur, & Pœnitentiæ luctuoſæ labores condonabantur.

PRobatur primo ex modo, quo ſe geſſit Sanctus Cornelius Pontifex Maximus erga Confeſſores a Schiſmate Novatiani ad Eccleſiæ unitatem redeuntes. Confeſſi ſunt illi ſe commiſiſſe ſchiſmata, & hæreſis Auctores fuiſſe, ſeque Novatiani dolis circumventos fuiſſe, ut paterentur ei manus quaſi in Epiſcopum imponi. Hæc ut abolerentur & de memoria tollerentur, deprecati ſunt. Convocavit Presbyterium Cornelius, ut cum Epiſcopis quinque tunc Romæ præſentibus communi conſilio ſtatueretur, quid facto opus eſſet. Supplices venerunt in ſacrum cętum Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres qui ſe eis adjunxerunt, ſummis precibus deſiderantes, ut ea quæ ante fuerant geſta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur; perinde atque ſi nihil eſſet commiſſum, vel dictum, invicem omnibus remiſſis, cor mundum & purum jam Deo exhiberent. Ut primum hæc in populi notitiam perlata ſunt, magnus Fraternitatis concurſus factus eſt. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentium, complectentium eos, quaſi hodie pœna carceris fuiſſent liberati: hæc pene iiſdem verbis refert Sanctus Cornelius in Epiſtola ad Sanctum Cyprianum data, quæ inter ejus Epi-

„ riendum fuit; nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis, vel
„ exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat? Recte ergo & Sacer-
„ dos vulnus ne latius ſerpat, a toto corpore Eccleſiæ quaſi bonus medicus debet ab-
„ ſcindere, & prodere virus crimininis, quod latet, non fovere; ne dum unum exclu-
„ dendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Eccleſia.

Animarum vulnera divine medicine lege curanda.

Et in hæc verba: „ De lege tua miſerere mei: *hęc habet*: Merito quia vulnus
„ grande ac vetus eſt, ac diu ſerpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obſe-
„ crans ut Domini legitima miſeratione curetur. Cito enim refricatur vulnus, quod
„ ſanatum medicinæ lege non fuerit; immo etiam ſeriorem curatio ſentit profectum
„ . . . Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia ſapientiaque miſeretur; ut ea dimittat,
„ quæ ſcit jure poſſe dimitti, ne cum alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obno-
„ xium. „ Sanctus igitur Ambroſius Abſolutionem ſtatim tribui non vult iis, qui graviora crimina perpetrarunt, ſed diu differri, donec ſeverioris pœnitentiæ laboribus expiati fuerint. Quod ſi ſtatim Abſolutionem ipſis tribuat Sacerdos, cenſet eam inutilem eſſe miſericordiam, non miſerationem legitimam, non eſſe cum juſtitia, ſapientiaque conceſsam, non demum ſecundum Dei Legem.

Ad tertium reſpondeo, S. Chryſoſtomum ibi non agere de Pœnitentibus proprie dictis, de quibus ſermonem inſtituimus, ſed de Fidelibus, quibus communione Corporis Chriſti non eſt interdictum: ut legentibus integrum contextum compertum eſſe poteſt. Ante verba quippe in argumento laudata, ita ſcripſerat: *Hæc ideo nunc loquor, quod ſciam certo futurum, quod in illa die complures accedant, irruantque ad victimam hanc ſpiritalem. Igitur ne faciamus ad detrimentum, & condemnationem animæ noſtræ, ſed ad ſalutem; jam nunc obteſtor obſecroque, ut omnibus modis repurgatis animis veſtris, ita demum ſacra adeatis Myſteria.* Quæ verba de Pœnitentibus publicis intelligi commode non poſſunt, ſed de iis quorum peccata non erant ita gravia. Ejuſmodi enim peccatoribus, ex veteris Eccleſiæ diſciplina, Abſolutio non retardabatur. Id ſolum ipſis præcipiebatur, ut conſcientia vera contritione, Confeſſione Sacramentali, & bonis operibus, quantum erat neceſſe, mundata, ſpiritalem ad victimam, ſcilicet ad Euchariſtiam accederent.

Ad quartum reſpondeo, verba S. Auguſtini in objectione laudata, (ſeu potius S. Cæſarii Arelatenſis cujus nomine in MSS. Codicibus hic Sermo prænotatur, & inter ejus Homilias editus eſt in Bibliotheca Patrum) non ſpectare Abſolutionem a peccatis, ſed reſtitutionem animæ in priſtinam ſanitatem, ſpiritaliſque vitæ, & roboris recuperationem, quam peccator criminibus non aſſuetus, facile conſequitur Pœnitentiæ beneficio. Toto namque illo Sermone, auditores ſuos ad Pœnitentiam ſtatim agendam adhortatur, dilatæ incommoda refert graviſſima, funeſtam peccandi neceſſitatem induci ait multiplicatione peccatorum, & eadem in crimina relapſu, cujus vinculis ſolvi difficile admodum poſſimus, & ad priſtinam ſanitatem animæque decorem revocari: cum e contra facile ſit priſtinæ ſanitati decorique reſtitui per Pœnitentiam, cum nondum inſanſta illa neceſſitas contracta eſt. *Si forte aliquis ex vobis*, inquit, *capitalibus criminibus involutus ſecundum quod Apoſtolus ait: Templum Dei in ſe violando deſtruxerit, de Dei miſericordia non deſperet; ſed cito de malo iniquitatis ſuæ conſurgat; ne conſuetudine peccandi in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat. Non enim qui peccaverit, ſed qui in peccatis perſeveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut Pater piiſſimus conſolatur dicens: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat....Sed iſta tam magna miſericordia nobis prodeſt, ſi non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus ſuperaddimus.* Id illuſtrat ſimilitudine membrorum, cum ſæpius fracta ſunt. *Denique*, inquit, *etiam ipſis vulneribus, vel fracturis corporum, infirmitates cognoſcere poſſumus animarum. Si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium revocari. Si vero ſecundo & tertio, & adhuc frequentius in eodem loco membra ipſa fraugantur, poteſt intelligere Charitas veſtra cum quantis doloribus vulnera ipſa curanda ſunt: & tamen poſt longas & multas tribulationes vix erit antequam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fractu-*

ris

ris seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis, vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet: Si vero peccatis peccata cœperint addi, & animarum vulnera magis tegendo, vel defendendo putrescere, quam confitendo, & pœnitendo curari; timendum est ne in illo impleatur illud quod Apostolus dixit: An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei. Hæc autem verba satisfactionis, ad remissionem consequendam peccatorum, necessitatem confirmant potius, quam evertunt; maxime si cum iis comparentur quæ Sermone præcedente dixerat idem (ut videtur) Auctor: *Si quis, inquit, ex vobis conscius criminum suorum, indignum se Communione ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo, nisi ut errores pristinos relinquat, & Pœnitentiam petat, ut qui criminum suorum sordе pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur; nec illud servet, ut in extremo vitæ suæ tempore, tunc Pœnitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox Pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quæruntur.*

Ad emendanda crimina, vox pœnitentis sola non sufficit.

Objicitur secundo. Absolutio data post satisfactionem impletam, primis Ecclesiæ sæculis, non erat Sacramentalis: igitur Sacramentalis Absolutio concedebatur Pœnitentibus statim post Confessionem, & antequam satisfactionem impleviſſent.

Probatur antecedens: Absolutio quæ supponit peccatorem justificatum, non est Sacramentalis; hæc enim peccatorem justificat: sed Absolutio publicis Pœnitentibus data post satisfactionem impletam, peccatorem justificatum supponit, ut constat ex his S. Leonis verbis: *Et eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Igitur Absolutio data post satisfactionem impletam, non erat Sacramentalis.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo majorem. Si peccatorem justificatum suppo at absque ordine ad ipsam, & semper, concedo: si per ordinem ad ipsam, & in virtute illius, & quandoque, nego.

Distinguo etiam minorem eodem modo. Absolutio post impletam satisfactionem data peccatorem justificatum supponit quandoque; & tunc justificatus est virtute Absolutionis, sive per ordinem ad ipsam, concedo: semper, & justificatus est absque ordine ad illam Absolutionem, nego. Itaque Absolutio Sacramentalis quandoque peccatorem justificat, prout actu ipsi conceditur, cum scilicet imperfecta dumtaxat contritione, quæ attritio vocatur, movetur in odium & detestationem peccati. Quandoque vero justificat peccatorem antequam actu illi tribuatur a Sacerdote, quando scilicet Pœnitens perfecte contritus est, sed tunc justificat Absolutio ut habita in voto; quia contritio charitate perfecta non delet peccatum, nisi in ordine ad Claves Ecclesiæ.

Ad S. Leonem resp. purgatos esse debere Pœnitentes salubri satisfactione, antequam ad januam Sacramentorum, per reconciliationem, admittantur, purgatione inchoata, dispositiva, & præparatoria; non purgatione formali, ut Scholastici loquuntur, & perfecta.

Objicitur tertio. Sancti Patres agnoscunt duplicem Absolutionem, seu reconciliationem; unam quæ præcedit, alteram quæ sequitur satisfactionem. Posteriorem significatam fuisse, ajunt, cum Lazarus a fasciis per Discipulos solutus est, qui jam antea vitæ restitutus erat. Id cum ex S. Eligio Homilia 4. tum ex aliis colligitur. Sed Absolutio, quæ præcedit satisfactionem, videtur esse Sacramentalis; quæ sequitur, Canonica; igitur Absolutio Sacramentalis olim conferebatur, nondum impleta satisfactione.

Respondeo, nego minorem; sed una dispositio est ad Sacramentalem Absolutionem; altera Sacramentalis ipsa Absolutio est. Isque inter illas est ordo, ut nisi una præcesserit, altera sit irrita, quamvis peccator ministerio Sacerdotis, Ecclesiæ, Deoque reconciliatus videatur: Prima posita est in conversione cordis ad Deum per veram contri-

tritionem, quæ multiplici pœnitentiæ fructu innotescit. Quam conversionem Deus spectans, invisibiliter absolvit ante peccatorem, quam a Sacerdote visibiliter absolvatur. Deinde Ecclesia conversionem ejus ex Pœnitentiæ fructibus agnoscens, ipsum potestate Clavium a Christo sibi tradita absolvit. Ista constant ex Sancto Eligio Homilia 4. mox laudata: Quia vices Christi agimus, *inquit*, quos ille invisibiliter absolvendo, dignos sua reconciliatione judicat; nos visibiliter reconciliando, per officium nostri ministerii absolvimus: eos vero, qui funibus peccatorum suorum ante Dei conspectum adhuc tenentur adstricti, nos quomodo absolvere possumus?" Deinde Pœnitentiæ fructus exponit Sanctus Eligius, seu dispositiones quibus ad Absolutionem Sacramentalem, & ad veniam a Deo obtinendam Peccator præparatur. „ Deinque, *inquit*, multiplex misericordia ejus ad expiationem criminum multiplices „ fructus nobis Pœnitentiæ contulit: non enim tantum simplici illo Pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, de quo Apostolus Petrus: Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra ... Sed etiam fit Absolutio peccatorum per charitatis affectum, per eleemosynarum fructum, per profusionem lachrymarum, per confessionem criminum, & per cordis & corporis afflictionem; præcipueque per morum emendationem .... Quibus omnibus modis aboleri posse peccata, divina testis est Scriptura.... Oportet igitur, dum tempus est, nos per hæc, & his similia, ad Pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, Pœnitentia, istisque modis relaxari posse peccata, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat ... Si enim ille, qui est Scrutator cordium, & renum, prospexerit nostrum spiritum contribulatum; gratum sibi acceptabit Sacrificium, quia non spernit cor contritum & humiliatum: Ipse enim, ut doceret, his mediis a morte ad vitam nobis fore redeundum, ante suam Passionem Lazarum suscitaturus quatriduanum, flevit mortuum, infremuit spiritu & volens turbavit seipsum; ut nobis significaret, quomodo flere, fremere, & turbari debeamus, cum peccatis mortui eorum nimia mole premimur, si revivisce re desideramus.

Dispositiones quibus ad Absolutionem Sacramentalem & veniam a Deo obtinendam peccator præparatur.

Ad exemplum Lazari frequenter a Patribus usurpatum, respondeo, in hoc figuram versari, quod aliquid vitæ præcedere debeat per contritionem ex Dei amore profectam, sine qua a peccati macula peccator emundari non potest. Quam in rem appositè Sanctus Gregorius Magnus Homilia 26. in Evangelia: *Causæ ergo pensandæ sunt*, inquit, *& tunc ligandi, atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, & quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat: tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, quando æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat quia Dominus prius mortuum vocavit, & vivificavit, dicens: Lazare, veni foras; & postmodum is quis vivens egressus fuerat, a Discipulis est solutus. Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, ejus fœtorem magis quam suam virtutem ostenderent. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Quæ verba S. Gregorii Concilium Aquisgranense, anno 816. celebratum, c. 37. transcribit tanquam absolvendi regulam. Eadem citant Paschasius Ratbertus, lib. 8. in Matthæum explicans illa verba, *Quodcumque ligaveris*, &c. Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacramentis, c. 26. & Richardus a S. Victore libro de Potestate ligandi c. 17. Eadem S. Gregorii verba mutuatus est Sanctus Eligius Homilia 11. ubi & Absolutionem illam dispositivam, quæ in gratia compunctionis sita est, diserte necessariam asserit, ut peccator per manuum Sacerdotalium impositionem absolvatur. *Ante omnia*, inquit, *vobis scire necesse est, quia licet impositionem manuum nostrarum accipere cupiatis, tamen Absolutionem peccatorum vestrorum consequi non potestis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos absolvere dignabitur. Tunc enim (ut beatus dicit Gregorius) vera est Absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis, &c.* Ecclesia igitur satisfactionem desiderabat, ut dispositionem ad reconciliationem, & Absolutionem Sacramentalem obtinendam: ut videlicet per opera

Absolutio quibus tribuenda?

Pœni-

Pœnitentiæ, converſionis probaretur ſinceritas, nec mortui ſolverentur peccatores, ſed quoddam ſaltem vitæ initium per contritionem conſecuti.

Hanc doctrinam egregie explicat S. Auguſtinus Enchiridii, c. 65. „ In actione Pœnitentiæ, *inquit*, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit, a Chriſti „ etiam Corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba „ vel quæcumque alia ſigna procedit, cum fit coram illo cui dicitur: Gemitus meus „ a te non eſt abſconditus, recte conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata.

Eamdem Patrum & Eccleſiæ doctrinam eleganter & nitide exponit Ivo Carnotenſis Epiſcopus Epiſtola 228. ad Gonherium Presbyterum data. Quæſierat ille ab Ivone, quomodo inter ſe conveniat Prophetica ſententia, quæ dicit: *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit*; & Synodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquandiu a Corporis & Sanguinis Chriſti Communione ſuſpendit. Repugnare enim inter ſe illi videbantur ſententiæ capitis & corporis, ut quos caput, id eſt, Chriſtus, celeriter a peccato liberat, eos Corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia, ſub pœna peccati diu ligatos retineat. Cui quæſtioni eruditus Antiſtes ſic reſpondet: „ Cum criminalis culpa delinquentem ſeparet a Capite, & a Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celerius, quanto ſolus magis videt interius. Judex vero qui tantum videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub peccati pena detineat, donec per „ manifeſtum Pœnitentiæ fructum, qui ſit Pœnitentis affectus intelligat. Per internum „ enim gemitum ſatisfit interno Judici: & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna converſio. Eccleſia vero, quia occulta cordis ignorat, „ non ſolvit ligatum, licet ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt, publica „ ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes a Sacramentorum Communione ſuſpendit, & in cinere & cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum „ ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur ſi jam ſunt intus vivificati, cum „ fuerint longa Pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat Fraternitas tua, vi„ debis non diſſentire Propheticam & Synodalem ſententiam, cum illa deferat quod „ ſuum eſt Capiti, & iſta concedat quod ſuum eſt Corpori.

Objicitur quarto. Abſolutio quæ ſupponebat perceptionem Euchariſtiæ, non erat Sacramentalis: ſed Abſolutio dilata poſt ſatisfactionem adimpletam ſupponebat perceptionem Euchariſtiæ, primis Eccleſiæ temporibus: non erat igitur Sacramentalis, ſed Canonica dumtaxat. Sacramentalis itaque Abſolutio ante concedebatur olim, quam ſatisfactio impleta fuiſſet.

Probatur minor, primo ex Canone 76. Concilii 4. Carthaginenſis: „ Si continuo, „ *inquit*, creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori „ ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit . . . ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu „ Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probaverit. *Et Canone* 78. Pœnitentes qui in in„ firmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus „ impoſitione, ſi ſupervixerint.

Secundo, ex Concilio Arauſicano 1. Canone 3. „ Qui recedunt, *inquit*, de corpore „ Pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communica„ ri. Quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſ„ modi Communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, „ ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam „ Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.

Tertio ex Concilio Arelatenſi Secundo, Canone 28. cujus verba eadem ſunt, quæ Canonis Arauſicani. In iſtis porro Canonibus duplex diſerte diſtinguitur Abſolutio; una quæ Euchariſtiæ Communioni præmittebatur, altera quæ poſt impletam ſatisfactionem differebatur. Prior erat Sacramentalis, poſterior Canonica.

Reſpondeo, diſtinguo minorem. Abſolutio dilata poſt ſatisfactionem adimpletam, ſupponebat perceptionem Euchariſtiæ, aliquando, concedo; ſemper, nego. Diſtinguo

ſimi-

ſimiliter conſequentiam. Non erat igitur Sacramentalis, in certo caſu, concedo: nuſquam erat Sacramentalis, nego. Itaque abſolutio poſt ſatisfactionem dilata, ſacramentalis erat ordinaria Eccleſiæ lege, ut evincunt omnia momenta quibus prima propoſitio probata eſt: ſed quandoque Canonica erat dumtaxat, quando nimirum Pœnitenti, ob imminens probabiliter mortis periculum Abſolutio Sacramentalis conceſſa fuerat, nec non & Euchariſtia. Tunc enim, ſi convaluiſſet præter ſpem, remittebatur nihilominus ad eam Pœnitentiæ ſtationem, in qua morbo correptus fuerat, & reliquum percurrebat Pœnitentiæ ſtadium, juxta prudentiam, & arbitrium Epiſcopi: quod cum fuiſſet emenſus, Abſolutione Canonica & ceremoniali reconciliabatur, & Pœnitentialium onere laborum ſolutus declarabatur. Ad quam hypotheſim pertinent laudati in objectione Canones.

SCHOLION I.

Ad hujus Diſſertationis Propoſitionem primam, ſive ad pag. 400. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Abſolutio nequit eſſe facilis, nec dari ante Pœnitentiam.*

R. Mea non eſt hæc Propoſitio: non dixi, Abſolutionem dari non debere ante Pœnitentiam peractam. Ita quidem facilis in Abſolutione danda Sacerdos eſſe non debet, ut iis qui diſpoſiti non ſunt, aut contra Dei Legem & Eccleſiæ Regulas concedatur: nec dari debet niſi vere pœnitentibus, ſeu pœnitentiam profeſſis ſuorum ſincera deteſtatione & confeſſione peccatorum, & ſatisfacere divinæ juſtitiæ volentibus ſecundum præſcriptum Sacerdotis. Unde Reus non eſſem, etiamſi hanc Propoſitionem aſſeruiſſem, quam Religioſi Cenſores notant. Sed legentibus patet, notatam in Indiculo Cenſorio Propoſitionem meam non eſſe. En verba mea: *Ex quibus omnibus colligitur, Abſolutionem a peccatis, ante impletam ſatisfactionem, ordinaria lege, primis Eccleſiæ Sæculis conceſſam non fuiſſe: & contrariam praxim fuiſſe improbatam, ut violationem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & prævaricationem Canonum.* Refero quid olim factum ſit, non trado quid fieri debeat. Mutatam in Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Eccleſiæ diſciplinam eſſe novi, ut in plurimis aliis capitibus: & illud *Hugonis a Sancto Victore*, lib. 2. *De Sacramentis Fidei*, p. 2. c. 12. uſurpo: *Salubre eſſe credimus, quidquid Spiritu Dei dictante ab illa fuerit inſtitutum, & dignum reverentia judicatum. Et etiamſi aliis temporibus aliquando non ita fuiſſe, & nunc aliter eſſe quam fuit, demonſtretur: non tamen cogitare debemus, quaſi levitate aliqua factum ſit, ut nunc aliter teneatur, & aliter inſtitutum ſit quam fuit: Sed quod tunc oportebat, & ita ſalubre fuit, ut ſic teneretur, & ſic juberetur. Nunc autem alia eſſe tempora, & aliud eſſe congruum ſive neceſſarium ſaluti humanæ.* Differri tamen Abſolutionem interdum oportet vel expedit, donec ſatisfactoriis etiam operibus converſionis ſuæ ſinceritatem Pœnitentes probaverint, & inveteratam conſuetudinem peccandi, pravoſque habitus, laborioſæ Pœnitentiæ falce exſcindere ceperint. Ut plurimum (inquam) neceſse eſt & expedit ut pravarum conſuetudinum & libidinum mancipiis Abſolutio eouſque differatur, donec illorum dolor per ea opera, quæ ſimul ſunt & medela peccati, & ſatisfactio pro peccatis, ad Abſolutionem fructuoſe percipiendam adoleſcat, matureſcat, & Confeſſario probetur. Et quamvis totam impleri ſatisfactionem minime neceſſe ſit antequam Abſolutio concedatur, inchoari tamen & eouſque procedere ſæpe neceſſe eſt, vel expedit, donec prudenter ſperari poſſit, cor peccatoris eſſe converſum, & ſufficienter præparatum ad Abſolutionis gratiam obtinendam. In Orationibus certe, Jejuniis, & eleemoſynis magnam vim eſſe ad obtinenda Divinæ gratiæ auxilia, ad eradicandas libidines, & ad nutriendum augendumque ob peccata dolorem, nemo Catholicus diffitetur. Hac ratione ſatisfactoria illa opera Abſolutioni præmitti ſæpe oportet, & expedit, ſecundum pii, docti, prudentiſque Confeſſarii judicium ac præſcriptum.

SCHOLION II.

In Reſponſione ad ſecundam objectionem, ſive ad p. 420. & ſequentes Editionis primæ,

mæ, hanc notam appingunt Religiosi Censores: *Absolutio sacramentalis quomodo danda; & expectanda prius Absolutio Dei.*

R. Id non dixi, quod mihi affingunt Censorii Indiculi Auctores. Id unum verbis meis enuntiavi: *Aliquid vitæ præcedere debere in Pœnitente per contritionem ex Dei amore profectam, sine qua a peccati macula emundari non potest, ut Absolutionem obtineat.* Contritionis nomine imperfectam vel perfectam intelligo. Id probo luculentis *SS. Gregorii M.* & *Eligii* testimoniis; sicque demum colligo, *Ecclesia igitur satisfactionem desiderabat ut dispositionem ad Reconciliationem & Absolutionem sacramentalem obtinendam: Ut videlicet per opera Pœnitentiæ conversionis probaretur sinceritas, nec mortui solverentur peccatores, sed quoddam saltem vitæ initium per contritionem consecuti.* Quam notant Propositionem cuderunt ex hac Sancti *Gregorii* Sententia: *Illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Heccine Censoria animadversione digna?

SCHOLION III.

In responsione ad tertiam Objectionem, sive ad p. 422. Editionis primæ, Censorius Indiculus hæc habet: *Cur Ecclesia differat Absolutionem post satisfactionem.*

R. Id non dixi. Scribere debuerunt Auctores Indiculi: *Cur Ecclesia differret*: De veteri namque, non de præsenti disciplina hic ago. Rationem autem hujus dilationis ac moræ, non meis reddo, sed *Ivonis* Carnotensis Episcopi verbis, in quibus quid reprehensione dignum?

Nota.

QUidam rigidiores Moderni, inspicientes illam Ecclesiæ praxim, qua olim pœnitentes nonnisi post peractam pœnitentiam ut plurimum absolutione donabantur, ausi sunt modernum Ecclesiæ ritum, quo post injunctam satisfactionem statim absolutionem Confessarius impertitur, condemnare, quasi legi Christi, & naturæ Sacramenti non conformem. Ne proinde hujusmodi error aditum inveniret, Alexander VIII. sub n: 16. & 17. & 18. sequentes proscripsit propositiones: *Ordinem præmittendi absolutioni satisfactionem induxit non politia, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei idipsum quodammodo dictante. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* Cum igitur Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii instituerit, cui non repugnat culparum pœnam post latam sententiam executioni mandari, ex hoc sequi necesse est, neque ex Christi lege, neque ex ipsius Sacramenti ratione oportere satisfactionem absolutioni præmittere. Si proinde status pœnitentis non cogat Confessarium explorare ipsius dispositionem pœnis satisfactoriis ante absolutionem exequendis, nulla est lex indicens ut Confessarius absque absolutione pœnitentem dimittat, nisi prius satisfactionem injunctam adimpleverit.

Id etiam ostendit non modica disciplinæ varietas, quæ hac in re fuit in Ecclesia. Non solum igitur, si mortis urgebat periculum, si reformidabatur animæ pernicies, si Martyrum preces interveniebant, si ex dilata absolutione grave incommodum Ecclesiæ imminebat, vel commodum impediebatur, statim pœnitentes ad reconciliationem admittebantur, ut post Morinum observat Natalis; sed etiam dum Pœnitentes grande aliquid vel fecerant, vel sustinuerant. Ita ostendit Morinus *de Sacram. Pœnit. lib. 9. cap. 14.* ubi etiam probat per plura sæcula omnia crimina, & peccata, quæ tunc per publicam pœnitentiam non expiabantur, statim post confessionem absolutione remissa. Concludit demum Orientalem Ecclesiam ab annis 1200. statim post peccatorum confessionem, & satisfactionis impositionem absolutionem dare consuevisse; atque in hac praxi adhuc perseverare. Quid mirum ergo hujusmodi morem tandem ubique in Ecclesia obtinuisse, ita ut eumdem velut consuetudinem ubique vigentem supponant omnes

nes Auctores, præcipue a sæculo XII.? Lector ergo dijudicet, quam falso modernam absolvendi praxim Christi legi contrariam inter alios dixerit Arnaldus *lib. de freq. Comm.* errorem Petri de Osma a Sixto IV. proscriptum redivivum volendo..

DISSERTATIO X.

De Unitate Pœnitentiæ.

QUÆSTIO UNICA.

utrum iis, qui acta publice Pœnitentia, nova crimina perpetrabant, omnis aditus Pœnitentiæ ab Ecclesia præcluderetur.

DUplex istius Quæstionis sensus esse potest. Primus, utrum post Pœnitentiam publice peractam, nullum jus ad Pœnitentiam publico & solemni ritu secundo agendam supereſſet. Secundus, utrum privatæ etiam pœnitentiæ aditus præcluderetur iis, qui nova in crimina erant relapsi, postquam publicam Pœnitentiam egissent.

PROPOSITIO I.

Iis qui acta publice Pœnitentia, in eadem, vel nova crimina relabebantur, ob quæ agenda publice Pœnitentia esset, secundum Ecclesiæ leges, nedum publicæ, verumetiam privatæ Pœnitentiæ præcludebatur aditus.

PRobatur primo ex Tertulliano, libro de Pœnitentia, c. 7. ubi de Pœnitentia criminum post Baptismum commissorum agere incipiens, illam semel concedi asserit verbis tam claris, quam elegantibus. *Piget*, inquit, *secundæ, immo jam ultimæ spei subtexere mentionem; ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum quia patet ad pœnitendum; & redundantiæ clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Mox ubi de tentationibus diaboli, quibus hominem a vitæ prioris sceleribus Baptismo expiatum obsidet, & oppugnat, ut eum dejiciat e felici baptismalis innocentiæ statu, præclare dixit; hæc subjungit de unica post Baptismum Pœnitentia. ..... *Hæc igitur venena ejus prævidens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius numquam, quia proxime frustra. Non enim & hoc semel satis est?*

Et cap. 9. *Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ & unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.*

Rationes severitatis quam erga peccatores relapsos exercuit Ecclesia.

Hujus autem severitatis, quam erga Peccatores, post actam semel Pœnitentiam, in graviora crimina relapsos exercuit Ecclesia, præclaras affert rationes Tertullianus: prima est, quia non jam ipsis suffragatur ignorantia ad excusationem peccati, cum ex Pœnitentiæ gravitate & diuturnitate facile cognoverint quanta sit criminis gravitas. *Hoc enim dico*, inquit, *Pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, numquam posthac iteratione delicti resignari oportere. Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique pœnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis: Ita in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ agglutinaris.*

Lib. de Pœnitent. cap. 5. Graviora Relapsorum peccata.

Secunda ratio, est divini timoris in peccatore præsumpta extinctio: Pœnitentiam enim egerat Dei timore concussus: cum igitur in eadem, vel similia crimina præceps ruit,

divi-

divinum timorem excussisse penitus videtur. *Si idcirco te deliquisse pœnituerat*, inquit, *quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res quam contumacia subvertit.*

Tertia ratio est divinæ Majestatis contemptus, & ingrati in Deum animi vitium, cujus reus est, qui relabitur in eadem vel æque gravia crimina, postquam ea, divina gratia adjuvante, Pœnitentia eluit. Quantam autem pœnam ille Dei contemptus mereatur, patet ex eo quod severe etiam puniantur, qui Dei ignorantia peccaverunt. Majus autem scelus est Deum despicere, quam ignorare. „ Cum etiam, *inquit Ter-*
„ *tullianus*, ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pœna (quia Deum in aper-
„ to constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet)
„ quanto cognitum despici periculosum est? Despicit porro qui bonorum ac malorum
„ intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, re-
„ sumens, intellectui suo, id est, Dei dono, contumeliam facit; respuit datorem,
„ cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemad-
„ modum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo
„ contumax, sed etiam ingratus apparet.

Quarta ratio, est judicium a Peccatore, qui relabitur in pristina, vel in alia crimina post Pœnitentiam, prolatum in gratiam diaboli contra Deum Optimum Maximum, inimicique erectio adversus Creatorem & Servatorem. *Cæterum*, inquit Tertullianus, *non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit; ut denuo malus, recuperata præda sua, adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiam satisfaciet, eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.* Ob has rationes, Ecclesia præcludebat, cum publicæ, tum privatæ Pœnitentiæ aditum iis, qui acta publice Pœnitentia, in ea rursus crimina labebantur, ob quæ publica Pœnitentia subeunda fuisset.

Probatur secundo Propositio ex Clemente Alexandrino, lib. 2. Stromatum, p. 282, ubi divinam benignitatem commendans, ait ipsam providisse homini post Baptismum peccanti secundæ Pœnitentiæ remedium; sed illam pœnitentiam unam esse, & semel dumtaxat ab Ecclesia concedi significat, quia veram sinceramque eorum non existimat conversionem, qui post Pœnitentiam, eadem, vel æque gravia in peccata relapsi, rursus veniam ab ea postulant. „ Dedit ergo, *inquit*, cum sit multæ misericordiæ, iis
„ etiam qui fide in aliquod peccatum incidunt, secundum Pœnitentiam, quam, si quis
„ tentatus fuerit, post vocationem, coactus & callide circumventus, unam adhuc non
„ pœnitendam acceperint Pœnitentiam. Voluntarie enim peccantibus nobis, non am-
„ plius relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii,
„ & zelus ignis, qui est devoraturus adversarios. Continue autem & se vicissim ex-
„ cipientes propter peccata Pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non credi-
„ derunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt: neque scio utrum sit de-
„ terius prudentem ac scientem peccare, an, cum pro iis, quæ peccavit, Pœnitentia
„ ductus fuerit, rursus peccare. . . . Est enim rursus meditatio peccatorum, sæpe pœ-
„ nitere, & ad facilem mutationem aptitudo ex defectu exercitationis: Apparet er-
„ go, sed non est Pœnitentia, sæpe petere veniam de iis, quæ sæpe peccamus.

Probatur tertio ex S. Ambrosio lib. de Pœnitentia, c. 10. „ Merito, *inquit*, repre-
„ henduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo.
„ Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum
„ Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos
„ debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum est, illa graviorum. " Ex quibus constat, S. Ambrosium eamdem negare Pœnitentiam gravioribus peccatis; quam levioribus assignat. Porro Pœnitentia leviorum peccatorum, privata est: igitur Pœni-

ten-

tentia etiam privata negabatur iis, qui publica Pœnitentia semel functi in eadem, vel æque gravia crimina relabebantur.

Id confirmant ejusdem S. Ambrosii verba, c. ultimo ejusdem libri, dicentis satius esse homini differre Pœnitentiam, cum exercere quis opera pœnitentiæ non potest. Ne, inquit, *in ipsa Pœnitentia fiat, quod postea indigeat Pœnitentia: quæ si semel fuerit usurpata, nec jure celebrata: nec prioris fructum obtinet, & aufert usum posterioris*. Certe id falso dictum esset a S. Ambrosio, si privata pœnitentia eumdem fructum obtinuissent, qui post publicam pœnitentiam in graviora crimina relapsi erant. Ineptæ fuissent quas secundo peccantibus intentabat, minæ, si ad publicæ tantum Pœnitentiæ denegationem eas retulisset, iisque concedi supposuisset privatam. Immo feliciores fuissent, & humanius excepti, qui Pœnitentia publice peracta, secundo aut sæpius peccaverant, quam semel dumtaxat peccantes: siquidem istis sine publica Pœnitentia reditus in Ecclesiam non patuit, illis vero privata Pœnitentia Communionis januam aperuisset: Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actum ab Ecclesia putet, qui in eadem sæpius incidissent, & quidem horrenda flagitia, quam cum iis qui semel ea commisissent: igitur ne privatæ quidem ipsis patebat aditus Pœnitentiæ.

Probatur quarto ex S. Augustino, Epistola 54. ad Macedonium. Scripserat ille ad S. Augustinum, se dubitare, utrum ex religione orta esset Episcoporum consuetudo, qui pro capitalium criminum reis apud judices intercedebant, ne morti addicerentur. Adversus morem illum Ecclesiasticum objecerat Ecclesiæ Disciplinam, quæ unam dumtaxat Lapsis post Baptismum Pœnitentiam concedebat. Ex ea colligebat, Episcopos rogare pro iis non debere, qui secundo, vel sæpius capitalia in crimina lapsi essent. Sic statum quæstionis se habuisse constat tum ex Epistola Macedonii, cum ex responso S. Augustini. *Quæris a me*, inquit Augustinus, *cur officii Sacerdotii nostri esse dicamus intervenire pro reis, & nisi obtineamus, offendi, quasi quod erat officii nostri, minime reportemus. Ubi vehementer te dicis ambigere, utrum istud ex Religione descendat. Deinde adjungis, qua ratione ita movearis. Nam si a Domino peccata*, inquis, *adeo prohibentur, ut nec pœnitendi quidem copia post primam Pœnitentiam tribuatur; quemadmodum nos possumus ex Religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur*? Certe si consuetudo fuisset in Ecclesia Romana, & Africana; post Pœnitentiam publicam semel peractam, altera Pœnitentia etiam privata scelus iteratum, aut aliud canonicum crimen expiare, & iterum absolvere Peccatorem, nullus fingi potuisset huic objectioni locus: nulla fuissent illius verisimilis ratio. Porro incredibile est Macedonium virum prudentissimum id Sancto Augustino absque ullo fundamento, ullave rationis specie objeciisse.

Præterea, si pœnitentiæ privatæ reseratus ab Ecclesia non fuisset aditus iis, qui eadem, vel æque gravia peccata, post publicam pœnitentiam perpetraverant, præsentissima Sancto Augustino fuisset occasio colligendi ex Ecclesiæ more, Episcopos pro reis apud Magistratus merito intercedere, quamvis secundo, aut sæpius eadem facinora, vel etiam graviora perpetrassent. Respondisset Macedonio eruditissimus Patrum, decere Antistites, Deum Ecclesiamque imitari, a quibus secunda & tertia pœnitentia concedebatur graviorum criminum reis, cum hoc tantum discrimine, quod primo peccantes publicam; secundo, tertio, & sæpius in eadem, vel graviora flagitia relapsi, privatam dumtaxat pœnitentiam agerent. Verum nihil hujusmodi respondet Macedonio Sanctus Augustinus. Immo ostendit Pœnitentiam alteram jure negari ab Ecclesia, non ideo tamen Deo exprobandum esse quod parcat secundo, iterumque peccantibus, cum quotidie Solem suum super peccatores oriri faciat, malisque vitam proroget, ut ad ipsum tandem aliquando convertantur. Sed præstat audire ipsius Sancti Augustini verba. „ Quod si iniquis, *inquit*, & scelestis ille parcendo, eisque vitam, salutemque largiendo, etiam plerisque eorum, quos novit non acturos Pœnitentiam, tamen exhibet patientiam; quanto magis nos in eos qui correctionem promittunt, & utrum faciant quod promittunt incerti sumus, misericordes esse debemus, ut rigorem vestrum pro eis intercedendo flectamus, pro quibus & Dominum, quem nihil de moribus eorum etiam futuris latet, non tamen impudenter, quia hoc ipse

præ-

„ præcepit, oramus? In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, „ ut etiam poſt actam Pœnitentiam, poſt Altaris reconciliationem vel ſimilia, vel „ graviora committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri Solem ſuum, „ nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largiſſima munera vitæ ac ſalutis. Et quam„ vis eis in Eccleſia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper „ eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat: Aut „ date mihi eumdem iterum pœni tendi locum; aut deſperatum me permittite, ut „ faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non „ prohibeor; in ſcortis, omnique luxuria damnabili quidem apud Dominum, ſed apud „ homines pleroſque etiam laudabili: aut ſi me ab hac nequitia avocatis, dicite, „ utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ volu„ ptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigan„ dum corpus meum multa mihi etiam licita & conceſſa ſubtlaxero, ſi me pœniten„ do vehementius quam prius excruciavero, ſi miſerabilius ingemuero, ſi fievero ube„ rius, ſi vixero melius, ſi pauperes ſuſtentavero largius, ſi charitate, quæ operit „ multitudinem peccatorum, flagravero ardentius: quis noſtrum ita deſipit, ut huic „ homini dicat, nihil tibi iſta proderunt in poſterum: vade, ſaltem vitæ hujus ſua„ vitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegamque dementiam". Certe fruſtra & inepte induxiſſet S. Auguſtinus hominem iterati criminis, poſt publicam Pœnitentiam, reum, poſtulantem, ut ſibi idem Pœnitentiæ locus concederetur, aut ſibi deſperare liceret de ſalute, ſi privatæ Pœnitentiæ illi patuiſſet janua. Fruſtra item quæſiviſſet ille peccator, an ſibi profutura eſſent ad vitam futuram bona opera, jejunia, aliæque macerationes corporis, quæ in privata Pœnitentia impoſitæ fuiſſent, & ad conſequendum ejus fructum indictæ.

Addit S. Auguſtinus: *Quamvis ergo caute, ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga iſtos non agi, quod Apoſtolus ait: Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Vide ut hujuſmodi peccatores uni Dei miſericordiæ ac patientiæ committit S. Auguſtinus; pœnitentiæ vero privatæ paratum ipſis ſubſidium altiſſimo premit ſilentio, id nequaquam facturus, ſi poſt publicam Pœnitentiam, eadem, vel æque gravia in crimina relapſi, privatæ Pœnitentiæ remedium ab Eccleſia conſecuti fuiſſent.

PROPOSITIO II.

Peccatoribus, qui peracta publice Pœnitentia, eadem, vel æqu gravia crimina perpetraverant, privata Pœnitentia, & Abſolutio, in morte non denegabatur.

PRobatur ex Siricio Pontifice Maximo Epiſtola 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, cap. 5. Conſulnerat ipſum Himerius, quomodo gerere ſe deberet erga eos, *qui acta Pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetiverant concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam, generati poſt Abſolutionem filii prodiderant.* Sic autem reſpondet illi quæſtioni Siricius: *De quibus quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus Oratione jungantur, ſacræ Myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a Dominicæ autem Menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per Communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.* Peccatoribus igitur, qui

peracta publice pœnitentia relapsi fuerant, seque volutaverant in eodem criminum luto, privatæ Pœnitentiæ subsidium; Absolutionisque beneficium, imminente morte, non denegabatur antiquitus.

Objectionum solutio.

Propositio prima impugnatur ex Origene Homilia 15. in cap. 25. Levitici, dicente: *In gravioribus criminibus semel tantum vel raro, pœnitentiæ conceditur locus. Ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.*

Respondeo primo, morem illum unius pœnitentiæ pro gravioribus criminibus agendæ obsolescere forsan cœpisse in Oriente Origenis temporibus, qui diu postea in Ecclesia Occidentali viguit: unde non mirum quod antiquæ illius disciplinæ severitatem verbis mollioribus expresserit Origenes, dicens: *Semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus.*

Respondeo secundo, interpolatum non immerito me suspicari Origenem: siquidem Sententiarum Magister hunc locum laudans, lib. 4. Distinct. 14. hæc verba præterit, *vel raro*, quæ doctissimus Pater Nicolai per parenthesim addidit, ut ea apud Origenem quidem legi, sed a primitivo Magistri textu abesse significaret. Ego vero disjunctivam illam, *vel raro*, intrusam existimo in textum Origenis ab aliquo sciolo, qui prioris ævi disciplinam ex sui temporis praxi metiri volens, persuadere sibi non potuit, privatam Pœnitentiam iis, qui peracta publica; iterum in eadem, vel æque gravia flagitia ceciderant, fuisse aliquando ab Ecclesia denegatam. Quamobrem dixisse voluit Origenem, *semel*, *vel raro*; quia nisi ita scripsisset, falsa fuisset Scholasticorum opinio, quorum plurimi Pœnitentiam duntaxat solemnem iteratam non fuisse, pertinacissime contendunt. Sic porro habet Origenes explicans illud Levitici 25. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit ergo licentiam redimendi, &c.* Sic (inquam) habet: *Istas domos, si forte alicui (ut supra exposuimus) lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas, ut verbi gratia dicamus; si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat; hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico, cui murus non est. Hæc ergo venditio, hujusmodi culpa semper potest reparari; nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus, semel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Ista vero communia, in quæ frequenter incurrimus, semper Pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Porro si sic legatur Origenis textus absque clausula illa addititia, *vel raro*, accuratior erit ac locupletior ejus allegoria, magisque conveniet Sanctæ Scripturæ textui. Assignat enimvero Sacer Textus discrimen redemptionis domorum, quæ in pagis, & quæ in urbibus extructæ sunt, quod priores, Jubilæo redeunte, redimi semper possent a primis dominis: posteriores vero redimi quidem possent intra venditionis annum; eo vero elapso, numquam. Origenes domos, quæ sunt in pagis leviora peccata allegorice interpretatur: quæ vero sunt in urbibus, graviora scelera: redemptionem vero domorum, exponit de pœnitentia peccatorum. Ut igitur accuratam institueret allegoriam, dicere debuit, leviora peccata sæpius redimi, sicut ædes rusticæ sæpius redimebantur; id est, toties ab his absolvi peccatorem a Sacerdotibus, quoties pœnitentiam ageret: graviora vera, & canonica crimina semel tantum redimi, id est, Pœnitentia unica expiari, quæ publica erat; postmodum vero nulla alia pœnitentia, nequidem privata redimi, secundum Ecclesiæ disciplinam, sicut domus in urbibus sitæ semel tantum redimi poterant. Unde patet, verba illa, *vel raro*, intrusa fuisse in Origenis textum.

Objectio secunda petitur ex Sancto Joanne Chrysostomo, quem citat Magister Sententiarum in fine Distinctionis 14. lib. 4. Homilia 20. in Epistolam ad Hebræos hæc verba capitis decimi, *Voluntarie peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis*, &c. *Sciendum*, inquit, *quod hic quidam exurgunt, horum verborum occasione pœnitentiam auferentes, quasi per Pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo, & tertio, & deinceps. Verum etiam in hoc Pœnitentiam non excludit propitiationem, quæ sæpe fit per Pœnitentiam, sed secundum Baptismum &* h

Igitur Sancti Joannis Chryſoſtomi tempore, ſecunda Pœnitentia concedebatur iis, qui poſt publicam Pœnitentiam, in eadem, vel æque gravia crimina prolabebantur.

Reſpondeo primo, ſeveriorem illam diſciplinam in Oriente citius, quam in Occidente fuiſſe remiſſam, illamque concidiſſe penitus poſt Nectarii celebre factum, quo Pœnitentiarium, qui publicæ Pœnitentiæ præerat Conſtantinopoli, ſuſtulit. Unde cum Nectario proxime ſucceſſerit S. Chryſoſtomus, nullum eſt adverſus noſtram aſſertionem teſtimonii citati robur.

Reſpondeo ſecundo, verba illa, quæ a Magiſtro Sententiarum laudantur, non haberi apud S. Chryſoſtom. neque in textu Græco, neque in Verſione Latina. Sic enim ſcribit Chryſoſtomus: *Hic rurſus nos adoriuntur, qui tollunt Pœnitentiam, & quicumque cunctantur venire ad Baptiſma, ſiquidem non eſt ſecunda remiſſio. Illi vero dicunt non eſſe tutum eos, qui peccarunt, impertiri Myſteriis; ſiquidem non eſt ſecunda remiſſio: Quid ergo dicemus utriſque? Quod hic non tollit Pœnitentiam, nec eam, quæ per pœnitentiam fit, placationem: neque expellit, & dejicit per deſperationem eum qui eſt lapſus (non enim eſt adeo inimicus noſtræ ſalutis) ſed ſecundum lavacrum tantum aufert. Non enim dixit: Non eſt amplius pœnitentia, neque eſt amplius remiſſio: ſed, Non eſt amplius hoſtia, hoc eſt non eſt amplius crux ſecunda: hoc enim vocat hoſtiam.*

Reſpondeo tertio, quod ſi hoc dixiſſet S. Joannes Chryſoſtomus, deflexiſſe tantiſper a veteris Diſciplinæ ſeveritate videretur: hucque referri poſſet accuſationis illius Articulus ſextus, prout illum ex Photio refert Eminentiſſimus Annalium Parens. Adverſus ipſum enim objiciebant hoſtes ejus infenſiſſimi, quod aditum aperiret peccatoribus dicens: *Si iterum pecces, iterum Pœnitentiam facito; & quoties peccaveris, accede ad me, & ego te curabo.* Crimini certe hujuſmodi adhortatio, promiſſioque veniti non potuiſſet, maxime apud Epiſcopos, niſi Diſciplinæ & conſuetudini Eccleſiaſticæ contraria fuiſſet ſecundæ Pœnitentiæ conceſſio. *Baronius ad annum Chriſti 403.*

Objicitur tertio. Priſca illa ſeveritas Eccleſiam crudelem adumbrat ac pene Novatianam. Eſt igitur incredibile Eccleſiam intercluſiſſe ſecundæ Pœnitentiæ, etiam privatæ aditum iis, qui poſt publicam Pœnitentiam, in eadem, vel nova crimina relapſi fuerant.

Reſpondeo, nec crudelem ob hoc cenſeri debuiſſe Eccleſiam, ſicut nec crudelis eſt medicus, qui urit & ſecat, ne ulcus interius ſerpat: nec debere videri Novatianis faventem. Illi enim nec unam poſt Baptiſmum Pœnitentiam admittebant, & crimina poſt lavacrum perpetrata ne ſemel quidem per Eccleſiæ Claves dimitti poſſe contendebant. At quod unica graviorum criminum reis poſt Baptiſmum conceſſa ſit primis ſæculis Pœnitentia, *Non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt Diſciplinæ. Alioquin contra claves Eccleſiæ datas diſputabitur, de quibus dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo* (inquit S. Auguſtinus alia in ſpecie, ſed plane ſimili, Epiſt. 50.)

Objicitur quarto. S. Thomas 3. Parte, Quæſtione 84. Articulo 10. propugnat, Pœnitentiam poſſe iterari, eoſque, qui ſecundam poſt Baptiſmum Pœnitentiam inutilem eſſe dixerunt, Hæreticis accenſet. Ergo Eccleſia Pœnitentiæ aditum intercluſiſſe non videtur iis, qui poſt publicam Pœnitentiam, vel iiſdem, vel gravioribus peccatis ſe obſtringebant.

Reſpondeo, Sanctum Thomam ſpectaſſe Diſciplinam in Eccleſia ſuo Sæculo vigentem, locutumque fuiſſe de Pœnitentia abſolute ſumpta, quæ ſane iterari poteſt, quamvis Eccleſia ſtatuere poſſit, ut non iteretur, ne medicina ſæpius repetita vilis fiat ægrotis. Merito etiam illos Hæreticis accenſet S. Thomas, qui ſecundam Pœnitentiam inutilem eſſe dixiſſent; quia utiliſſima eſt cum ab Eccleſia conceditur ut Sacramentum; ſive etiam cum a Pœnitente exercetur ut virtus. *In quacumque enim hora ingemuerit Peccator, omnium iniquitatum ejus Deus non recordabitur.*

Eodem modo exponendum eſt, quod habet in librum 4. Sententiarum Diſtinct. 14. Quæſt. 1. Artic. 5. Quæſtiunc. 2. *Solemnis*, inquit, *Pœnitentia iterari non debet propter tria: Primo, ne ex iteratione vileſcat: ſecundo, propter ſignificationem, quia eſt figura expulſionis hominis de Paradiſo, quæ eſt ſemel tantum facta: tertio, quia ſole-*

mnizatio est quasi quædam professio perpetuo pœnitentiam conservandi : & ideo iteratio solemnitati resistit ; si tamen postmodum peccaverit , non clauditur ei locus pœnitentiæ ; sed pœnitentia solemnis iterum ei injungenda non est . In his enim , ut in plerisque aliis, Disciplinam suo tempore in Ecclesia vigentem spectavit Sanctus Thomas.

SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem, sive ad pag. 429. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Sicut unus Baptismus , ita una Pœnitentia* .

R. Non mea, sed *Sancti Ambrosii* Propositio est, cujus verba ibi protuli: *Quia sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publice agitur* &c. Hæc postrema verba, *Quæ tamen publice agitur* , a me descripta , ut apud *Sanctum Ambrosium* leguntur, Auctores Indiculi Censorii detruncarunt .

SCHOLION II.

Ad ejusdem Dissertationis Propositionem primam Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Privata etiam Pœnitentia Relapsis negata. TOTA* , inquiunt , *Conclusio cum suis probationibus expungatur* .

R. *Iis qui acta publice Pœnitentia, in eadem vel nova crimina relapsi erant, ob quæ agenda publice Pœnitentia foret, secundum Ecclesiæ leges, nedum publicæ , verum etiam privatæ Pœnitentiæ præclusum olim aditum* , probavi disertis Patrum testimoniis . Nova hæc sententia non est , quam ante me propugnaverunt *Albaspinæus* Aurelianensis Episcopus libro 2. Observatione 5. *Joannes Morinus* libro 5. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ* , cap. 27. *Dionysius Petavius* , in Animadversionibus *in S. Epiphanium* , ad Hæresim 50. quæ est Novatianorum, pag. 236. & seq. aliique Viri Eruditi. Attendant, quæso, Religiosi Censores ad præclaram illam doctissimi Card. *Bona* animadversionem, lib. 1. *Rer. Liturg.* cap. 18. „ De sacris, *inquit* , Ecclesiæ Ritibus, eorumque „ venerandâ antiquitate illi procul dubio male merentur, qui priscos Mores præsentis „ temporis consuetudine metientes , omnem veterem Disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil umquam ab iis usibus diversum „ fuerit , quos a parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando Priscorum Patrum Monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt, obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti comparantes : & „ si forte in aliquid incidunt quod ab hodiernis Ritibus discrepet , subsistunt & mutant , vel inconsulto respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quidquid a suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit ut in maximos „ errores, inque Rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur ; quia „ nimirum illorum causas & fundamenta ac ipsasmet definitiones ignorant , quas bene percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ Disciplinæ in mente habeat.

J O: D O M. M A N S I

Nota.

SUspicio P. Alexandri de interpolato Origenis textu in Homilia XV. in cap. 25. Levit. confirmatur ex auctoritate omnium librorum manuscriptorum , quos consuluit novissimus editor operum Origenis P. Delarve; fatetur enim in his omnibus Codicibus ita legi: *in gravioribus enim criminibus semel tantum* (deest vel *raro*) *conceditur locus*, &c.

DISSERTATIO XI.

De Pœnitentia Clericorum.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Clerici primis Ecclesiæ Sæculis Pœnitentiæ publicæ addicerentur.

DIstinguendum est inter majores Clericos ac minores, ac de utrisque expendendum, an Pœnitentiæ publicæ obnoxii aliquando fuerint.

PROPOSITIO I.

Clerici minores, non secus ac Laici, publicæ olim Pœnitentiæ addicebantur.

PRobatur auctoritate & testimonio Felicis III. Pontificis Maximi Epist. 7. in qua ubi in Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui ab Hæreticis se passi sunt rebaptizari, sententiam tulit, sic decernit de Minoribus Clericis, Monachis, & Monialibus, ejusdem criminis reis: „ De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut „ sæcularibus, servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui „ lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit, ut scilicet, qui nulla necessita- „ te, nullius rei timore, aut periculo, se ut rebaptizentur, Hæreticis impie dedide- „ runt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes sint: septem „ autem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum: duobus autem an- „ nis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in „ oratione socientur.

Probatur secundo ex S. Isidoro Hispalensi, libro 2. de Ecclesiasticis Officiis, c. 16. ubi cum dixisset, post unum Baptismum substituisse Deum Pœnitentiæ remedium, addit: *Honorum dumtaxat dignitate servata, ita ut a Sacerdotibus & Levitis, Deo tantum teste, fiat; a cæteris vero, adstante coram Deo solemniter Sacerdote.* Igitur soli Sacerdotes & Diaconi publicæ Pœnitentiæ legibus exempti erant S. Isidori ætate in Ecclesia Hispaniensi.

Impugnatur Propositio ex Siricio Pontifice Max. Ep. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum data, cap. 14. ita decernente: *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli umquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci.* Omnes igitur Clerici, etiam inferioris gradus, a publicæ Pœnitentiæ legibus immunes fuerunt. *Objectionis solutio.*

Respondeo, nego consequens. Evidens enim est ex verbis sequentibus, Siricium de majoribus dumtaxat Clericis intelligendum esse, qui Sacramenta conficiunt, vel proxime assistunt ac ministrant conficientibus. *Quia*, inquit, *quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

PROPOSITIO II.

Majoribus Clericis, post tertium Sæculum, Pœnitentia publica, ex Ecclesiæ disciplina non imponebatur.

MAjorum Clericorum nomine Episcopos, Presbyteros & Diaconos intelligimus.

Probatur primo ex S. Hieronymo, Epistola 48. ad Sabinianum Diaconum data, qui plures Virgines corruperat, & alteri stuprum condixerat. *Hortatus sum*, inquit, *ut*

ageres Pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut ſolitudinem peteres, ut viveres in Monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lachrymis implorares. Majoribus igitur Clericis Pœnitentia publice agenda non imponebatur, ſed ſecreto in loco, atque a Fidelium conſpectu remoto, ex Epiſcopi juſſu, pœnas ſibi impoſitas ſubibant.

Probatur ſecundo ex S. Auguſtino, lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 1. *Sicut redeuntes*, inquit, *qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priuſquam recederant ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum Ordinationis ſuæ tamen gerunt: & ideo eis manus inter laicos non imponitur.* Certe ſi Clericis propter Sacramentum Ordinationis, ſive propter characteris venerationem, manus inter Laicos non imponebatur, non addicebantur illi Pœnitentiæ publicæ more laicorum.

Probatur tertio ex Concilio Carthaginenſi Quinto, quod anno Chriſti 398. celebratum eſt, Canone 2. ita decernente; *Si quando Presbyteri vel Diaconi, in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tamquam Pœnitentibus, vel tamquam Fidelibus laicis imponatur.*

Probatur quarto ex Sancto Leone Magno Epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum data, cap. 2. *Alienum eſt*, inquit, *a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex Apoſtolica Traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujuſmodi lapſis, ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Tempore igitur S. Leonis, Sacerdotes & Diaconi in Monaſteriis, aut in aliis locis hominum a conſpectu remotis, Pœnitentiam agere cogebantur, cum in gravæ crimen lapſi erant: ſed publica illis Pœnitentia, cum laicis agenda, non imponebatur.

Probatur quinto ex Concilio Toletano 4. quod anno Chriſti 673. celebratum eſt, Canone 29. quo majores Clerici, ad Pœnitentiam ſecreto agendam, in Monaſteria detruduntur. *Si Epiſcopus*, inquit, *aut Presbyter, ſive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, magos, aut aruſpices, aut ariolos, aut certe augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, Monaſterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegii luat.* Majoribus igitur Clericis, poſt tertium Sæculum, Pœnitentia publica, ex Eccleſiæ diſciplina, non imponebatur.

Objicitur, Felix Tertius Pontifex Maximus, Epiſtola 7. Epiſcopos & Presbyteros qui in rebaptizationem conſenſerant, nequidem Communione Laica donari decernit, niſi in ſupremo vitæ diſcrimine, illoſque in Pœnitentia jacere jubet. Igitur majores Clericos, etiam poſt Sæculum tertium, Pœnitentiæ publicæ addixit Eccleſia.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens. Et jubet eos Pœnitentiam agere privatim, concedo: publice, nego. Nam Felix Tertius magnum diſcrimen inter Clericos majores ex una parte, & Clericos minores, atque Laicos ex altera conſtituit. Siquidem iſtos jubet omnes Pœnitentiæ gradus percurrere, in quibus Pœnitentes frequentibus manuum impoſitionibus & exorciſmis expiabantur: alios vero diſtincto Pœnitentiæ genere damnat, quam in Monaſteriis agerent. Enimvero ſi mos Eccleſiæ fuiſſet, ut Clerici majores ſingulos Pœnitentiæ luctuoſæ gradus percurrerent, & more Laicorum impoſitionibus manuum ſubſternerentur, Felix Epiſcoporum & Presbyterorum Pœnitentium claſſem a claſſe Pœnitentium Laicorum non diſtinxiſſet. Diſtinxit autem, ut conſtat ex ipſius Decreti tenore. *Ut ergo*, inquit, *ab Eccleſiæ Summatibus inchoemus, eos, quos Epiſcopos, Presbyteros, vel Diaconos fuiſſe conſtiterit, & ſeu optantes forſitan, ſeu coactos, lavacri illius unici, ſalutariſque claruerit feciſſe jacturam, & Chriſtum quem non ſolum dono regenerationis, verumetiam gratia percepti honoris induerant, exuiſſe: cum conſtet neminem ad ſecundam tinctionem venire potuiſſe, niſi ſe palam Chriſtianum negaverit, & profeſſus fuerit ſe eſſe Paganum. Quod cum generaliter ſit in omnibus execrandum, multo magis in Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, auditu ſaltem dictuque probatur horrenda-*

rendum. Sed quia idem Dominus atque Salvator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, uſque ad exitus ſui diem in Pœnitentia (ſi reſipiſcunt) jacere conveniet; nec orationi non modo Fidelium, ſed nec Catechumenorum, modis omnibus intereſſe, quibus communio laica tantum in morte reddenda eſt. Quam rem diligentius explorare, vel facere, probatiſſimi Sacerdotis cura debebit. Vide ut Pœnitentiam quidem indicit majoribus Clericis, ſed ſub oculis probatiſſimi Sacerdotis, non vero in conſpectu totius Eccleſiæ peragendam. Longe aliter decernit de Clericis minoribus, de Monachis, & Monialibus, quos ad eumdem Pœnitentium ordinem cum Laicis amandat, publiceque Pœnitentiam agere conſtituit (ut conſtat ex ipſius verbis inter prioris Propoſitionis Probationes relatis.) Felix Tertius annis 22. poſt S. Leonem ſedit in Cathedra Romana. Cum igitur S. Leonis tempore jam diſciplina illa vigeret, ut majores Clerici Pœnitentiam in Monaſteriis, vel aliis ab hominum conſpectu remotis locis agerent, nec addicerentur Pœnitentiæ publicæ; veriſimile non eſt quod Felix Tertius diſciplinam illam immutaverit, atque everterit.

PROPOSITIO III.

Tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis Clerici Majores publicæ Pœnitentiæ legibus, ex Eccleſiæ Diſciplina ſubditi fuerunt.

PRobatur primo ex Concilio Illiberitano, cujus Canones Pœnitentiam publicam imponunt canonicorum criminum reis, nec majores Clericos ab ea lege excipiunt; aut aliud ipſis imponunt genus Pœnitentiæ, ſi in eadem crimina fuerint prolapſi. Sed ne in argumento negativo parum eſſe roboris videatur, probationem poſitivam iſtius diſciplinæ colligimus ex Canone 76. ejuſdem Concilii: quo Diaconi in crimine capitali detecti, etiam ante Ordinationem perpetrato, depoſitione, & publica Pœnitentia mulctantur. En verba Canonis: *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere Communionem: quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta Pœnitentia, accipere Communionem laicam debere.* Certe niſi de Pœnitentia publica hic Canon intelligatur, nullum Concilii Illiberitani Canonem de illa intelligere poterimus, cum eadem fere loquendi formula utantur univerſi.

Probatur ſecundo ex Concilio Neocæſareenſi, Canone 1. in Presbyteros fornicationis reos, vel adulterii, ita decernente: *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.* Pœnitentia porro in qua extra Eccleſiam peccator pellebatur, erat Pœnitentia publica. Tribus igitur primis Eccleſiæ ſæculis, & quarti initio, Clerici majores Pœnitentiæ publicæ legibus ex Eccleſiæ diſciplina ſubjacebant.

Probatur tertio, ex hiſtoria Natalis Confeſſoris, & primarii poſtea Hæreticorum Epiſcopi, quæ refertur ab Euſebio, libro 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 28. qui nempe *cilicio & ſacco indutus, cineribus aſperſus cum magno mœrore & lacrymis, ad pedes Zephirini Pontificis ſe ſupplicem abjecit; & non modo ad Clerì, ſed ad Laicorum etiam genua advolutus eſt: ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnopere commiſerata, lamentis una ſe dederet.* Si tunc Majores Clerici Pœnitentiæ publicæ legibus exempti fuiſſent, Natalis Zephirinum Pontificem privatim adiiſſet, vel ſaltem, præſente dumtaxat Clero; non vero coram plebe feciſſet exomologeſim, nec lugubri publicorum Pœnitentium habitu indutus, proſtratus fuiſſet ad pedes etiam Laicorum. Dicere enim quod ſponte ad Pœnitentiam publicam ſe demiſerit, ariolari eſt.

Probatur quarto ex S. Cypriano multis in locis, primo Epiſtola 59. ad Fidum ſcripta, qua Victorem quemdam Presbyterum a Therapio Epiſcopo temere pace donatum ſcribit, antequam plenam Pœnitentiam egiſſet, proptereaque Therapium objurgandum eſſe cenſet, quod ab Africani Concilii Decreto receſſerit, Diſciplinamque Eccleſiaſticam violaverit. Porro decretum illud peremptorium cujus meminit Sanctus Cyprianus

propterea quod Pœnitentiæ Publicæ ſubjeciſſent inſontes Clericos. En ejus verba id aperte demonſtrantia, ad finem libri ſecundi. *Deuterium, Parthenium, Donatum & Getulicum Dei Epiſcopos, linguæ gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem, non corporis, ſed honoris. Vixerunt poſtea homines, ſed a vobis occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes . . . . . Scriptum eſt: Ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis. Oleum ſuum defendit Deus; quia ſi peccatum eſt hominis, unctio eſt tamen divinitatis. Ne tetigeritis*, inquit, *unctos meos. Ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, & oleum quod Dei eſt, feriatur. Judicio ſuo Deus ſervavit rem ſuam, & tamen vos paſſim irruiſtis in alienam, corrumpentes omnium felicitatem. Nam quæ major infelicitas, quam Dei Sacerdotes vivere, nec eſſe quod fuerant?*

Secundo, hunc eſſe Optati ſenſum, colligitur ex verbis ſequentibus, quibus æque Donatiſtas coarguit, quod Matronas, Virgines, pueros, omnemque plebem Chriſtianam ad Pœnitentiam detruſiſſent: at nemo inde colliget Matronas, Virgines, Chriſtianam plebem fuiſſe a publicæ Pœnitentiæ jugo, ſecundum Eccleſiæ leges, liberas: nec igitur colligi poteſt ex Optati verbis, majores Clericos Pœnitentiæ publicæ obnoxios non fuiſſe. *Matronæ*, inquit, *pueri ſimul, & Virgines, a vobis coactæ, nullo interveniente peccato, ſalva innocentia & pudicitia, vobis docentibus, Pœnitentiam gerere didicerunt. Numquid minor eſt infelicitas? Contritas ſexu vexaſtis ætates . . . Indixiſtis Pœnitentiam plebibus. Nec enim acta eſt ab aliquo, ſed a vobis exacta; nec æqualibus ſpatiis temporum, ſed egiſtis omnia pro perſonis; alter anno toto, alter menſe, alter vix tota die, imperantibus vobis Pœnitentiam geſſit. Si unitati conſentire, ut vultis, peccatum eſt; ſi eſt ſimilis culpa, quare non eſt æqualis pro eodem reatu Pœnitentia? Dubium non eſt eſſe vocatum populum credentium Iſrael, id eſt, qui mente Deum videat; & tamen has plebes coegiſtis flectere, & inclinare cervices, & ſerie capitum juncta, maſſam Pœnitentium facere. Has plebes dolet Deus per Ezechielem dicens: Væ filiabus Iſrael, quæ ſarciunt cervicalia, id eſt, membra cervicis, ut ſupponant ſub cubito & ſub manu. Utique ſub cubito & ſub manibus veſtris, cum ſuper earum capita velamina Pœnitentiæ tenditis.*

Tertio. Colligitur ex Optato, Clericos majores fuiſſe obnoxios publicæ Pœnitentiæ. Refert enim ille lib. 1. quod cum initio Schiſmatis Donatiſtarum, Cæciliani Carthaginenſis Archidiaconi, ac deinde Epiſcopi hoſtes, illius Ordinationem irritam eſſe dicerent, quod a Traditore ſacrorum Codicum ordinatus eſſet, Cæcilianus hoſtium ſuorum tentaturus audaciam ac temeritatem, palam dixerit, ut ſi Felix Aptungitanus, ſicut illi arbitrabantur, nihil Ordinatione ſua contuliſſet, illi tamquam Diaconum ipſum adhuc ordinarent: tunc Purpurium ſolita malitia fretum exclamaſſe: *Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pœnitentia*. Quibus verbis manifeſte alludebat ad Eccleſiæ conſuetudinem, quæ majoribus etiam Clericis Pœnitentiam publicam eo tempore imponebat.

Quarto. Donatiſtæ in Fide & ſacris Ritibus, ſi errorem circa Baptiſmum, & Eccleſiam, Baptiſmique ſacrilegam iterationem excipias, cum Catholicis conveniebant. Cum igitur majores Clericos ſubjiciebant Pœnitentiæ publicæ, id faciebant, quod in Eccleſia Catholica viderant frequentari. Unde licet in cauſa impoſitionis Pœnitentiæ graviter errarent, non tamen in Pœnitentiæ impoſitione abſolute ſumpta ab Eccleſia diſſidebant.

Reſpondeo tertio, Optatum præcipue reprehendere Donatiſtas, quod alieno ab Eccleſiæ moribus ritu, & ſacræ Sacerdotum unctioni contumelioſo, Pœnitentiam ipſis impoſuiſſent, radendo ſcilicet capita Sacerdotum, ut ſacram, ſi fas eſſet, abolerent unctionem, & Exorciſmos ſuper ipſos proferendo, quibus injuriam Spiritui Sancto inferebant. *Quid iniquius* (inquit Optatus lib. 2.) *quam exorcizare Spiritum Sanctum? Docete ubi vobis mandatum eſt radere capita Sacerdotum? cum e contrario ſint tot exempla propoſita, fieri non debere.* Probat ſubinde unctionem Sacerdotum venerationi eſſe debere, etiamſi peccatores ſint, exemplo Davidis, qui a Saulis cæde abſtinuit, immo quem penituit abſciſſi ejus pallii, propter olei, quo fuerat Rex inauguratus, unctionem. *Repreſſit cum gladio manum*, inquit, *& dum timuit oleum, ſervavit inimicum: Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoſcitis: in corde livoris acuiſtis novaculas linguæ,*

& di-

& *divina Præcepta calcantes, miſerorum properaſtis in capita, ut in captivitatem cæcos & imperitos populos, jugulatis Ducibus, traheretis.*

Objectio tertia nititur Auctoritate Sancti Leonis, Epiſtola 92. dicentis: *Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica Traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo?* Atqui nuſquam Eccleſia aliquid egit contra Apoſtolicam Traditionem; ergo nuſquam addixit majores Clericos Pœnitentiæ publicæ.

Reſpondeo, duo diſtinguenda eſſe in verbis S. Leonis, nimirum impoſitionem Pœnitentiæ publicæ, & impoſitionem manuum, Pœnitentium vulgo fieri ſolitam. Ait autem, ex Apoſtolica Traditione deſcendere, ut Sacerdotibus & Diaconis in aliquod crimen prolapſis manus non imponantur, ſicut cæteris, qui publicam Pœnitentiam publice non agant.

Reſpondeo ſecundo, S. Leonem uſum eſſe traditionis Apoſtolicæ nomine, ut conſuetudinem a centum annis Romana in Eccleſia vigentem ſignificaret. Quo ſenſu S. Hieronymus Epiſtola 28. ad Licinium data ſcripſerat: *Unaquæque Provincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta majorum Leges Apoſtolicas arbitretur.*

Reſpondeo tertio, videri S. Leonem nimis probare, ſi Sacerdotes non ſubjici Pœnitentiæ publicæ demonſtrare velit ex Traditione Apoſtolica eſſe profectum, quia ſcriptum eſt 1. Regum 2. * *Si in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Nam ſi id probaret iſte locus, non ſolum ex Apoſtolica Traditione, verum ex jure divino deſcenderet immunitas Sacerdotum a publicæ pœnitentiæ legibus. Siquidem illud jure divino inſtitutum eſt, quod ex Scriptura Sacra demonſtratur.

* *S. Leo hunc Sanctæ Scripturæ textum iiſdem omnino verbis non laudat, ſed ſic:* Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo? *Peccata Sacerdotis, ut Sacerdos eſt, non in virum, ſed in Dominum committi ſupponens.*

PROPOSITIO IV.

Nuſquam ritus impoſitionis manuum frequentari ſolitus ac celebrari ſuper publicos Pœnitentes, in gradu Subſtrationis, uſurpatus eſt erga Majores Clericos publicam Pœnitentiam agentes.

ID probat ſupra laudata Sancti Leonis auctoritas, Epiſtola 92. Id probatur etiam ex Optato Milevitano lib. 1. referente Melchiadis Pontificis Maximi & octodecim Epiſcoporum Sententiam, qua Donatus ſui Schiſmatis initio proſcriptus eſt, *quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt.*

Nec audiendi ſunt viri quidam alias eruditi, qui manuum impoſitionem, de qua locutus eſt Melchiades in ſententia adverſus Donatum lata, fuiſſe Ordinationem dicunt, non vero publicæ Pœnitentiæ ritum: Donatiſtas namque, transfugas ab Eccleſiæ caſtris ad eorum Schiſmaticam Societatem Epiſcopos reordinaſſe contendunt, ſicut Laicos rebaptizabant. Non, inquam, audiendi ſunt illi: quia Optatus de eadem manus impoſitione ibi loqui videtur, de qua initio libri ſcripſerat: *Nec male imponendo omnibus capitibus manum, everſionis velamenta obtenderent, nec maledicerent Deo, nec rebaptizarent Fideles; nec nos everſas, aut occiſas innocentium animas doleremus.* At manus impoſitio omnibus capitibus temere facta, non eſt reordinatio, ſed publicæ Pœnitentiæ ritus. Item manus impoſitio non evertit, immo potius promovet, erigitque Ordinatos. Denique vix poteſt intelligi, quomodo maledixiſſent Deo in reordinatione. At impoſitioni manuum fieri ſolitæ publicis Pœnitentibus recte intelligitur adjuncta fuiſſe maledictio, cum eam ſuper Sacerdotes uſurpant Donatiſtæ: Nam exorciſmi, & expiatoriæ preces Spiritui Sancto in Sacerdotibus reſidenti inferebant injuriam.

Probatur ſecundo ex eodem Optato ad finem libri ſecundi ita ſcribente: *Multis notum eſt & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos, inertia a Confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum qui evaſerunt, aut manum Lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo*

lo factum eſt poſt thurificationem. Atqui perperam aſſereret Optatus id a nullo eſſe factum poſt thurificationem, ſi ritus impoſitionis manuum erga Pœnitentes ſubſtratos frequentari ſolitus, aliquando uſurpatus fuiſſet erga Epiſcopos lapſos: Argumento igitur eſt, frequentes illas manuum impoſitiones uſurpatas non fuiſſe erga majores Clericos publicam agentes Pœnitentiam.

PROPOSITIO ULTIMA.

Clericis Majoribus, poſt tertium Sæculum, Pœnitentia publica imponebatur, ſi eam pietatis & humilitatis animo poſtularent.

PRobatur primo ex Concilio Araufícano I. quod anno Chriſti 441. celebratum eſt, Canone 4. decernente, *Pœnitentiam deſiderantibus Clericis non negandam*. Quod Decretum iiſdem verbis repetit, ac ſuum facit Concilium Arelatenſe ſecundum anno Chriſti 457. celebratum.

Idem probatur ſecundo ex Concilio Aurelianenſi Primo, convocato anno Chriſti 511. Canone 12. *Si Diaconus*, inquit, *aut Presbyter pro reatu ſuo ſe ab altaris Communione ſub Pœnitentis profeſſione ſubmoverit, ſic quoque ſi alii defuerint, & cauſa certa neceſſitatis exoritur, poſcentem Baptiſmum liceat baptizare.*

Id denique probatur ex XIII. Concilio Toletano, Canone decimo, cujus condendi occaſionem præbuit Gaudentius Valerienſis Epiſcopus. Significavit ille Patribus per legatum, quod ægritudine oppreſſus, pœnitentiam publicam ſuſcepiſſet: quæſivitque ab ipſis, num liceret ſibi ſacra munia nihilominus obire. Quæſtione in deliberationem vocata, reſponderunt, *ut reconciliatione præmiſſa, ſoliti Ordinis retineret officia*. Cujus definitionis rationem his verbis reddiderunt: *Si enim regulæ præcedentium Patrum, eos qui Pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur (ſi adſit tamen in his & talibus probitas morum,) ad Eccleſiaſticos Gradus pervenire permittunt: quanto magis ut hi quì in ipſo Sacerdotio conſtituti Pœnitentiam accipiunt, a ſui Ordinis Officio non retrahantur? Tantum ſi ſeipſi mortalium criminum profeſſione propria non notarunt.*

DISSERTATIO XII.

De progreſſu Controverſiæ, quæ Sanctum Cyprianum & Africanos Epiſcopos, Firmilianumque & Orientales, cum Stephano Romano Pontifice commiſit.

ARTICULUS I.

Utrum Stephanus Cyprianum & Firmilianum cum Coepiſcopis, ob errorem de rebaptizandis Hæreticis, excommunicaverit?

PROPOSITIO I.

Sanctus Cyprianus, Firmilianuſque, cum Coepiſcopis, non fuerunt reipſa excommunicati a Stephano Romano Pontifice.

PROBATUR primo auctoritate Sancti Auguſtini lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 25. *Stephanus*, inquit, *abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere niterentur. Iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, fraterne tamen indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schiſmatis malum oriretur.* Atqui pax inter Stephanum & Cyprianum abrupta fuiſſet, ſi Cyprianum, ipſique

siquè adhærentes Episcopos anathemate confixisset Stephanus. Probabilius igitur est Sanctum Cyprianum & ejus Coepiscopos non fuisse excommunicatos a Sancto Stephano. Ex quo nec Firmilianum cum Orientalibus suis reipsa fuisse a Communione abstentum probatur. Nam S. Cyprianus cum Firmiliano semper communicavit, ad ipsum dedit Epistolas, ad illum sua transmisit Concilia. Porro cum illo non communicasset, si revera fuisset ab Ecclesiastica unitate præcisus: id enim quid fuisset aliud quam a Communione Apostolicæ Sedis & Stephani discedere, quam pacem cum eo rumpere, quam dividere unitatem? Nec dici potest S. Cyprianum quidem excommunicatum non fuisse; sed Firmilianum fuisse a Communione revera præcisum. Nam una erat causa Firmiliani & Cypriani: uterque rebaptizandos censebat Hæreticos, pari uterque ardore, pari animi contentione, pari pertinacia, pari in Stephanum commotione sententiam suam propugnabat: non est igitur verisimile quod Firmilianum Communione privaverit Stephanus cum Orientalibus suis, & Cyprianum cum Africanis pace & Communione frui permiserit.

Confirmatur. Sanctus Augustinus, qui sæpe tradit Orientales Episcopos Cypriano in causa iterandi Baptismi consensisse, nusquam vel leviter innuit ipsos ab Ecclesia fuisse præcisos: quod tamen contra Donatistas splendidum ac robustum fuisset argumentum.

Probatur secundo ex ipsis S. Cypriani verbis scribentis ad Jubaianum: *Nos*, inquit, *quantum in nobis est, propter Hæreticos, cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus concordiam & Dominicam pacem tenemus. Servatur a nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii.* Atqui non servasset Cyprianus concordiam Sacerdotii & honorem Collegii, nec tenuisset Dominicam pacem, si communicatione Stephani insuper habita & contempta, sui Ordinis ac Dignitatis munia obiisset. Non ignorabat enim penes Episcopum Romanum esse potestatem alios Episcopos Communione privandi, siquidem ad ipsum scripserat, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, abstineret, id est excommunicaret, aliumque in ejus Sedem substitui juberet Episcopum. Non est igitur verisimile S. Cyprianum excommunicatum fuisse a Stephano Romano Pontifice.

Probatur tertio. Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui apprime noverat quid in illa controversia Stephanum inter & Firmilianum gestum esset, in sententiam Firmiliani de rebaptizandis Hæreticis concessit; immo & ea de re scripsit ad Xistum Stephani Successorem, teste Eusebio, l. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. nec ad Xistum dumtaxat, sed ad diversos plurimas Epistolas scripsit de rebaptizandis Hæreticis, quæ tempore Sancti Hieronymi adhuc extabant, ut ipse testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum capite 80. At incredibile videtur quod Dionysius Alexandrinus, quem inter & Stephanum, aliosque Romanæ Sedis Pontifices, mutua semper intercessit Communio, sententiam amplexus esset, ob cujus defensionem Firmilianum, ac Cyprianum novisset excommunicatos.

Confirmatur. Dionysius ad Xistum scribens testatur se datis ad Stephanum ejus in Romana Cathedra Decessorem literis illum pro Firmiliano & Coepiscopis fuisse deprecatum. Porro si Stephanus Orientales Communione privasset, qua fronte Dionysius Alexandrinus, qui in eadem causa erat, Stephanum pro illis deprecari ausus fuisset? Sed cur (inquies) Dionysius rogavit Stephanum pro Orientalibus, nisi ut eos anathemate solveret? Respondeo, rogasse, ne excommunicationem quam fuerat minitatus, reipsa vibraret, utque toleraret opinionem Firmiliani, & aliorum, immo & suam, quæ maximum in Scripturis S. habere fundamentum illis videbatur. *Apud Eusebium libro 7. c. 5.*

Probatur quarto. Firmilianus adfuit celebri Concilio contra Paulum Samosatenum Antiochiæ convocato, anno 264. aut 266. teste Eusebio, l. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. quo in Concilio celeberrimi, & Sanctissimi totius Orientis Episcopi sederunt, ac suffragati sunt: qui cum Sedi Apostolicæ Communione juncti essent, non fuissent passi suo in cœtu Episcopum ejus Communione privatum.

Præterea, Secundi Concilii Antiocheni Patres, anno Christi 270. aut 272. in sua Epistola Synodica ad Dionysium Romanum Pontificem, Maximum Alexandrinum, omnesque orbis Catholici Episcopos data, vocant Firmilianum æque ac Dionysium Alexan-

xandrinum, *Beatæ recordationis virum* : NAM, inquiunt, *& ad Dionyſium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Antiſtitem, beatæ recordationis viros, literas dedimus*. Mirum certe eſſet, quod Antiſtitem excommunicatum, & in excommunicatione defunctum, Epiſcopi ad Pontificem Primæ Sedis ſcribentes, extra cujus communionem vixiſſet, *Beatæ recordationis virum* nuncupaſſent.

Denique Menologio Græcorum inter Sanctos adſcriptus eſt Firmilianus, ejuſque Natalis dies anniverſaria memoria celebratur 28. Octobris. Dicas, quæſo, an Eccleſia hominem ab Apoſtolica Sede excommunicatum ſacris Faſtis inſeruiſſet, eumque ut Sanctum coluiſſet? Idem de S. Cypriano dicendum, cui nec Martyrium in ſtatu excommunicationis profuiſſet.

Reſpondebunt aliqui, Excommunicationem ſanctitati non obeſſe, ſi eam viri pii patienter ferant, nec ſe propterea ab Eccleſiæ unitate ſeparent. Id fateor de excommunicatione injuſta. Mihi quippe nota eſt aurea illa Sancti Auguſtini ſententia l. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 17. *Spiritales autem, ſive ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes, non eunt foras; quia & cum aliqua vel perverſitate, vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam ſi intus permaneant, cum adverſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida unitatis petra fortiſſimo charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet, quod in illo Abrahæ ſacrificio dicitur: Aves autem non diviſit.* Sed excommunicationem juſtam non obeſſe ſanctitati, quis Catholicorum aſſerat, nedum Theologorum? At juſtiſſima fuiſſet excommunicatio a Stephano lata in Firmilianum, Cyprianum, ipſiſque conſentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Epiſcopos. Quis enim juſte excommunicari neget eos, qui errorem tuentur ab Apoſtolica Sede & aliis Eccleſiis damnatum, nec ab eo vel adhortationibus, vel minis revocari poſſunt, ſed in eo manent pertinaces? Cum itaque hic eſſet Cypriani, Firmilianique ſtatus, non fuiſſet injuſte in eos lata excommunicatio a Stephano. Unde tam juſto anathemate percuſſos, in eoque defunctos, Eccleſia ſacris honoribus ut Sanctos proſecuta non fuiſſet.

Reſpondet Baronius, Firmilianum, & alios Orientales ad meliorem frugem rediiſſe, ejuraſſe errorem, & Catholicæ demum Communioni fuiſſe reſtitutos; ſed in eo deceptum fuiſſe illuſtriſſimum Annalium Eccleſiaſticorum Parentem, Articulo ſequenti oſtendemus.

Probatur ultimo ex Euſebii ſilentio, qui cum in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica lib. 7. cap. 3. meminerit controverſiæ, quæ Sanctum Cyprianum cum Stephano Pontifice commiſit, commotum quidem vehementer Stephanum ſcribit adverſus Cyprianum, ſed ne leviter quidem innuit excommunicationem ab eo fuiſſe contra ipſum, Firmilianumque latam. En Euſebii verba: *Cyprianus Carthaginenſis Eccleſiæ Paſtor, non aliter quam per lavacrum Baptiſmatis Hæreticos, erroris maculis ante ablutos, in Eccleſiam admittendos exiſtimavit. Verum Stephanus nihil novi, aut alieni a traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus fuit.*

PROPOSITIO II.

Stephanus Pontifex Romanus Cyprianum, Firmilianum, eiſque conſentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Epiſcopos abſtinendos cenſuit, eiſque excommunicationem minatus eſt.

PRobatur primo ex Sancto Cypriano, Epiſtola 74. ad Pompejum data, ubi ſic Stephanum perſtringit: *Dat honorem Deo, qui Marcionis Baptiſmo communicat? Dat honorem Deo, qui apud eos qui in Deum blaſphemant, remiſſionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo, qui foris de adultera & fornicaria naſci Deo filios aſſeverat? Dat honorem Deo qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæreſes contra Eccleſiam vindicat? Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum, Sacerdotes Dei, veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat? Si ſic honor Deo datur, ſi ſic a cultoribus & Sacerdotibus ejus timor Dei, & di-*

& disciplina servatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Evangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei, &c.

Probatur secundo ex S. Dionysio Alexandrino teste locupletissimo, in Epistola ad Xistum, relata ab Eusebio lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. in qua sic loquitur: *Stephanus autem scripserat Epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quę erant finitimę, quod neque cum illis quidem ob eam causam omnino communicare vellet. Nam illi, inquit, Hęreticos rebaptizant.*

Probatur tertio ex S. Augustino, libro de unico Baptismo, contra Petilianum, cap. 14. *Cum ergo*, inquit, *Stephanus non solum non rebaptizaret Hęreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani Litere ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit*. Stephanus igitur Pontifex minatus est excommunicationem Cypriano, Firmiliano, eorumque Coepiscopis.

Objicitur in primam Propositionem. Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum data, testatur se cum Coepiscopis plurimis, Cyprianumque cum Africanis Antistitibus, excommunicatos fuisse a Stephano. Sic quippe in Stephanum invehitur: *Imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii & sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat Scriptura divina: Homo animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti? Excidisti enim te ipsum, noli te fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticę Unitatis Apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti.*

Et postquam retulit verba Apostoli ad Ephesios 4. adhortantis Fideles ut servent *Unitatem Spiritus in vinculo pacis*, mox subjungit: „ Hæc Apostoli mandata & mo„ nita salutaria, quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus, & lenita„ tem primo in loco servans? Quid enim humilius, aut lenius, quam cum tot Epi„ scopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere „ rumpentem; modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vo„ biscum qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter „ suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret: adhuc „ insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos „ in domum suam reciperet; ut venientibus non solum pax & communio, sed & te„ ctum, & hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione „ pacis, abscindere se a charitatis unitate, & alienum se per omnia Fratribus facere, „ & contra Sacramentum & Fidem, contumacis furore discordiæ rebellare. Apud ta„ lem potest esse unum corpus, & unus spiritus; apud quem fortasse una anima non „ est, sic lubrica, mobilis, & incerta? " Sed illi quorum Legatis non solum pax & Communio, sed etiam tectum & hospitium negata sunt, reipsa fuerunt excommunicati: Stephanus igitur Pontifex Romanus, Firmilianum, Cyprianum, eisque consentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Episcopos reipsa excommunicavit.

Respondeo, Firmilianum severitate Stephani commotum & exacerbatum, quod Legatos ab Iconiensi Synodo Romam destinatos durius excepisset, quodque increpatorias ac minaces tum ad eum cum ad Cyprianum dedisset Epistolas, Pontificis minas exaggerasse, atque comminatoriam excommunicationem iisdem characteribus descripsisse, ac si revera lata fuisset. Ea enim est iratorum hominum indoles, ut illatas sibi injurias, veras, aut præsumptas, loquendo, sive scribendo augeant, ac majores prædicent, quam reipsa sint, ut æmulis suis odium conflent, & accersant invidiam. Unde Tragicus in Thyeste cecinit:

Iratus nihil nisi monstra loquitur.

Firmiliano igitur, neque in hoc, neque in aliis, quæ styli tota in Epistola adversus Stephanum debacchantis impetu temere effudit, credendum est. Quis enim credat Stepha-

BIBLIOTECA O. F. M. CAP. MONTEFUSCO (Av)

phanum fuisse Schismaticum, quia id effutiit Firmilianus ? Quis Stephanum cum Juda proditore merito fuisse comparandum existimet, quia Firmilianus illum cum Juda contulit ? *Gratiam*, inquit, *referre Stephano in isto possumus ; quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientiæ vestræ experimentum caperemus. Sed non si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio & gratia digna commisit. Neque enim, & Judas perfidia sua & proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest quasi causam bonorum tantorum præstiterit, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur.* Quis audaciæ, insolentiæ, & improbitatis Sanctissimum Pontificem cum Firmiliano insimulet ? *Sed hæc interim, quæ a Stephano gesta sunt pretereantur*, inquit, *nedum audaciæ, & insolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus.* Quis fidem adhibeat Firmiliano asserenti, *eos, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere ?* Et etiam *circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta esse apud illos aliquas diversitates* ? Quis Stephanum sapientissimum Pontificem stultitiæ manifestæ a Firmiliano juste argui contendat ? *Atque ego*, inquit, *hac in parte juste indignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic Baptisma sua auctoritate defendit.* Quis denique æquus rerum æstimator credat Stephanum vocasse Cyprianum *Pseudochristum & Pseudoapostolum, & dolosum operarium*, quod ipsi Firmilianus affingit, & Stephanum ipsum ita fuisse jure nuncupandum ? Cum itaque in his omnibus tam a veritate, ab æquitate, a Christiana charitate, & moderatione alienis, fides derogetur Firmiliano : consici ejus testimonio non potest, Stephanum excommunicationis sententiam, tum in ipsum, cum in Cyprianum, ipsisque consentientes Episcopos tulisse. Nec Firmiliani sanctitas majorem ipsi fidem his in rebus conciliat, quia in his Sanctus non fuit, sed iracundiæ & impatientiæ suæ motibus abreptus, plura effutiit valde humana. Quamquam (ut credere par est) nævos illos Pœnitentia expunxerit, ut suos Cyprianus Martyrio.

Sed etsi Firmiliani Legatis pacem & Communionem, tectum & hospitium Stephanus denegasse supponatur (ut scribit Firmilianus) non inde certo colligi potest illos fuisse excommunicatos lata in eos, atque Firmilianum sententia. Id enim œconomiæ tantum gratia factum fuit a Stephano, ut Orientales ab errore nascente revocaret : ne scilicet Legatos benignius excipiens, errori favere videretur ; neve ipsi Romæ commorati, hospites suos, ac maximam fraternitatis partem specioſa, licet falsa doctrina imbuerent. Qua in re prudentiæ & vigilantiæ Pontificiæ singulare specimen Stephanus dedit. Sed severitas illa in excipiendis Legatis longe differt ab excommunicatione. Sicut ergo nemo hucusque somniavit Sanctum Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum excommunicasse Sanctum Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem, licet Constantinopolim veniens, nec in Ecclesia cum ipso orare, nec in ejus ædibus commorari, etsi humanissime invitatus voluerit ; sed Epiphanii cautioni id tribuunt omnes, in errore tamen facti fundatæ, qua se ab ejus consortio sejunxit, quem Origenistam existimabat : ne Origenismo tunc temporis grassanti favere videretur, & ut ab Origenistarum patrocinio Joannem Chrysostomum revocaret : ita licet jusserit Stephanus, ut alloquium, tectum, & hospitium Firmiliani Legatis Romæ negaretur, colligi inde non potest quod eos excommunicaverit.

SCHOLION.

In Responsione ad Objectionem, sive ad pag. 469. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc in Indiculo suo notam appingunt : *Firmilianum (quem alias Sanctum esse concedit) iracundum appellat.*

R. *Firmilianum* Sanctorum cultu celebrat Ecclesia Græca, ut constat ex Menologio

ad

ad diem 27. Octobr. Eum vero *iracundum* non-appellavi, ſed *commotum & iratum* in *Sanctum Stephanum* 1. Romanum Pontificem ea temere ſcripſiſſe dixi, quæ in Epiſtola ad *Sanctum Cyprianum* adverſus ipſum leguntur. Hominem qui ſemel ira commovetur, non ex odio, ſed ex zelo, quamvis non ſecundum ſcientiam, non ideo *iracundum* dicimus (quæ vox pravum iræ habitum, ſeu propenſionem ad iram ſignificat, quavis occaſione data in actum erumpentem & æſtuantem) ſed iratum. Ab hujuſmodi vero commotione & ira in *Stephanum* purgare non poſſumus *Firmilianum*, cum illius verbis & ſtylo prodatur ille exacerbati & ſubirati animi motus. Hæc vitæ alioqui ſanctiſſimæ macula fuit, quam Pœnitentia expunxit.

ANIMADVERSIONES in illam Natalis propoſitionem: *Sanctus Cyprianus, Firmilianuſque cum Coepiſcopis non fuerunt reipſa excommunicati a Stephano Romano Pontifice. Et an Dionyſius Alexandrinus ſit iis accenſendus, qui errori rebaptizantium favebant.*

§. I.

Probabilius eſt Sanctum Cyprianum, Firmilianum, &c. fuiſſe a Stephano Romano Pontifice excommunicatos.

TAm aperte Firmilianus ſcribit ad Sanctum Cyprianum, Stephanum Papam pacem rupiſſe, ac proinde eos ſua communione privaſſe, ut non dubitandum videatur; tandem poſt minas in eos excommunicationis ſententiam pronunciaſſe: *In cæteris*, ait, *quoque multis Provinciis multa pro locorum, & nominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace, atque unitate diſceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſus vos pacem, quam ſemper Anteceſſores ejus vobiſcum & amore, & honore mutuo cuſtodierunt.* Conqueritur igitur Firmilianus tunc Stephanum a pace, & unitate Cyprianum alioſque ſeparaſſe, quod antea propter alias varietates ipſius Anteceſſores non præſtiterant; ac proinde aperte affirmat excommunicatione fuiſſe a Romana Eccleſia abſciſſos. Futilis autem omnino ea videtur Natalis reſponſio, qua dicit Firmilianum comminatoriam excommunicationem iiſdem deſcripſiſſe characteribus, ac ſi lata revera fuiſſet, quia animo in Stephanum ſubirato calamum ſumpſit. Futilis, inquam, omnino mihi eſt hujuſmodi reſponſio, quia ſtatim convinceretur Firmilianum omnes chriſtiane vivendi, honeſtatiſque regulas oblitum fuiſſe, ſi, ut in Stephanum odium conflaret, in re tam gravi mentitus eſſet; ac quod Stephanus tantum minitabatur, jam actum dixiſſet, & injuriam jam ut irrogatam ſcripſiſſet. Sed & ipſa jurgia, quibus in Stephanum inſurgit, quæque deſcribit Natalis in reſponſione ad objectionem ſecundæ propoſitionis, oſtendunt veræ excommunicationis mucrone fuiſſe confoſſum, ac proinde tam alte iratam vocem extuliſſe. Et quidem quis quæſo putaret, quod ſi Stephanus intra ſolas minas hæſiſſet, illum proditori Judæ comparaſſet, & inſolentiæ, improbitatis, ſtultitiæ &c. inſimulaſſet? Hæ profecto voces illius ſunt, qui vulnus acceptum impatienter ferens, in illum, qui mortale vulnus inflixit, excandeſcit. Si ad ipſius aures minarum tantum vox perveniſſet, potius de Stephani animo demulcendo cogitaſſet, nec de re temere, audacter, ac improbe facta conqueſtus fuiſſet.

Hæc omnia etiam oſtendunt veritatem non attigiſſe Natalem, dum putat non bene colligi Firmiliani legatos non fuiſſe una cum ipſo excommunicatione innodatos, eo quod iiſdem pacem, & communionem, tectum, & hoſpitium Stephanus denegaverit. Si ita agendo, ea ſolum, quæ urbanitatis, comitatiſque erant, ſubtraxiſſet, nemo non diceret Firmilianum furenti amentia non fuiſſe occupatum, dum ſtylo tam acri, tam injurioſo, tam irreligioſo Romanum Pontificem exagitavit; neque etenim adeo crimen eſt cum aliquibus inurbane agere, ut ob illud etiam Chriſti Vicarius Judæ eſſet aſſimilandus. Rupit ergo Stephanus pacem, ac communionem negavit, quia ab excommunicando Firmiliano, Cypriano &c. non abſtinuit. Obſerventur præterea verba ab initio relata, & palam fiet de ea communionis abſciſſione conqueſtum fuiſſe Firmilia-

milianum, quam ob varietates in Eccleſiis vigentes, putabat Stephani Anteceſſores nummodo, quam re vera attentaſſe, excommunicationem ſcilicet infligendo; unde impoſſibile eſt credere de illa communionis abſciſſione loquutum, quæ ſolum ex denegato tecto & hoſpitio conſurgit.

Hucuſque dicta teſtimonio Dionyſii Alexandrini confirmantur; nam ad Xiſtum Stephani ſucceſſorem ſcribendo, apud Euſebium *hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 4.* hæc habet: *Stephanus ſcripſerat de Heleno, de Firmiliano, de Epiſcopis omnibus, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus Gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam cauſam communi care vellent: nam illi, inquit, hæreticos rebaptizant.* Hæc verba Dionyſii quaſi ſolam excommunicationis comminationem continerent, refert Natalis: at cum dicat Dionyſius Stephanum ſcripſiſſe ſe nolle communicare cum iis, qui hæreticos rebaptizabant, excommunicationem ſane jam latam continent. Cum vero Cyprianus eodem laboraret errore, ac ii Epiſcopi de quibus loquitur Dionyſius, ſicut dicit cum Firmiliano &c. communionem ob eam cauſam Stephanum rupiſſe, nulla eſt ratio dicendi eamdem cum Cypriano ſervaſſe. Immo verba illa *neque cum illis* non obſcure ſignificant alios prius a communione Stephani divulſos fuiſſe.

Non modicam nihilominus, fateor, ingerunt difficultatem ea PP. loca, quæ refert Natalis, quibus in hoc diſſidio unitatem, ac communionem ſervatam aſſerunt, ac proinde S. Cyprianum *in communione eorum permanſiſſe*, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ut ſcripſit S. Hieronymus *in Dialog. cont. Lucifer.* Si hæc conciliare velimus cum iis, quæ ex Firmiliano obſervavimus, qui revera unitatem, pacemque diſciſſam inter Stephanum, ac rebaptizantes aperte fatetur, cui & Dionyſius Alexandrinus ſuffragatur, oportet dicere excommunicationem a Stephano latam, ab eodem, vel Xiſto ipſius ſucceſſore ſublatam fuiſſe: atque ita a vero non abfuit communionem, unitatemque ſervatam, ac in ea S. Martyrem obiiſſe.

§. II.

Dionyſius Alexandrinus iis non adnumerandus, qui iterum Baptiſmo abluebant, quos Hæretici baptizabant.

PUtat Natalis S. Dionyſium Alexandrinum iis ſuffragatum eſſe, qui collatum ab Hæreticis baptiſmum irritum judicabant: at ego eiſdem non accenſendum crederem, cum aliter nos doceat S. Baſilius in Epiſtola canonica ad Amphilochium. Cum igitur inter eos, quorum Baptiſmum irritum, vanumque cenſebat, Peputianos, ſeu Montaniſtas recenſeat, quia formam a Chriſto inſtitutam non ſervabant, ſubdit: *Miratus ſum quomodo Dionyſium, qui fuit canonum peritus; præteriit.* Et paulo poſt: *Quare etiamſi Magnum Dionyſium hoc latuit, nobis tamen non eſt ſervanda erroris imitatio.* En quod Baſilius miratur Sanctum Dionyſium Baptiſmi, etiam a Montaniſtis collati, ex non ſervata forma vanitatem non vidiſſe; unde longe omnino a veritate eſt illorum hæreticorum improbaſſe Baptiſmum, qui cum forma a Chriſto inſtituta illum conferebant.

Hoc idem ſatis conjicitur, dum obſervetur quod Dionyſii ſuffragium tum ob ſingularem ſanctitatis doctrinæve prærogativam, tum ob dignitatem ſecundæ Sedis, qua potiebatur, quamplurimi factum fuiſſet; unde ſi iterandum hæreticorum Baptiſmum putaſſet, Cyprianus & Firmilianus in ſuæ patrocinium opinionis allegare illum non omiſiſſent. Præterea ſi Eccleſia Alexandrina novo Baptiſmo hæreticos redeuntes abluiſſet, eamdem diſciplinam ſervaſſent Eccleſiæ Ægypti, Pentapoleos, & Lybiæ, Alexandrinæ ſubjectæ; & tamen nullibi legitur in præfatis Eccleſiis, Baptiſmum iteratum fuiſſe. Demum, teſte Euſebio *lib. 7. cap. 4.* Dionyſius etiam apud Xiſtum Stephani Papæ ſucceſſorem deprecator pro Orientalibus rebaptizantibus extitit ad pacem cum Sede Romana reintegrandam; ineptus autem fuiſſet pacis Conciliator, ſi rebaptizantium errori adhæſiſſet.

Aliter

Aliter quidem ſenſit S. Hieronymus, unde in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis Libro Dionyſium rebaptizantibus nomen dediſſe affirmat. At puto S. Doctorem ea ratione deceptum, quod Dionyſius in Epiſtola ad Philemonem dicit ſe non damnare rebaptizantes, nec ipſorum irritam facere ſententiam. Ita autem loquutus eſt Dionyſius, non quia rebaptizantibus conſentiret, cum S. Baſilius ſupra laudatus Hæreticorum Baptiſmum a Dionyſio non improbatum tam clare aſſerat; ſed quia cum non ad fidei dogma, ſed ad puram diſciplinam hanc controverſiam ſpectare crediderit, rebaptizantes a ſe non damnandos putavit, illud Salomonis *Prov.* 22. afferendo: *Terminos non commutabis, quos Patres tui præſtituerunt.*

Viſum etiam aliquibus Dionyſio rebaptizantium errorem placuiſſe, quia, ut refert etiam Natalis in reſponſione ad ſecundam objectionem, Pontificem conſuluit de quodam ſene rebaptizando, quem baptiſmo abluerant hæretici: unde videtur de hujuſmodi baptiſmo ſaltem dubitaſſe. Verum alia ratione incertus potuit eſſe Dionyſius, an validus invaliduſve potuerit eſſe illius baptiſmus, ac proinde Romani Pontificis definitionem exoptaſſe. Quamvis ergo ille ſenex affirmaret ſe apud hæreticos ablutum fuiſſe Baptiſmo impietatis, ac blaſphemiæ pleno, nullam cum Catholicorum Baptiſmo ſimilitudinem habente, nihilominus timere erat ſummopere inani timore agitatum, fideliter qua geſta fuerant, non narrare, cum diu inter Catholicos abſque ulla hæſitatione de ſui Baptiſmi valore fuiſſet commoratus. In eam etiam inclinabat ſententiam Dionyſius, ut ipſius verba apud Natalem demonſtrant, communionem inter Catholicos Baptiſmi vicem ſupplere potuiſſe; cui etiam non diſſenſiſſe videtur S. Cyprianus in Epiſt. ad Jubajanum, ut refert S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Baptiſ. cont. Donat. cap.* 13. Etſi ergo latere non potuiſſet S. Dionyſium, inanem eſſe Baptiſmum omiſſa forma a Chriſto inſtituta, neque ſuo effectu carere putaſſet hæreticorum Baptiſmum, de illius ſenis Baptiſmo maluit Romanum Pontificem conſulere, cum ipſi rationes non deeſſent, quibus validum, invalidumve pronunciaret.

ARTICULUS II.

Utrum Firmilianus, aliique Orientales, errorem de iterando Hæreticorum Baptiſmate depoſuerint?

ILluſtriſſimus Cardinalis Baronius contendit illos Romanæ Eccleſiæ, cæterarumque ſententiam Dionyſii Alexandrini temporibus amplexos fuiſſe: quam Auctoris Eminentiſſimi aſſertionem ſequenti Propoſitione refellemus.

PROPOSITIO.

Firmilianus, aliique Orientales, errorem de Baptiſmate Hæreticorum non depoſuerunt Dionyſii Alexandrini tempore.

PRobatur primo. Sanctus Dionyſius Alexandrinus ad Xiſtum Stephani ſucceſſorem ſcribens, iis qui collatum ab Hæreticis Baptiſma irritum cenſebant, aperte ſuffragatur: illam itaque ſententiam non depoſuerant Orientales. Quomodo enim iſti opinioni propter auctoritatem *Maximorum* (ut ait) *Conciliorum* aſſenſus fuiſſet, id eſt, Conciliorum Iconii, & Synadis, ſi illi ipſi Antiſtites, qui his Conciliis adfuerant, Decreta ſua de rebaptizandis Hæreticis jam tunc reſcidiſſent? Sed nec ullum in tota Antiquitate Eccleſiaſtica veſtigium eſt, quo ipſos errorem poſtea revocaſſe appareat. Gratis igitur aſſerit Baronius ipſos errorem depoſuiſſe. *Apud Euſeb. lib. 7. cap. 5.*

Probatur ſecundo ex Sancto Baſilio, qui in Epiſt. 1. Canonica ad Amphilochium teſtatur, Firmilianum in ea fuiſſe ſententia, ut Catharos, Encratitas, Hydroparaſtatas, & Apoſtatitas rebaptizandos cenſeret. *Antiquis viſum eſt* (inquit Canone 1.) *Cypriano dico, & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere: quoniam ſeparationis quidem principium per ſchiſma; qui autem ſe ab Eccleſia abjunxerunt, non habent am-*

plius in se gratiam Spiritus. Et Epistola 2. Canone 47. de iisdem Hæreticis ait: *Nos uti ratione eos rebaptizamus*. Vigebat igitur Basilii Magni tempore in Cappadocia, finitimisque regionibus mos rebaptizandi plures Hæreticos; etiamsi in forma Ecclesiæ baptizati essent (ne quis cavilletur). At si Firmilianus illum olim errorem ejurasset, Ecclesiasticæ ut restitueretur unitati (quemadmodum fingit Baronius) quomodo id Basilius non agnovisset, qui & ipse Cappadox erat, & Cæsareæ in Cappadocia Episcopus? Quomodo ex Ecclesiæ illius monumentis adeo solemniter recantatam palinodiam compertam non habuisset? Quomodo mori jam antiquitus abrogato fuisset obsecutus?

Objectio prima pro sententia Baronii petitur ex Sancto Dionysio Alexandrino, apud Eusebium lib. 7. c. 5. scribente ad Stephanum Romanum Pontificem, omnes Orientales Ecclesias ante dissentientes; ad concordiam esse reductas. *Jam scito Frater*, inquit, *omnes Orientales Ecclesias, quæ antea fuerunt, propter errorum perversitatem, nonnulla dissensione distractæ, ad concordiam denuo esse reductas, omnes etiam Ecclesiarum præsides, qui ubique locorum sunt, summo animorum consensu conspirare; & ob pacem hanc præter omnium expectationem constitutam, incredibili lætitia affici*. Et inter eos Episcopos & Ecclesias, quæ mutuam inierant concordiam, Firmilianum, & totam Cappadociam recenset. Hæc autem scribere non potuit Dionysius de pace ex schismate Novatiani. Nam esto, inquit Baronius, illud schisma feliciter extinctum fuerit; attamen suborta mox de rebaptizatione sub Stephano controversia, & scisso in diversas sententias Oriente; nihil est, quod ea de mutua omnium concordia & pace Ecclesiæ ad Stephanum scripsisset Dionysius, nisi pax in omnibus inter Episcopos fuisset stabilita. At sanciri pax in omnibus non potuit, nisi errorem de Baptismate Hæreticorum tanta pertinacia a se antea propugnatum deponerent. Colligitur itaque ex S. Dionysio Alexandrino, Firmilianum, & ejus Coepiscopos, errorem deposuisse.

Respondeo, de Novatiani schismate locutum esse dumtaxat Dionysium: ejus enim error in Orientem permeaverat; quem demum abjecere Orientales, pristino rebaptizandi more retento. Qui igitur antea inter se dissidebant Episcopi, dum alii Novatianis partibus, errorique faverent, alii Novatianos execrarentur, in mutuam rediere concordiam tempore Stephani. Ita intelligendum esse Sanctum Dionysium Alexandrinum, ex Eusebio constat, qui lib. 7. Historiæ, cap. 5. ita scribit: *Dionysius igitur, ubi longum sermonem cum Stephano per literas de hac controversia contulit, tandem declarat, quo pacto, persecutionis fluctibus sedatis omnes ubique Ecclesiæ, nova ac perversa Novati hæresis pravitate repudiata pacem inter se conciliassent*. Idem probant ipsius Dionysii verba scribentis: *Orientales Ecclesias, quæ propter errorum pravitatem antea nonnulla dissensione distractæ fuerunt, ad concordiam denuo esse reductas*. An quæso sententiam de iterando Hæreticorum Baptismate, cui ipse suffragabatur, *erroris pravitatem* appellasset?

Nec obstat, quod ait Baronius, gratulari non potuisse Dionysium Stephano de pace Orientalibus Ecclesiis restituta, si in diversas adhuc sententias ob excitatam de Baptismate Hæreticorum controversiam scinderentur. Illa enim dissensio non officiebat paci Ecclesiasticæ: sed tum Episcopi, qui Hæreticorum Baptisma recipiebant, tum illi qui repudiabant, servabant unitatem spiritus in vinculo pacis. Unde Sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas ait: *Omnes qui aliter sentiebant Cypriani temporibus, non sunt ab Ecclesiæ unitate separati, donec illud, quod aliter saperent, Deus illis revelaret*. Atqui Firmilianus, & alii Episcopi Orientales, aliter sentiebant Cypriani temporibus, id est, rebaptizandos esse Hæreticos: Non fuerunt igitur ab Ecclesiæ unitate separati. Nec dubium est quin Orientales idem observaverint, quod Sanctus ipse Cyprianus, cui in omnibus assentiebantur (ut ex Firmiliani Epistola constat.) Quid porro Cyprianus? *Neminem condemnantes*, inquit, *aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*. Plures ergo Episcopi in Oriente Hæreticos rebaptizabant; nonnulli œconomiæ gratia Hæreticorum Baptisma recipiebant (quemadmodum de suo ævo loquitur Basilius Magnus) non tamen ideo mutuam communicationem, & Ecclesiasticam pacem abrumpebant. Unde restituta pace ex

schis-

ſchiſmate Novatiani, gratulari merito potuit Dionyſius Alexandrinus Pontifici Romano: quia licet in controverſia de rebaptizandis Hæreticis adhuc diſſiderent Orientales, nihilominus diſſenſio illa erat opinionum, potius quam animorum.

Objectio ſecunda petitur ex Epiſtola Sancti Dionyſii Alexandrini ad Xiſtum Romanum Pontificem Stephani ſucceſſorem, ex qua Baronius evincere ſibi videtur Orientales omnes in Stephani ſententia conceſſiſſe. Nam occurrente caſu de homine ab hæreticis baptizato non ſecundum Catholicæ Eccleſiæ ritum, licet eum baptizare potuiſſet; tamen (inquit Baronius) ne videretur vel levi aliqua ſuſpicione perſtare in ſententia de rebaptizandis Hæreticis, quam damnaverat, valde trepidans, non eſt auſus hominem id enixius poſcentem baptizare: ſed de re, quam putavit ambiguam, conſuluit Xiſtum Pontificem; quod certe minime feciſſet, niſi prius in ſententiam Stephani deſcendiſſet.

Reſpondeo, Baronium omnia miſcere, & Dionyſii factum in contrarium plane ſenſum torquere. Fingit enim Sanctiſſimum Epiſcopum auſum non fuiſſe rebaptizare hominem, qui ab Hæreticis baptizatus fuerat; nec alias meminit hujus facti circumſtantias, quæ probant evidenter Dionyſium illius hominis Baptiſma non iteraſſe quibuſdam œconomiæ & prudentiæ legibus ductum, non fluctuantis animi ſuſpenſione nutantem, ac Stephani jam antea ſententiam amplexi. En totam rei geſtæ ſeriem, prout eam refert Dionyſius in laudata ad Xiſtum Epiſtola. *Frater quidam ex noſtro Conventu, Communioneque fidelis judicatus, ætate admodum provectus, & priuſquam ego eram creatus Epiſcopus, & (ut arbitror) antequam beatus Heraclas in Epiſcopatus gradui collocatus fuerat, Conventus, Communioniſque particeps factus; cum forte Baptiſmo eorum, qui nuper apud nos baptizarentur, adeſſet, & rogata, reſponſaque audiret, venit ad me lugens, & graviter ſuam vicem deplorans, ſe ad pedes meos abjicit, ex animo confitetur, & ſancte dejerat, baptiſma, quo erat apud Hæreticos tinctus, non hujus generis eſſe: illud namque plenum eſſe impietatis, plenumque blaſphemiæ, neque ullam omnino cum iſto noſtro habere ſimilitudinem: affirmatque animum ſuum, propterea acerbis dolorum ſtimulis compunctum: & quoniam nefario ac profano cum verborum, tum factorum ſcelere pollutus erat, nec libere ſuos oculos ad Deum poſſet elevare. Et propterea obteſtatus eſt, ut hac puriſſima lavacri purgatione, vera ſuſceptione in Eccleſiam, & divina in eo Sacramento oblata gratia potiretur: quod plane ego non audebam præſtare.* *Apud Euſebium lib. 7. c. 9.*

En hominem de quo agebatur. Scrupuloſus erat, & forſan delirus ſenex, ab Hæreticis quidem baptizatus (ut aſſerebat,) ſed ad Communionem receptus, etiam ante Beatum Heraclam, cui in Sede Alexandrina proxime ſucceſſerat Dionyſius. Is cum Epiſcopum ſuum vidiſſet Baptiſma conferentem, conſcientiæ ſtimulum paſſus eſt, quod ſe non eo ritu, immo nec ea forma, ideſt, Evangelicis verbis tinctum meminiſſet. Antiſtiſtem precatus enixe eſt, ut ſibi vellet legitimum Baptiſma conferre. Non auſus eſt id præſtare Dionyſius, ſed Xiſtum Romanum Pontificem ea de re conſuluit. An ex hoc ſequitur quod antea in Stephani ſententiam deſcendiſſet? Minime Gentium. Neque enim in eo verſabatur controverſia inter Orientales & Africanos ex una parte, & Stephanum Pontificem Maximum ex altera, utrum rebaptizandi eſſent, quibus collatum fuiſſet Baptiſma verbis impietate, & blaſphemia plenis: nec adeo erat neſcius Canonum Dionyſius, quem Baſilius Magnus antonomaſtice, *Canonicum* vocat, ut iterandum hujuſmodi Baptiſma ignoraret. Cur ergo id non audebat præſtare? Primo, quia ipſi non conſtabat an ille ſenex ita fuiſſet baptizatus. Secundo, quia receptus fuerat a Deceſſoribus ſuis ad Conventum, & ad Communionem: nolebat autem Sanctus Dionyſius in Acta Deceſſorum ſuorum inquirere, & quæ ab ipſis geſta eſſent, reſcindere; cum ſciret unumquemque Epiſcopum rationem ſui actus Domino redditurum, ab altero judicari non debere, ut loquitur Sanctus Cyprianus. Tertio, quia cum ſibi ſatis non conſtaret an verbis Evangelicis uſi eſſent qui eum baptizaverant, Hæretici; & aliunde non iteraretur Baptiſmus eorum qui ſemel ab aliquo Catholicorum Antiſtitum fuiſſent in Eccleſiam ſuſcepti; exiſtimavit Dionyſius, ut ipſe ſcribit, *Diuturnam illam Communionem, qua fuerat cum Fidelibus ſociatus* ille Senex, *ſatis habere* *Id eſt, Canonum peritiſſimum & obſervantiſſimum.*

ARTICULUS IV.

Utrum Sanctus Cyprianus, & Africani Episcopi existimaverint dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod propugnabant, ad fidem spectare?

PROPOSITIO.

Sanctus Cyprianus, & Africani Episcopi non existimaverunt dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod tuebantur, ad fidem pertinere.

PRobatur primo ex Epistola Sancti Cypriani & Synodi Africanæ ad Stephanum Pontificem Maximum, in qua hæc habet: „ Cæterum scimus, quosdam quod semel „ imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Col- „ legas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpa- „ ta, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus: cum ha- „ beat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præ- „ positus, rationem actus sui Domino redditurus. " Porro in his quæ ad Fidem Catholicam spectant, liberum non est cuique Episcopo vel sentire, vel servare quod velit: igitur Sanctus Cyprianus & ejus Collegæ non censuerunt controversiam illam de Baptismate Hæreticorum ad fidem spectare.

Probatur secundo ex Synodo Carthaginensi 87. Episcoporum, in qua sic præfatus est Sanctus Cyprianus: „ Ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem „ judicantes, aut a jure Communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Ne- „ que enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyran- „ nico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis „ Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judica- „ ri ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare; sed expectemus universi „ Judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præpo- „ nendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi. Atqui in iis quæ sunt contra fidem, Episcopus a Coepiscopis judicari potest; non existimavit igitur Sanctus Cyprianus hanc esse controversiam Fidei.

Probatur tertio ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos, c 9. „ Verum, *inquit*, si noluerint ii qui ab Hilario instituti sunt, & oves sine Pastore esse „ cęperunt, de Scripturis ea proferre, quæ Beatus Cyprianus ob Hæreticos rebaptizan- „ dos in suis Epistolis reliquit; sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se „ sequi noluerunt, edidisse: siquidem in Communione eorum permansit, qui sententiæ „ suæ contraierant: sed hortatum potius fuisse propter Novatum, & alias tunc hære- „ ses multas enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur. „ Sermonem denique suum, quem super hac re ad Stephanum Romanum Pontificem „ habuit, tali fine complevit: HÆC ad conscientiam tuam (Frater charissime) & „ pro honore communi, & pro simplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi „ pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt." At si rebaptizationem Hæreticorum fidei rem esse existimasset Sanctus Cyprianus, anathema dixisset eis, qui contrariam sententiam tuebantur, neque cum eis communicasset: nefas enim censebat Communione jungi cum Hæreticis. Quæstionem igitur illam ad fidem pertinere non existimavit, sed ad œconomiam dumtaxat & Disciplinam Ecclesiasticam.

Objicitur. Sanctus Cyprianus Stephani sententiam decernentis, esse suscipiendos cum sola manuum impositione Hæreticos, *Errorem* vocat, & *Hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei* asserere ait, Epistola 74. ad Pompejum data. Item divinæ dispositioni anteponere Stephanum humanam Traditionem asserit. *Si Baptisma*, inquit, *nonnisi unum est; quod apud nos est, & intus est, & soli Ecclesiæ de divina dignatione concessum est, quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio, humanam*

Tra-

Traditionem divinæ dispositioni anteponere? Denique in Epistola ad Jubajanum, innuit, dogma de rebaptizandis Hæreticis esse a Spiritu Sancto revelatum. „ Proinde, *inquit*, „ frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt; quasi consue„ tudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum, quod in melius „ fuerit a Spiritu Sancto revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti .... Post „ inspirationem vero & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perseverat „ prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat: Præsumptione enim atque obstina„ tione quadam nititur, cum ratione superetur. " Sed quod divina dispositione institutum est, & a Spiritu Sancto revelatum, & cujus contrarium est error contra Ecclesiam Dei, illud spectat ad fidem. Sanctus igitur Cyprianus existimavit, dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod propugnabat, ad fidem pertinere.

Respondeo, Sanctum Cyprianum erroris quidem arguisse Stephani sententiam, sed non erroris contra fidem. Non enim quoties aliquid verum censetur, contrarium ejus existimatur hæreticum. Divinæ autem dispositioni contrariam Traditionem, qua pugnabat Stephanus, asserit, non formaliter (ut more Scholæ loquamur) sed illative: id est, non contendit sententiam, quæ rejicit Hæreticorum Baptisma, esse in Sacra Scriptura disertis nitidisque verbis traditam & expressam; sed esse illi magis congruentem, & ex divinis oraculis colligi per ratiocinationem. Unde Epistola mox laudata ad Jubajanum, innuit opinionem illam esse rationibus, quam auctoritate firmiorem. Sic enim Stephanum oblique carpit: *Proinde frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt; quasi consuetudo major sit veritate*. Denique revelationem fusiori significatu accepit Sanctus Cyprianus, prout omnis veritas, cujuscumque sit ordinis, a Deo manifestatur, qui prima veritas est; & prout omne donum desursum est, descendens a patre luminum; prout, inquam, omne quod vel ad Fidem, vel ad Ecclesiæ Disciplinam, & regimen spectat, revelat Spiritus Sanctus.

Nec vero S. Cyprianus dumtaxat cum Africanis Episcopis, & Firmilianus cum Orientalibus, existimarunt hanc quæstionem esse meræ Disciplinæ, non vero Fidei; verumetiam Nicæni Patres, qui Baptisma Paulianistarum jubentes iterari, Canone 19. anathemate non percusserunt eos, qui aliorum Hæreticorum Baptisma non reciperent: quod sane feciissent, si quæstionem istam ad fidem existimassent pertinere. His adde S. Basilium in Epistolis ad Amphilochium, ubi cum asserat Hæreticorum Baptisma non esse recipiendum, prout Firmiliano & Sancto Cypriano visum est, & nihilominus propter quamdam œconomiam suscipi posse; ostendit evidenter sibi videri eam quæstionem Disciplinæ meræ, non Fidei. Denique si res fidei visa esset, non fuisset necessarium universæ Ecclesiæ Concilium, ut inexcusabiles essent Africani & Orientales, qui Hæreticos rebaptizabant. Siquidem non excusantur, qui errorem contra fidem, a Sede Apostolica damnatum, pertinaciter propugnant; etiam ante Concilii Œcumenici celebrationem; ut in causa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii Generalis adimit S. Augustinus. At Sanctum Cyprianum excusat, quod morem Africanum rebaptizandi Hæreticos, etiam post Decretum Stephani tueretur, quia nondum celebratum fuerat Plenarium totius Ecclesiæ Concilium. Censet ergo, quæstionem illam meræ fuisse Disciplinæ.

ANIMADVERSIONES in Controversiam de hæreticorum Baptismo, in qua S. Cyprianus noluit Stephano Papæ assentiri.

DEnegantes Romanorum Pontificum definitionibus eam infallibilitatem, qua credere est Christum Jesum suum in terris Vicarium donasse, in sui præsidium non semel jactant, denegatum a S. Cypriano Romano Pontifici assensum, ubi hæreticorum baptismum firmum ratumque habendum pronuntiavit; nec Cyprianum vero, nec ipsius Assecias denegaturos fuisse credunt, quoties Romani Pontificis infallibilitatem agnovissent. In hac igitur materia elucidanda æquum est immorari.

§. I.

S. Cyprianus Romani Pontificis infallibilitati non fuit aversus, ipsiusque etiam primatum jurisdictionis agnovit.

STatim animadvertendum occurrit, S. Cyprianum ante illam de Baptismo ab Hæreticis collato disceptationem, quamvis suæ tuendæ jurisdictioni addictum, Primæ Sedis jura agnovisse. Scribendo proinde ad S. Cornelium Papam adversus Felicissimum & Fortunatum, qui postquam incassum ipsius electionem ad Carthaginensem episcopatum oppugnaverant, schisma in ipsum excitaverant, ita ait: *Navigare audent & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde dignitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis, & profanis literas ferre; nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Agnoscit in Ecclesia Romana Petri cathedram, ac proinde implicite saltem fatetur in ea sedentem gaudere Petri privilegio, de fidei indeficientia, & de virtute fratres a Satana expetitos confirmandi. Eamdem Sacerdotalis dignitatis principium agnoscit, ex quo cum consequatur ad eam accedendum, ubi aliæ Ecclesiæ fidei contentionibus concutiuntur, oportebat Christum in ea infallibile magisterium stabilire. Sed nonne etiam laudando Apostoli auctoritate fidem Romanorum, ab eis arcendo perfidiam, ostendit illic fidem deficere non potuisse? Dicit etiam S. Martyr, communionem cum Romano Pontifice tesseram esse conjunctionis cum Ecclesia catholica; ubi autem Pontifex in proponendis fidei articulis posset errare, perperam diceretur cum eodem communicare idem esse ac Ecclesiæ catholicæ adnecti. *Scripsisti etiam*, ita habet in Epistola ad Antonianum Episcopum, *ut exemplum earumdem literarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni sollicitudine, jam sciret sesecum, hoc est cum Ecclesia Catholica communicare*. Et in Epistola ad S. Cornelium Papam, ita ipsum alloquitur: *Scimus, nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem, & Matricem agnoscerent, ac tenerent... ut te universi Collegæ nostri, & communionem tuam, id est Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter, & charitatem probarent, ac tenerent*. In Epistola demum 69. Episcoporum contemptui hæresum, & schismatum originem tribuit, unde quid credere est tunc sensisse de illius summi Præsulis contemptu, ad quem perfidia accessum habere non potest, & cum quo communicare idem est ac catholicæ ecclesiæ adhærere?

Jurisdictionis etiam primatum in Romano Pontifice commendavit, qua cæteros omnes posset punire, vel punitos absolvere. Optat proinde *ep.* 67. Stephanum Papam suam exercere auctoritatem contra Marcianum Episcopum Arelatensem Novatiana labe infectum: sicut etiam docet Cornelii, & Lucii Pontificum circa lapsorum reconciliationem decreta ab omnibus Episcopis honoranda fuisse, ac Stephani auctoritate executioni mandanda. Quamvis etiam ægre tulisset, Stephanum suæ Sedi restituisse Basilidem Episcopum Hispanum a Coepiscopis depositum; numquam tamen illius restituendi auctoritate Romanum Pontificem potiri negavit, sed Basilidis malis artibus deceptum in pristinum gradum restituisse conqueritur. In hac eadem causa de baptismo hæreticorum non objicit Stephano defectum potestatis præcipiendi, dum mandavit hæreticorum baptismum non esse iterandum; sed nimis sibi fidens de injustitia præcepti lamentatur: ut patet ex ipsius epistola ad Pompejanum, eaque ex causa suam inobedientiam tuetur.

Iis animo pacato a S. Cypriano assertis, nec propriæ opinionis tuendæ studio occupato, quis anteponat quæ contra Stephanum non omnino reverenter effutiit? Alii dijudicent quam commiserit culpam, dum scripsit, Romanum Pontificem hæreticorum causam agere, contra Ecclesiam operari, non veritatem, sed consuetudinem sequi &c. ut habent ipsius epistolæ ad Pompejanum, & Jubajanum. Certum omnino est, damnabilem fuisse ipsius inobedientiam: unde quamvis S. Augustinus ad illum excusandum rationes quæritaverit, ejus tamen culpam non omnino dissimulat, unde l. 1. de

de Bapt. contr. Donat. c. 18. ait: *Ad palmam martyrii perveniſſe, ut ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur*. Addit deinde quod ſi de baptiſmo aliter ſenſerat, quam veritas expoſceret, *id charitatis ubertate penſatum, & paſſionis falce purgatum eſſe*.

Quæ ergo in præſenti controverſia ex iis, quæ geſſit S. Cyprianus, objicere quis velit adverſus Papæ infallibilitatem, ſeu poteſtatem, illa ſunt quæ præſtitit non abſque culpæ erroriſve labe; ac proinde futile ex rebus ita geſtis deſumeretur argumentum. Illud etiam oſtendit S. Præſuli tunc Deum permiſiſſe ex ſua inobedientia excæcari, quod nullum ſuperiorem, a quo judicaretur, agnoſceret quam Jeſum Chriſtum, qui illum in ſuæ Eccleſiæ gubernatione præpoſuerat, ut oſtendunt illius verba, quæ refert Natalis in ſecunda probatione articuli quarti. Ita coram Carthaginenſi Synodo effatus eſt ille, qui Romanum Pontificem omnibus præeſſe faſſus erat, ac ſua juriſdictione omnibus dominari, quique in communione cum Romano Pontifice adhæſionem cum Eccleſia Catholica ſitam eſſe docuerat: ea quidem ſenſa non prolaturus, ait Thomaſſinus Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. l. 1. c. 20. n. 3. *Si quis e Suffraganeis ſuis adverſus ipſum vel Concilium ejus provinciale vel Diœceſanum, audacius, quam ſapientius inſurgens, contendiſſet ſoli ſe ſubeſſe Deo*.

§. II.

Neque S. Cyprianus, Africanive Patres, neque S. Stephanus Papa, neque S. Auguſtinus, aliique concertationem de iterando, vel non iterando Hæreticorum Baptiſmo ad fidem pertinere putabant, ſed ad ſolam Diſciplinam.

IN hac re conſentientem habemus Natalem articulo 4. ſuperioris Diſſertationis; at quia quibuſdam placuit & inter alios Boſſuet *part.* 2. *l.* 14. *c.* 5. *& ſeqq.* diſſidium tunc reputatum fuiſſe de fidei dogmate; ac nihilominus Cyprianum, &c. Papæ definienti, ac præcipienti ſibi parendum non eſſe reputaſſe, ideo juvat ad hanc rem elucidandam ſequentia obſervare.

Ut vero gradum faciam ad oſtendendum non tamquam de Fidei dogmate tunc diſceptatum fuiſſe, illud Tertulliani *l. de Virg. veland.* viro catholico ſub oculos pono: *Regula Fidei omnino una eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis*. Ubi ergo de fidei dogmate agatur, liberum non eſt vel uni, vel oppoſitæ parti adhærere, cum una ſola ſit veritas, a qua, qui diſcedunt, in errorem labi neceſſe eſt. Sicut autem ubique in Eccleſia catholica eadem inſonat fides, ita non ubique eadem viget diſciplina, eaque diverſitas abſque culpa ſervari poteſt, neque ex ea unitas inter catholicos diſrumpitur. Hac de re ſcribens S. Gregorius ad Auguſtinum Angliæ Epiſcopum ita habet: *Mihi placet ut ſive in Romana, ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia inveniſti quod plus Omnipotenti Deo placere poſſit, ſolicite eligas*. Si ergo, dum S. Cyprianus, aliique de Baptiſmo hæreticorum egere, ita ſuam ſuſtinebant ſententiam, ut liberum cuique catholico eſſet contrariam amplecti, planum eſt non intellexiſſe fidei dogma proponere, ſed regulam diſciplinæ tueri.

Ita autem tunc factum eſſe primo oſtendunt Firmiliani querelæ adverſus Stephanum, aſſerentis pacem rupiſſe, quando ſalvo unitatis vinculo, diverſa in diverſis Eccleſiis tolerabantur; unde in Epiſtola ad S. Cyprianum ita ait: *Circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat quis eſſe apud Romanos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ catholicæ pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc facere Stephanus auſus eſt, rumpens adverſus vos pacem, quam ſemper Anteceſſores ejus vobiſcum amore, & honore mutuo cuſtodierunt*. Et re vera præcipue in tota illa Epiſtola ex eo Stephanum Papam immodeſte etiam criminatur, quia potius voluerit pacis fœdus diſſolvere, quam permittere ut unaquæque Eccleſia ſuis moribus frueretur.

Quod

Quod vero ſpectat ad S. Cyprianum, ita ipſum de hac controverſia ſenſiſſe, ut putaverit ad ſolam diſciplinam pertinere, quæ pro Eccleſiarum diverſitate varia eſſe poſſint, aperte ſuadent, quæ ex ipſo refert Natalis articulo 4. Jam igitur una cum Synodo Africana ad Stephanum Pontificem ſcribendo, affirmat liberum cuique Epiſcopo fuiſſe ſervare, quæ apud ſe erant in uſu, ſalvo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo. Idem confirmans in Epiſtola ad Jubajanum ita ait: *Hæc tibi breviter pro noſtra mediocritate reſcripſimus, nemini præſcribentes, aut præjudicantes, quominus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii ſui liberam facultatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam, & dominicam pacem tenemus. Servatur a nobis ſapienter, & firmiter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia ſacerdotii.* Ita etiam ſenſiſſe oſtendit S. Cyprianus in Synodo Carthaginenſi, ubi præfatus eſt neminem ab ipſis judicandum, nec a jure communionis amovendum, ſi diverſa ab ipſis teneret. Sæpe etiam S. Auguſtinus teſtatur Cyprianum ſe ſeparare ab iis noluiſſe, & maxime a S. Stephano Papa, qui ipſius ſententiam improbabant. Videatur *l. 1. de Bapt. cont. Donat. l. 5. c. 25. l. unic. de Bapt. contr. Petil. c. 14. &c.*

Si hujuſmodi animadvertiſſet Boſſuet, non tanti feciſſet illius Synodi canones, ut *c. 6.* judicaret illius Præſules putaſſe pro fide decertare. Ita ex ſua privata opinione illos credidiſſe etſi tranſmittamus, profecto dicendum eſt, agnoviſſe in Eccleſia catholica baptiſmum hæreticorum nondum nullius roboris habitum fuiſſe. Si inter fidei veritates a nullo ex catholicis reſpuendas hanc quoque reputaſſent, quod nullus foret baptiſmus, quem hæretici contuliſſent, quomodo Cypriani ore præfati eſſent ſe a jure communionis non amoturos, qui ipſis non adhæſiſſent? Quomodo in hac controverſia liberum eſſe, ſalva concordiæ pace, unicuique quæ ſemel imbibiſſet, retinere, ad Stephanum Papam ſcripſiſſent? Si quæ ſcripſit Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos, teſte Hieronymo apud Natalem, ſcripſit abſque anathemate illorum, qui ſe ſequi noluerunt, indubitatum eſt ita ſuam conſuetudinem tueri voluiſſe, ut tamen in errore fidei verſari non diceret eos, qui ſibi contradicebant. Hæc profecto tam clara ſunt, ut decipi illum neceſſe ſit, qui vim faciens in illis vocibus, quibus Synodus Carthaginenſis *errorem* &c. appellat, ratum velle hæreticorum baptiſmum, putat ipſam Synodum ſuam conſuetudinem iterum abluendi quos hæretici baptizaverant, pro fidei veritate ab omnibus credenda habuiſſe. Bene proinde dicit Natalis in reſponſione ad objectionem articuli quarti voces illas *error*, *veritas* in latiori ſignificatione, prout ibi explicat, fuiſſe uſurpatas.

Sed neque S. Stephanum Papam intendiſſe ſuo decreto catholicam veritatem proponere, non obſcure ejuſdem decreti innuunt verba, quæ ita ſe habebant: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut reverſis ab hæreſi manus imponatur ad pœnitentiam.* Non diffiteor utique, fidei veritates dvinis Traditionibus inniti; at cum etiam certum ſit ex Apoſtolorum Traditionibus quædam ad diſciplinam pertinentia ortum habuiſſe, nil cogit dicere Stephanum voluiſſe fidei dogma ſtatuere, dum in hac controverſia Traditionis meminit. Traditionem opponendo, non quid credendum, ſed quid faciendum eſset ex eadem decernere demonſtravit. Ipſe Cyprianus oſtendit non intellexiſſe Stephanum traditionem opponere, ex qua fidei articulus erueretur; reſpondendo etenim iis, qui adverſam conſuetudinem opponebant, in Epiſtola ad Jubajanum hæc habet: *Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate; aut non fuerit in ſpiritualibus ſequendum, ſi melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum.* Fatetur in eadem Epiſtola Cyprianus morem rebaptizandi eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam deveniebant, ab Agrippino exordium habuiſſe; inde cognoſcen ſibi objici poſſe antiquitatem traditionis, ſive conſuetudinis, ex qua aliter in Eccleſia Romana obſervabatur, reſpondet hujuſmodi traditioni veritatem anteire debere, ac Spiritus S. dictamine aliquid melius potuiſſe revelari. Ubi igitur adverſus rebaptizantes Stephanus aliique vetuſtam conſuetudinem oppoſuerunt, non conſuetudinem, ſeu traditionem, ex qua fidei articuli dignoſcantur, opponere voluiſſe ex eo apparet, quia tunc nonniſi per inſaniam Cyprianus reſpondere potuiſſet hujuſmodi conſuetudine majorem

jorem esse veritatem, & Spiritum S. aliter docere potuisse. Observatione etiam dignum hic, est sæpe sæpius S. Augustinum affirmare, dissidio inter S. Stephanum, & S. Cyprianum fervente, nondum illam de Baptismo iterando quæstionem in Ecclesia fuisse diligenter pertractatam, ut palam dicit *Lib.* 1. *De Baptis. contr. Donat. l.* 2. *c.* 7. & *lib.* 7. *c.* 20. *&c.* Quod si veritas ex Augustino non adhuc satis elucebat, ac proinde sola consuetudo Cypriano opponebatur, ut ipse Augustinus toties repetit, dicere cogimur non voluisse Stephanum consuetudinem, seu traditionem proponere, cui putaret fidei caput inniti; nam tunc dici non potuisset adhuc diligentiorem perscrutationem desideratam, ut veritas agnosceretur. Et quidem tunc temporis ubi Pontifices fidei dogmata, de quibus aliqua controversia orta erat, volebant Ecclesiæ proponere, particularia saltem Concilia ad ea prius examinanda cogere solebant, quod non præstitit Stephanus.

Sed & illud meo videri palam ostendit tunc temporis in hac controversia non concertatum, quasi de fidei articulo ageretur, quia etiam post decreta Synodi Arelatensis, & primæ Œcumenicæ Nicænæ, adhuc potuisse ab hæresi venientes salutari baptismi lavacro ablui, non pauci ex PP. sentiebant. Canone igitur octavo Concilii Arelatensis an. 314. celebrati, cavetur ne venientes de hæresi, si baptizati fuerint in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, iterum baptizentur. Ubi obiter animadvertas verba canonis demonstrare illorum Præsulum mentem non fuisse fidei articulum proponere; neque etenim falsi dogmatis Afros arguunt, sed non approbant propriam ipsorum legem, qua rebaptizandos ablutos ab hæreticis statuerant: *De Afris*, ajunt, *quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit &c.* Eamdem quam Præsules Arelatenses, calcarunt viam Nicæni PP. an. 325. nam postquam canone octavo Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus aliud baptisma conferendum non præcipiunt, canone decimo nono jubent Paulianistas ad Ecclesiæ sinum confugientes, iterum baptizari, cujus rei discrimen ita tradit Innocentius I. Ep. 22. c. 6. *Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. minime baptizabant*, (confundebant etenim cum Sabellio Trinitatis personas) *& Novatiani ejusdem tremendis, venerandisque nominibus baptizabant*. Sed & hic observandum hoc de non repetendo hæreticorum baptismo decretum, in Symbolo, aut confessione fidei non inseruisse, nec aliquid habere, unde dignoscatur veritatem fidei proponere intendisse: immo cum Synodus anathemate eos non percutiat, qui etiam aliorum hæreticorum baptismum respuerent, ostenderunt PP. Nicæni, quæstionem istam, non attingere fidem, tunc judicatum fuisse. Hinc, ut paulo antea innui, etiam post hujusmodi synodorum decreta multi PP. improbare omiserunt, si adhuc aliquibus in Ecclesiis iterumab hæreticis abluti baptizabantur. Ita clarissime habet S. Basilius in Epistola ad Amphilochium, ex qua, aliis omissis, verba canonis 47. juvat hic recensere: *Encratitæ*, ait, *Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, sicut Novatiani; quia de illis editus est Canon etsi diversus; nos autem una eademque ratione omnes baptizamus. Si autem prohibita est apud nos hæc rebaptizatio, sicut & Romanis, alicujus Oecumenicæ Synodi gratia, nostra tamen ratio vires obtineat. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum baptisma baptizati fuerint. Nec dicant, in Patrem, & Filium, & Spirisum S. baptizati sumus, qui quidem Deum malorum effectorem esse existimant*. Ita Basilius etiam post Concilia Arelatense, & Nicænum rebaptizandos hæreticos credidit, quamvis vera baptismi forma fuissent baptizati. In eadem Epistola rebaptizare suadet Encratitas, quorum tamen admittendum baptisma suadet, si ob illius iterationem Ecclesiæ pax foret turbanda. Unde non aliud quam disciplinæ negotium agi necesse est Basilium credidisse, quæ sola pro diversarum Ecclesiarum consuetudine potest esse diversa; quæque sola variationi subest, si maxime Ecclesiæ pax id expostulet. Demum novam exoptat synodum, quæ tot dubiorum nebulas exsufflet, quam sane non exoptasset, si sibi persuasum esset in Nicæna Synodo fidei articulum stabilitum, dum ab hæresi venientes, Paulianistis exceptis, dixit iterum baptismo non tingendos. Hæc si citra passionem animo revolvantur, quidquid Bossuet *c.* 7. opinatus fuerit, controversiam de hæreticis rebaptizandus, fidei capita non attingere Basilium judicasse ostendunt. Basilio annuebat Amphilochius, qui quoad ite-

iterandim Novatianorum baptiſmum cujuſcumque Eccleſię morem inſpiciendum affirmabat. Ita teſtatur Baſilius *cap.* 1. Epiſtolæ ad eumdem ſcriptæ his verbis: *Quæ itaque ad Catharos pertinent, recte admonuiſti quod oportet uniuſcujuſque regionis morem ſequi.* Quæ verba elucidans Balſamon ita interpretatur: *An oporteat baptizari Novatianos, diverſæ ſententiæ proceſſerunt, quemadmodum tu admonuiſti, & placuit ſequi morem uniuſcujuſque regionis.* Mitto Athanaſium, qui *orat. 3. adverſ. Arian.* irritum putat baptiſmum, collatum quidem invocatione Trinitatis, ſed ab hæreticis, qui de Trinitate non recte ſentirent. Mitto Epiphanium qui in *Expoſi. Fid. Catholic. num.* 13. audaciæ quidem inſimulat eos, qui ab Arianis ablutos iterum abluebant, at hæreſeos nota non inurit; deprecaturque ne ante Concilii Generalis definitionem in iis rebaptizandis perſeverent.

Sed quia Boſſuet miratur hominem in Auguſtini lectione verſatum credere potuiſſe, S. Doctorem hanc quæſtionem ad fidem pertinere non reputaſſe, ideo & in ipſius inveſtiganda mente aliquatenus immorandum. Illud igitur certum eſt ſexcenties, ut ita dicam, morem non iterandi hæreticorum baptiſmum Eccleſiæ conſuetudinem appellaſſe, quæ loquendi ratio ſaltem minus apte fidei veritatem exponit. Sed quæſo quomodo de hujuſmodi conſuetudine loquatur *lib. 2. contr. Donat. de bapt. c. 7.* expendamus. *Nondum*, ait, *erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata. Sed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia &c. quam credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, verius creditur corrumpi cœpiſſe, non corrigi.* Hic Auguſtinus agnoſcit conſuetudinem de non iterando baptiſmo, quem hæretici conferrent, ex Apoſtolorum traditione initium habuiſſe; & tamen nullum habet verbum unde nobis appareat ad fidei capita pertinere credidiſſe, ſed ſolum hujuſmodi conſuetudinem *Saluberrimam* appellat. Non traducit Cyprianum quaſi fidei refractarium, ſed illum reprehendit, quia Agrippinum inveteratam conſuetudinem potius corrumpentem ſequeretur. Et quidem ſemper cum Auguſtinus in hac controverſia errorem illorum detegit, qui Stephani decreto parere recuſarunt, numquam dicit a fidei tramite declinaſſe, ſed in eo ſitum ipſorum errorem agnoſcit, quod mallent poſthabere conſuetudinem, quam S. Stephanus novitati opponebat: *Veritate poſtea liquidius revelata*, ait l. 7. de Bapt. cont. Donat. c. 20. *ceſſit error veritati, cum illa ſaluberrima conſuetudo etiam plenarii concilii auctoritate firmata eſt.* Addiderim textum Auguſtini *l. de unic. Bapt. contr. Petil. c.* 13. ubi ſic ait: *Nec nos qui Baptiſmi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoſcimus potius quam negamus, ideo meliores Cypriano ſumus &c.* Quis modo dicat ita de articulo fidei effari potuiſſe Auguſtinum, ut de eo aſſereret *potius* in eo veritatem agnoſcere quam negare? Sicut hujuſmodi loquendi phraſis poteſt permitti quoad eas veritates, quæ inter Fidei articulos locum obtinere non creduntur; ita dubio procul eſt veritates fidei certiſſime agnoſcendas, erroreſque ipſis adverſos certiſſime vitandos.

Putat Boſſuet Auguſtinum in iterando baptiſmo hæreſim agnoviſſe, quia *lib. 5. de Bapt. c.* 17. de Donatiſtis ait: *Audent etiam rebaptizare Catholicos, ubi ſe amplius hæreticos eſſe firmarunt*; quaſi ita dicere intellexiſſet: hæretici ſunt, quia hæreticos baptizant, ſed amplius hæreticos ſe demonſtrant, quia iterum abluunt Catholicos. At ego melius puto non intendiſſe Auguſtinum eam inſtituere comparationem, ita ut, ſicut hæreticus eſt, qui novo baptiſmo abluit hæreticos, ita amplius ſit hæreticus, qui catholicos; ſed ſolum explicare voluiſſe, quod cum eſſent ex aliis capitibus hæreſis labe maculati, amplius etiam hac labe ſcatere oſtendebant, dum iterum aqua baptiſmi tingebant Catholicos. Moveor ad id affirmandum, quia *lib. de unic. bapt. contr. Petilian. c.* 13. ita habet: *Ego autem, ut quod de hac re ſentio, breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis.* Hic ubi Auguſtinus animi ſui ſenſa explicare profitetur, in eo hæreticam Donatiſtarum perverſitatem

tatem ſitam agnoſcit, ut catholicos jam ſacro fonte ablutos rebaptizarent ; & cum e contra humano tantum errori tribuat, quod Cyprianus &c. iterum hæreticos ad Eccleſiam redeuntes abluerit, in hoc hæreſim non agnoviſse demonſtrat . Hucuſque autem dicta ſatis oſtendere mihi videntur, hominem in Auguſtini libris verſatum credere potuiſse, S. Doctorem ita baptiſmum non iterandum ſenſiſse, ut tamen contrariam agendi rationem tunc fidei non adverſari reputaſset.

Demum Auguſtinum, Baſilium, & Epiphanium in hac controverſia de fidei dogmate agi non credidiſse ex hoc etiam demonſtratur, quod ad eam dirimendam concilii definitionem ſummopere exoptabant. Certe cum ipſorum ætate Origeniſtarum, aliæque graſsarentur hæreſes, non auditi ſunt ad eas compeſcendas ea flagrare concilii cupiditate, qua ad terminandam de iteratione baptiſmi controverſiam. Ubi fidei quæſtiones agitarentur, agnoſcebant illi PP. ac præcipue Auguſtinus, nequaquam neceſſe eſſe Concilia coadunare, cum univerſa Eccleſia Romani Pontificis definitionibus acquieſceret. Ea ratione *l.* 1. *contr. Julian. c.* 4. Latinorum PP. auctoritatibus expoſitis, ita Julianum interrogat: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec ullus eſt in eis commemoratus a nobis Orientis Epiſcopus ? Quid ergo faciemus, cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem B. Innocentium, ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia?* En quod ubi de fide agebatur, quæ ubique una eſt, nec pro regionum varietate poteſt eſſe verſatilis, ſufficere dicebat Auguſtinus unum Romanum Pontificem audire, ut ſtatim ab unoquoque parendum eſſet, & finem habere omnes deberent quæſtiones. Expoſcebat igitur Auguſtinus, expoſcebant & alii Patres in hac controverſia Concilii definitionem, quia cum tunc Epiſcopi de ſuarum Eccleſiarum conſuetudine teſtari potuiſſent, neceſſe fuiſſet Epiſcopos Africanos inſpicere novam ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ traditioni non conformari; atque ita poſt Concilii definitionem fuiſſent inexcuſabiles, ſi etiam in diſciplinæ controverſia ſuam opinionem non dimiſiſſent. Et quidem Auguſtinum hanc non exoptaſſe definitionem, quia a ſolo Concilio agendi regula infallibilis eſſet expectanda, illud etiam oſtendit quia in hac de hæreticorum baptiſmo quæſtione, & de S. Cypriani ſententia, ait, *ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere: ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat*. Lib. 2. cont. Donat. c. 3. Si ergo quod definiiſſet Concilium potuerat a poſteriori Concilio emendari, non ideo Auguſtinus Concilii definitionem in hac quæſtione exoptabat, quia ab illo ſolum irreformabilem regulam potuiſſet Eccleſia obtinere.

§. III.

Ex controverſia de Hæreticorum Baptiſmo nil licet inferre adverſus Pontificis definientis infallibilitatem, immo potius eadem ſtabilitur.

PRimo nullum præjudicium factum eſt Romani Pontificis infallibilitati, quia eamdem non reſpiciebant hujuſmodi conflictationes. Enimvero, ſi Stephano præcipienti, & Traditionem objicienti obtemperare recuſaſſet Cyprianus, quia infallibilitate illum carere judicaſſet, dicere oporteret fallibilem etiam credidiſſe Eccleſiam, quæ ubique ab hæreticis rebaptizandis abſtinebat, dummodo cum SS. Trinitatis invocatione abluti fuiſſent. Neque hoc negabat Cyprianus, qui bene noverat a ſuo Prædeceſſore Agrippino hanc diſciplinam in Africa fuiſſe immutatam. Si deinde ex hac controverſia etiam de infallibilitate eſſet judicandum, fallibilia reputaſſent Œcumenica Concilia illi Patres, qui etiam poſt canonem Concilii Nicæni liberum eſſe iterum ſacro lavacro tingere hæreticos dicebant, ſi id Eccleſiarum concordiæ officere non debuiſſet.

Se-

Secundo, etsi demus infallibilitatem Romani Pontificis in hoc dissidio agnoscere noluisse Cyprianum &c. profecto cum erraverit putando necesse esse ab hæreticis abluitos iterum baptismo subjicere, ita & errasse dicam, dum infallibilitatem Pontificis non agnovit. Fortasse autem errantis magnifacienda auctoritas? Quod si Augustinus Cypriani culpam minuere satagit considerando quæstionem de baptismo hæreticorum nondum eliquatam, declaratamque fuisse; eadem ratione quoad fieri potest excusandus, si infallibilem Pontificis definitionem, quam postea tot Concilia cum veneratione excepere, non agnovit. Cæterum etsi Cyprianus eloquentia, ac sanctitate esset conspicuus, in eo solum culpabilis quod nimio æstu in Pontificem ferebatur pro rebaptizandis hæreticis tamquam pro aris sociisque pugnaverit; etsi cum Cypriano tot Episcopi, qui ingenio florebant, ac sanctitate emicabant, unaque plures Synodi steterint; ipsorum nihilominus argumentis, ac declamationibus breve Stephanus opponit decretum, & per illud explicatam fuisse veritatem & tunc, & postea semper Ecclesia agnovit, ac in errorem lapsum S. Cyprianum. *Illi ipsi Episcopi*, verba sunt Hieronymi in Dialog. contr. Lucifer. *qui rebaptizandos hæreticos statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum*. Mihi videtur ergo Romani Pontificis decretum cito errorem profligasse, ac lucem veritatis ubique expandisse. Hocne est infallibilitatis prærogativa fraudari?

DISSERTATIO XIII.

De Stephani Pontificis Maximi Decreto circa Baptismi collationem in nomine Christi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Stephanus Primus Romanus Pontifex decreverit Baptisma in nomine Christi collatum, validum ac legitimum esse.

PROPOSITIO I.

Stephanus Primus Baptismum in Christi solius nomine collatum, validum, ac legitimum esse nec decrevit, nec decernere potuit.

PRobatur prima pars. Incredibile est quod Ecclesia ferme universa in errorem lapsa sit: atqui si Stephanus Baptismum in Christi solius nomine collatum validum esse ac legitimum decrevisset, tota ferme Ecclesia quæ ejus Decreta amplexa est, in errorem lapsa esset. Error quippe est asserere Baptismum hujusmodi validum esse: non est igitur verisimile Stephanum Pontificem Maximum decrevisse, Baptismum in Christi nomine collatum validum ac legitimum esse.

Probatur secundo auctoritate Scriptoris Anonymi, S. Cypriano supparis, qui controversiam de Baptismate Hæreticorum contra Cyprianum ipsum, & secundum Stephani Decretum judicat. Apud eum enim Auctorem, baptizari in nomine Christi, idem est ac baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: sicque conferendum esse Baptismum, & in Ecclesia conferri solitum, asserit. Non igitur aliud intellexit, aut decrevit Stephanus, cujus sententiam vindicat. Titulus istius Tractatus his verbis conceptus est: *Non debere denuo baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sint tincti*. In corpore autem Tractatus, postquam multa de Baptismo in nomine Christi præmisit, hæc habet: *Nec æstimes huic Tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: Ite, docete Gentes, tingite eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: Quia cum hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit; tamen considerare oportet quod invocatio nominis Jesu non debeat nobis futilis videri propter venerationem & virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes omnes solent fieri & nonnumquam aliquæ etiam ab hominibus extraneis*. Extat ille Anonymi Tractatus in Exemplari vetustissimo S. Remigii Remensis, post Epistola

Sancti

Sancti Cypriani ad Pompejum, quem primum inter Cypriani Opera edidit Rigaltius. Illum autem Tractatum Ursino Monacho Afro tribuit MS. Codex Vaticanæ Bibliothecæ, cujus Ursini meminit Gennadius c. 27. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Probatur tertio ex Firmiliano in Epistola ad S. Cyprianum, in qua Stephani Pontificis sententiam ac Decretum sic refellit: *Sed in multum*, inquit, *proficit nomen Christi ad fidem, & Baptismi sanctificationem, ut quicumque, & ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi, quando huic loco breviter occurri possit, & dici, Quoniam si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.* At quod per nomen Christi Stephanus intellexerit invocationem trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis, constat ex eodem Firmiliano hac ipsa in Epistola sic Stephani sententiam perstringente: *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Non decrevit igitur Stephanus, Baptisma collatum in solius Christi nomine validum ac legitimum esse.

Probatur secunda pars. Non potuit Stephanus decernere aliquid contra Scripturam & Traditionem: sed si decrevisset, Baptismum in nomine Christi collatum validum ac legitimum esse, adversatus fuisset Scripturæ & Traditioni: id igitur decernere non potuit.

Probatur minor. Baptisma enim nullum esse quod verbis Evangelicis, id est explicita trium personarum divinarum invocatione non conferatur, demonstrant tum verba Christi Matthæi ultimo; *Euntes ergo, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: tum Patrum omnium qui Stephanum antecesserunt, vel secuti sunt, verbis comprobata Traditio. Sic Justinus Martyr in Apologia pro Christianis, de baptizandis loquitur: *Deinde ducuntur a nobis ubi est aqua, eo quod regenerationis, renovationisque genere, quo etiam nos ipsi renovati sumus, renascuntur: Patris enim omnium, Dominique Dei & Conservatoris nostri Jesu Christi, ac Spiritus Sancti nomine, aqua abluuntur, & expiantur.* Sic Tertullianus, libro contra Praxeam, c. 16. *Novissime mandans* (Christus) *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina, in singulas personas tingimur.*

Ejusdem Traditionis testis est Sanctus Cyprianus, Epistola 73. ad Jubajanum data, ubi referens quod Actuum 2. dicit Sanctus Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi*, sic illud explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad Gentes mittuntur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque, & quomodocumque Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?*

Eidem traditioni attestatur S. Basilius libro de Spiritu Sancto, c. 12. *Neminem vero*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem. Quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizatis estis. Siquidem Christi appellatio, totius Deitatis est professio; quippe quæ simul declarat & Deum qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unctio, quemadmodum a Petro in Actis didicimus: Jesum Nazarenum, quem unxit Deus in Spiritu Sancto. Videtur attamen interdum & Spiritus tantum in Baptismate mentionem fecisse Apostolus: Omnes enim, inquit, in uno corpore, & in uno Spiritu baptizati sumus. His & illud consonat: Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto. At non ideo quis dixerit, perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem. Proinde si in Baptismo separare Spiritum a Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile; quo-*

modo nobis tutum fuerit a Patre & Filio distrahere Spiritum Sanctum? Fides ac Baptisma, duo sunt modi parandæ salutis inter sese cognati & inseparabiles. Nam fides perficitur per Baptismum, Baptismus vero fundamento Fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Idem constat ex S. Fulgentio libro de Incarnatione & Gratia Christi, c. 11. ubi de Christo loquens, hæc habet: *Ut unum eumdemque se Deum & hominem credendum, prædicandumque monstraret, simul in se divinam humanamque naturam unius Filii nomine nuncupavit, dicens Apostolis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Doctor igitur & largitor æternæ salutis hanc ideo formam Baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei Filio naturas dividens, mortifero illaquearetur errore: si aut humanam Filii Dei naturam ab opere redemptionis alienam in Sacramento Baptismatis crederet; aut duas in Christo confitendo personas, non jam verax esset Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum Patre & Spiritu Sancto, non Filium, sed Filios coleret . . . Propterea omnis qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramento sanctæ regenerationis abluitur, nonnisi in Christi morte ac nomine baptizatur, ut evidenter appareat, illi nos conjunctos esse per Baptismum in morte, in cujus uno cum Patre & Spiritus Sancti nomine constat baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis; & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

Idem constat ex Facundo Hermianensi l. 1. p. 22. *Quod autem*, inquit, *in nomine Domini Jesu hi, quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis a Domino constituta forma baptismi. Sed quia hoc erat insinuandum, quod baptismo novo fuerint baptizati, sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi Baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in Baptismo Joannis, neque in aliis Baptismis Judaicis ritus interserebatur. Cæterum illis sacratis verbis, id est, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizati mihi videntur.*

Idem constat ex Decreto Pelagii Pontificis Maximi nomine laudato apud Gratianum Distinct. 4. de Consecratione, c. *Si revera*, ubi sic ad Gaudentium Episcopum scripsisse refertur: *Multi sunt qui in nomine solum Christi, una etiam mersione, se asserunt baptizatos: Evangelicum vero præceptum, ipso Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione, sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino: Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Denique idem constat ex Epist. 11. Zachariæ Pontificis Maximi ad Bonifacium Episcopum: in qua ait, dictum Antistitem recte in Synodo cum Coepiscopis constituisse, *ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset. Quod*, inquit, *pro certo verum est; quia qui unam ex Sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest.* Et infra: *Scripsit reverenda Fraternitas tua, reperisse quemdam Presbyterum, affirmantem, sine mystica invocatione, aut lavacro regenerationis, posse fieri Catholicum Christianum per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit hoc, vacuus est Spiritu Sancto, & alienus a gratia Christi, atque a consortio Sacerdotali abjiciendus. Quis enim, nisi baptizetur juxta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & sic per manus impositionem consecretur, potest esse Catholicus?* Ex quibus omnibus colligitur, Traditionem docere nullum esse Baptisma, quod explicita & distincta trium Sanctissimæ Trinitatis personarum invocatione non conferatur: proindeque Stephanum Primum decernere non potuisse, Baptisma in solius Christi collatum nomine validum ac legitimum esse.

Objicitur in primam partem Propositionis. Illud Stephanus definivit, quod ipsum definivisse scribit S. Cyprianus, quodque legit in illius Epistola a Jubajano ad se transmissa:

missa: Atqui S. Cyprianus Epistola 73. scribit Stephanum definivisse, Baptisma in nomine solius Christi collatum legitimum esse, idque legerat in Epistola Stephani, quam refellit his verbis: *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicunque, & quomodocunque, Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Stephanus igitur decrevit, Baptisma in nomine Christi collatum validum esse ac legitimum. Non enim imposuisse Romano Pontifici existimandus est Cyprianus vir sanctissimus: vel ipsius Epistolæ sensum non percepisse, Doctor perspicacissimus.

Confirmatur. Stephanus probavit Marcionis Baptisma (ut constat ex ejus Epistola, quam a Jubajano ad se transmissam laudat S. Cyprianus ad eumdem Jubajanum scribens.) *Plane*, inquit, *quoniam inveni in Epistola, cujus exemplum ad me transmisisti, scriptum esse, quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit, secundum quod credidit; prætereundum hunc locum non putavi; maxime cum in eadem Epistola animadverterim etiam Marcionis fieri mentionem; ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati esse videantur.* Atqui Marcionitæ non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: siquidem non credebant in Deum Patrem omnium Creatorem, sicut Ecclesia, sed baptizabant in solius Christi nomine: Stephanus igitur Marcionitarum Baptisma ratum habens, definivit Baptisinum in Christi solius nomine collatum, validum ac legitimum esse.

Respondeo, distinguo Majorem: si Stephani mentem assecutus sit S. Cyprianus, & in genuina ejus Epistola legerit opinionem, quam citat ac refellit, concedo: si non fuerit assecutus Sancti Pontificis mentem, & in genuina ejus Epistola hæc non legerit, nego. Eadem distinctio minori accommodanda est. Itaque Sanctus Cyprianus non fuit assecutus mentem Stephani, cum putavit, ipsum probare Baptisinum in solius Christi nomine collatum. Non enim ita se res habebat. Nam Stephanus Baptisinum in nomine Christi intellexit Baptisinum a Christo institutum, & virtute Christi peccata expungentem: sed qui revera trium Personarum divinarum explicata invocatione conferretur, (ut constat tum ex Tractatu Anonymi Scriptoris Sancto Cypriano coævi aut supparis, cujus verba in probationibus laudata sunt, tum ex Epistola Firmiliani).

Adde quod Epistola illa quam citat Sanctus Cyprianus, non erat genuina Stephani. Scripsisset enim Stephanus ad Cyprianum Carthaginem, non ad Jubajanum in remotioribus Africæ partibus Episcopum. Et revera Decretum Stephani contra Cypriani sententiam ad Cyprianum ipsum missum est (ut constat ex ipsius Epistola 74. ad Pompejum data). Epistola vero quæ Baptisinum in nomine Christi collatum probabat, non immediate missa est ad Cyprianum, sed in Jubajani manus cum incidisset, illius exemplar ad Sanctissimum Doctorem & Antistitem transmisit: nec Cyprianus tribuit ipsam Stephano, sed Auctoris tacito nomine illam refellit.

Ad confirmationem, respondeo incertam esse majorem, quod scilicet Stephanus Marcionis Baptisma probaverit: nec ex Epistola, quam ad Sanctum Cyprianum misit Jubajanus, id certo posse probari, utpote quæ Stephani Pontificis genuina non videantur. Itaque æstu contentionis abreptus Cyprianus, intulit ex verbis Stephani decernentis, a quacumque hæresi venientem non esse baptizandum: intulit, inquam, ex his verbis, Stephanum admittere Baptisma eorum etiam Hæreticorum, qui ritu Evangelico & Christi verbis non baptizabant, adeoque & ipsius Marcionis: sed non est assecutus ipsius mentem: Negabat enim dumtaxat laudatus Pontifex, baptizandos esse a quacumque hæresi venientes, si Baptisinum in sua Secta verbis Evangelicis consecratum suscepissent.

Objicitur in partem alteram Propositionis. Illud decernere potuit Stephanus ratum esse ac validum Baptisma, quod ea formula verborum administraretur, qua ab Apostolis collatum est: atqui ab Apostolis collatum est Baptisma in nomine solius Christi: Igitur Stephanus I. Pontifex Maximus decernere potuit Baptisma in Christi solius nomine collatum, ratum ac legitimum esse.

Probatur Minor ex Actibus Apoſtolorum cap. 2. ubi S. Petrus ad Judæos ait : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Et c. 8. ubi dicitur de Samaritanis, quod nondum in quemquam illorum Spiritus Sanctus venerat : *Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu*. Et cap. 10. ubi S. Petrus refertur dixiſſe de Gentilibus, in quos, ipſo concionante, Spiritus Sanctus deſcenderat : *Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum accperunt, ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti*. Et cap. 19. dicitur de quibuſdam Diſcipulis, quos invenit Epheſi Sanctus Paulus : *Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu*.

Reſp. 1. diſtinguo maj. Ea formula verborum, qua ab Apoſtolis collatum eſt ex Evangelica lege, concedo: qua ab iis collatum eſt ex diſpenſatione, nego. Atqui ab Apoſtolis collatum eſt Baptiſma in nomine ſolius Chriſti, ex diſpenſatione, eſto ; ex præſcripto legis Evangelicæ, nego. Hinc S. Thomas III. P. Q. 66. A. 6. ad 1. ait : *Ex ſpeciali Chriſti revelatione, Apoſtoli in primitiva Eccleſia, in nomine Chriſti baptizabant ; ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis & Gentilibus, honorabile videretur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptiſmo*. Cæterum hæc diſpenſatio ad Apoſtolica ſolum tempora pertinebat: unde Stephanus Pontifex tertio Sæculo decernere non potuit Baptiſma in Chriſti nomine collatum, ratum ac validum eſſe, quamvis Apoſtolorum temporibus validum fuiſſet. *Nam* (ut præclare diſſerit S. Thomas Articulo mox laudato) *Sacramenta habent efficaciam ab inſtitutione Chriſti. Et ideo, ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod Sacramentum, efficacia carent, niſi ex ſpeciali diſpenſatione ejus qui virtutem ſuam Sacramentis non alligavit. Chriſtus autem inſtituit Sacramentum Baptiſmi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid deſit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptiſmi. Nec obſtat quod in nomine unius perſonæ intelligitur alia, aut quod ille qui nominat unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus: quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Unde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptiſmo Chriſti, ubi fuit origo ſanctificationis noſtri Baptiſmi, adfuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſcilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba*.

Reſpondeo ſecundo, nego minorem abſolute. Nam S. Thomas hypotheticam dumtaxat reſponſionem affert, nec ad diſpenſationem confugit, niſi ex hypotheſi quod Apoſtoli in ſolius Chriſti nomine baptizarint, cujus facti noluit expendere veritatem, Scholaſticæ dumtaxat methodo intentus: ſicut in nonnullis aliis factis, quæ ſibi objicit, reſpondere ſolet hypothetice, quia ejus inſtituti non erat facta expendere, quorum examen Theticæ Theologiæ proprium eſt, & prolixiorem tractationem poſtulat.

Ad probationem reſpondeo, Apoſtolicis in Actis dici baptizatos Gentiles vel Judæos, *In nomine Jeſu Chriſti*, non quod ſolum Chriſti nomen in forma Baptiſmi ab Apoſtolis proferretur, ſed quod Chriſti auctoritate, & virtute baptizarent, ſeu Baptiſmo inſtituto a Chriſto. Id enim ſignificat plerumque in Actis hæc loquendi formula (*in nomine*) ut capite 3. ubi Petrus claudum ſanans, ait: *In nomine Chriſti Nazareni ſurge & ambula*; & cap. 4. ubi Sacerdotes & Scribæ Petrum & Joannem ſic interrogaſſe referuntur: *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos*? Denique Actuum 19. in nomine Chriſti dicuntur baptizati Diſcipuli Epheſi commorantes, prout Chriſti Baptiſmus opponitur Baptiſmo Joannis, quo tantum tincti erant, non prout ſolius Chriſti nominis prolatione, aut invocatione conſtare fingitur. Id ex contextu illius loci perſpicuum eſt, ubi S. Paulus ſic eos interrogaſſe narratur: *Si Spiritum Sanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Joannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptiſmo Pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Jeſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu*. Adde quod Diſcipulos reſpondentes ſe neſcire Spiritum San-

ctum

ctum; fruſtra hac interrogatione urgeret Apoſtolus: *In quo ergo baptizati eſtis?* Niſi in Spiritus Sancti, æque ac in Chriſti nomine baptizare Apoſtoli ſoliti eſſent.

Ita prolata Scripturæ ſacræ teſtimonia Sancti Patres intellexerunt. *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus* (inquit S. Cyprianus in Epiſtola ad Jubajanum) *non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur.*

Et S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 17. *Qui Patre*, inquit, *& Spiritu Sancto non nominatis, juſſi ſunt baptizari; intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Lege Facundum Hermianenſem lib. 1. pag. 22.

Probabilius igitur eſt Apoſtolos nuſquam in ſolius Chriſti nomine Baptiſmum contuliſſe, etiam ex diſpenſatione: primo quia diſpenſationis illius nullum eſt in Apoſtolica Hiſtoria, aut in Traditione veſtigium. Secundo, quia diſpenſationis illius cauſa neceſſaria, aut conveniens non videtur, nempe ut nomen Chriſti honorabile redderetur. Neque enim Chriſti nomen, ſed nomen Jeſu odioſum Judæis erat, quia Jeſum non credebant eſſe Chriſtum, id eſt, Meſſiam in Lege & Prophetis promiſſum. Tertio, quia ſummum nomini Jeſu conciliabant honorem miracula per ejus invocationem facta, ſed & ejus augeri poterat veneratio & religio per formam Baptiſmi, ſi ſic in illa exprimeretur: *In nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti:* quod forſan Apoſtolicis temporibus factum eſt, & legitur apud Pſeudo-Abdiam Babylonium.

Objicies contra hanc reſponſionem auctoritatem Sancti Hilarii libro de Synodis, ita ſcribentis: *Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juſſi, tantum in Jeſu nomine baptizaverunt.*

Reſpondeo, S. Hilarium adducere textus Evangeliorum & Actorum in ſpeciem pugnantes, ut oſtendat ea quæ ſibi repugnare videntur in Scripturis, non ideo expungenda eſſe, aut prætermittenda, quia apparens illa contradictio pravis opinionibus anſam dare poteſt. Quo ex principio colligit, non minus etiam uſurpandam illam eſſe vocem, ὁμοούσιον a Nicæna Synodo conſecratam, etſi nonnulli eam pravos in ſenſus detorſerint, & ea adhuc abutantur. En locum integrum S. Hilarii, qui huic reſponſioni lucem affert. *Pereant quoque*, inquit, *ſi videtur (quod non ego dixerim, ſed reſponſionis neceſſitas) omnia divina illa & ſancta Evangelia ſalutis humanæ: ne ſe contraria dictorum opinione compugnent; ne miſſurus Dominus Spiritum Sanctum, ipſe de Spiritu Sancto natus intelligatur: ne mortem & gladium denuntians uſuris, emi gladium paſſurus indicet: ne ad inferos deſcenſurus, in Paradiſo ſit cum Latrone: ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juſſi, tantum in Jeſu nomine baptizaverunt.* Vult itaque ſolum S. Hilarius, Actuum loca, in quibus Apoſtoli dicuntur baptizaſſe, *in nomine Domini Jeſu*, non eſſe contraria Evangelio in quo dixit Chriſtus Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Sed non contendit Apoſtolos in nomine ſolius Chriſti revera baptizaſſe: alioqui contradicerent Acta Evangelio, & Apoſtoli Chriſti mandatum violaſſent, quod Sanctus Hilarius merito negat.

Objicitur ſecundo. Sanctus Ambroſius libro primo de Spiritu Sancto, cap. 3. Baptiſmum in ſolius Chriſti nomine collatum legitimum eſſe cenſet, quia in Chriſti nomine cæteræ Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ intelliguntur: itaque Stephanus I. decernere etiam potuit Baptiſmum in Chriſti nomine collatum validum ac legitimum eſſe.

Probatur antecedens ipſis S. Ambroſii verbis: *Quemadmodum*, inquit, *ſi unum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium.* Et rurſus: *Si Chriſtum dicas, & Patrem a quo unctus eſt, & ipſum qui unctus eſt Filius, & Spiritum Sanctum quo unctus eſt, deſignaſti.* Et infra: *Nunc conſideremus utrum quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe legimus Baptiſmatis Sacramentum; ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil deſit ad myſterium.* Cenſet itaque S. Ambroſius legitimum eſſe validumque Baptiſmum in ſolius Chriſti nomine collatum.

Reſpondeo primo, S. Ambroſii mentem non eſſe, ut in ſolius Chriſti nomine conferri poſſit Baptiſma, aut collatum ſit aliquando; alioqui cum de Spiritu Sancto idem aſſerat, Baptiſmum quoque in ſolius Spiritus Sancti nomine datum approbaret, quod nemo umquam auſus eſt aſſerere: ſed mens ejus eſt, quod in ipſa Textus Sacri narratione, cum exprimitur nomen Chriſti, vel nomen Jeſu, non negetur quin Baptiſmus in aliarum quoque Perſonarum nomine ſit collatus. Iſque ſenſus omnino congruit S. Ambroſii inſtituto. Eo enim in capite probare intendit unam eſſe Spiritus Sancti cum Patre & Filio majeſtatem, quia una operatio eſt: ex quo colligit, cum uni perſonæ aliquid tribuitur in Scripturis externam operationem ſpectans, id referendum eſſe pariter ad alias, etiamſi de illis ſileatur. En ejus verba initio capitis: *Sed fortaſſe aliquis dicat: Qua ratione cum dixerit hic ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu Sancto tacuerit, & hinc cupiat præjudicium comparare? Quod ſi pergit malitioſe interpretari, quam multis invenit locis prædicatam Spiritus Sancti poteſtatem, in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil Scriptura expreſſerit, ſed intelligendum reliquerit. Numquid ergo cum gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut unigeniti Filii denegatur? Non ita: quia ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre; ita etiam diffuſa eſt charitas Dei in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Et ſicut qui benedicitur in Chriſto, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quia unum nomen, poteſtas una; ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus deſignatur, non ſolum ad Sanctum Spiritum, ſed etiam ad Patrem refertur & Filium; nec ſolum ad Patrem, ſed etiam ad Filium refertur & Spiritum.* Ex quibus ſic colligo: S. Ambroſius ſtatuit hanc regulam, ut quoties in Scriptura ſacra aliqua operatio uni divinarum tribuitur perſonarum, ad alias referri pari jure intelligatur, & in exemplum affert Baptiſma collatum ab Apoſtolis in nomine Chriſti: igitur ſicut operatio non tribuitur alicui perſonæ cum excluſione aliarum; ita nec Baptiſmus dicitur in Actibus Apoſtolorum collatus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſuppreſſo nomine Patris & Spiritus Sancti, quamvis ibi Sacer Textus illorum non meminerit.

Præterea, S. Ambroſius, qui S. Baſilii ſenſa in libro de Spiritu Sancto expreſſit in libris de eodem argumento a ſe conſcriptis, ab ejus mente receſſiſſe non videtur in locis Actorum exponendis, & in aſſignanda Baptiſmi forma legitima. Porro S. Baſilius Baptiſma in Chriſti ſolius nomine invalidum eſſe contendit, nec ab Apoſtolis ſic putat collatum (ut ſuperius oſtendimus). Eadem igitur mens fuiſſe videtur S. Ambroſii.

Reſpondeo ſecundo, ita intelligi poſſe S. Ambroſium, ut velit ex parte baptizati ſolam nominis Chriſti fidem, vel profeſſionem ſufficere, quia fidem & profeſſionem aliarum perſonarum, omniumque Myſteriorum implicite continet: ut ſicut ad ſingulas immerſiones interrogatus, reſpondebat ad primam: *Credis in Patrem? Credo*; & ad ſecundam: *Credis in Filium? Credo*; & ad tertiam: *Credis in Spiritum Sanctum? Credo:* (ut refert S. ipſe Ambroſius lib. 2. de Sacramentis c. 7.) Sic ſatis eſſe videatur ad Fidem ſuam exprimendam, ſi ſolum interrogatus, *Credis in Chriſtum?* reſpondeat etiam, *Credo*. Sed neceſſariam eſſe ex parte baptizantis diſtinctam & explicitam invocationem trium Perſonarum in adminiſtratione Baptiſmi, ex Chriſti inſtitutione, diſerte aſſerit idem S. Doctor, cap. 5. ejuſdem libri 2. de Sacramentis: *Venit Sacerdos* (inquit) *precem dicit ad Fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filii, & Spiritus Sancti. Utitur verbis cœleſtibus. Cœleſtia verba quæ ſunt? Quod baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et cap. 7. jam laudato: *In uno autem nomine baptizari nos juſſit: hoc eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Noli mirari quia dixi unum nomen, ubi eſt una ſubſtantia, una divinitas, una majeſtas. Hoc eſt nomen de quo dictum eſt: In quo oportet omnes ſalvos fieri.*

Objicitur tertio. Id potuit decernere Stephanus I. quod decrevit poſtea Nicolaus I. Atqui Nicolaus I. decrevit Baptiſma in ſolius Chriſti nomine collatum, validum ac legitimum eſſe: id igitur Stephanus decernere potuit.

Probatur minor ex illius Pontificis verbis, in Reſponſione ad Conſulta Bulgarorum, cap. 104. *A quodam Judæo*, inquit, *neſcitis, utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in*

Patria

Patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt; conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.

Reſpondeo, Nicolaum I. id quod reſpondit de nomine Chriſti, curſim, & obiter, ex opinione ſua ſingulari dixiſſe, non ut Pontificem & Chriſtianorum omnium Doctorem. Non enim ipſum conſuluerant Bulgari de Baptiſmo in nomine Chriſti collato, ſed de Baptiſmo collato a quodam, de quo neſciebant an Paganus eſſet, vel Judæus. Validum eſſe ac ratum reſpondit Pontifex, ſi in nomine Trinitatis collatus eſſet. En Sedis Apoſtolicæ oraculum totius Eccleſiæ veneratione exceptum. Sed addidit huic definitioni disjunctivam illam, *vel tantum in nomine Chriſti*. En ſingularem Nicolai ut privati Doctoris opinationem, quam non probat Eccleſia, quia neque ad ſuorum Deceſſorum decreta, neque ad Traditionem Patrum teſtimoniis roboratam, in hac reſponſionis ſuæ appendice ſatis attendit; ſed Sancti Ambroſii verbis accurate non expenſis, & alium in ſenſum detortis deceptus eſt, ut conſtat ex his verbis quæ per parenthesim interſerit (*ut Beatus Ambroſius dicit*). Deceptum autem fuiſſe hac in Re Nicolaum I. ex eo perſpicuum eſt, quod ſuis adhuc temporibus Baptiſmum in Chriſti nomine collatum ratum eſſe cenſet, quem Apoſtolorum dumtaxat ætate validum fuiſſe ex diſpenſatione ſingulari, propugnant Scholaſtici quidam, quibus favet in ſpeciem S. Thomas.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, & ad pag. 499. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc in Indiculo ſuo notam referunt: *Apoſtoli numquam baptizarunt in nomine Chriſti.*

R. Vocem, *Solius*, ſuppreſſere. Sic enim ajo: *Probabilius eſt Apoſtolos nuſquam in ſolius Chriſti nomine Baptiſmum contuliſſe*. Quod ante me primi ſubſellii Auctores, & nunc Viri plerique omnes Eruditi propugnant; ut mirum ſit id a Religioſis Cenſoribus reprehendi, quod Scripturæ ſacræ, Patrumque firmiſſimis teſtimoniis comprobatur.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, & ad pag. 504. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc propoſitionem notant: *Nicolaus I. ut perſona privata erravit, dicendo Baptiſmum in nomine Chriſti tantum collatum eſſe validum.*

R. Id recte ſcripſi poſt *Melchiorem Canum*, *Eſtium* in 4. *Sententiarum*, Diſt. 3. §. 5. & *Silvium*, in 3. par. Quæſt. 66. Art. 5. cujus hæc ſunt verba: *Ad Nicolai Decretum Reſponſio veriſimilior eſt Melchioris Cani libro 6. De Locis, cap. 8. ad 7. Pontificem ut privatum Doctorem falſæ opinioni adhæſiſſe, nihil tamen ea de re definiiſſe. Neque enim illud omne definiunt Pontifices, quod in aliqua ad quæſtionem ſibi propoſitam Reſponſione inferunt. Nicolaus conſulebatur an baptizatus a Judæo vere eſſet baptizatus: ad quod definitive reſpondet, quod ſic. Quod autem reſpondendo addit de Baptiſmo in nomine Chriſti tantum; non ut definiens dicit: ſed juxta privatam ſuam opinionem erroneam. Eſto enim quod Apoſtoli ſic baptizaſſent: non propterea nunc idem vel liceret, vel validum eſſet.* Idem reſpondet *Bellarminus* lib. 4. *De Romano Pontifice*, cap. 12.

DISSERTATIO XIV.

De Fide Stephani Romani Pontificis circa Baptiſmum Hæreticorum.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Stephanus Pontifex in errorem oppoſitum Sancti Cypriani errori lapſus fuerit, omnium Hæreticorum Baptiſmate ratihabito?

PROPOSITIO.

* Blondellus. *Quod Hæretici quidam *, immo & viri inter Catholicos Theologos eruditi, aſſerunt, Stephanum Pontificem Maximum, damnando morem S. Cypriani & Africanorum Antiſtitum, necnon Firmilianus & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum errorem lapſum eſſe, & decreviſſe, Baptiſma quorumcumque Hæreticorum, etiamſi conſueta & ſolemni Eccleſiæ forma & ritu collatum non eſſet, ratum eſſe ac legitimum, proindeque non iterandum, prorſus improbabile eſt.*

PRobatur primo ex Epiſtola Firmiliani ad S. Cyprianum, ex qua perſpicuum eſt, Stephanum ſuppoſuiſſe ſemper Baptiſmum verbis Evangelicis conferri debere, ut ratum eſſet. *Illud quoque abſurdum*, inquit Firmilianus, *quod non putant quærendum eſſe quis ſit ille qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti.*

Probatur ſecundo ex S. Cypriano in Epiſtola ad Pompejum, in qua teſtatur Stephanum Baptiſmum Hæreticorum ratum habuiſſe ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. *Aut ſi effectum Baptiſmi, majeſtati nominis tribuunt*, inquit, *ut qui in nomine Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur*, &c.

Probatur tertio. Stephanus antiquam propugnando conſuetudinem, proculdubio non erravit. Quis enim dixerit ab antiquo iſtum in Eccleſia Romana invaluiſſe errorem, ut eorum Hæreticorum ratus haberetur Baptiſmus, qui formam Eccleſiæ non ſervarent? Porro Euſebius teſtatur Stephanum antiquam conſuetudinem vindicaſſe. Ita enim habet lib. 7. cap. 3. *Erat id temporis non exigua quæſtio & controverſia concitata, utrum oporteret eos qui ſe a quocumque hæreſis genere revocaſſent, lavacro Baptiſmatis repurgare: cum ex conſuetudine ab antiquis ducta temporibus, in hujuſmodi hominibus in Eccleſiam recipiendis ſolæ preces cum manuum impoſitione adhiberi ſolerent.* Non eſt igitur probabile Stephanum lapſum eſſe in errorem oppoſitum errori Sancti Cypriani.

Probatur quarto ex Concilio Arelatenſi, quod cum Afros rebaptizantes Hæreticos ſingulari Canone percellat, Romanis minime pepercisſet, ſi in contrario errore verſati fuiſſent.

Probatur quinto ex S. Auguſtino, qui Stephani Decreto vindicatam conſuetudinem ac Traditionem paſſim commendat in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas: quamvis Decretum ipſum non referat.

Probatur ſexto ex Vincentio Lirinenſi in Commonitorio, ubi de errore quem invexerat Agrippinus, loquens, hæc habet: *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, huic beatæ memoriæ Stephanus, cum cæteris Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris, reſtitit. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus, niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas.* Sed qui retinet antiquitatem, & novitatem explodit, non errat: nequaquam igitur Stephanus lapſus in errorem eſt.

Probatur ſeptimo ex Facundo Hermianenſi libro contra Mocianum. *Beatus Stephanus*, inquit, *Præſul Apoſtolicæ Sedis, cum S. Cyprianum atque alios Afros Epiſcopos, de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret, continuo ei denuntiavit, quod ſi*

qui

qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur. Et Stephani potius quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis Hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis. Ex quibus sic colligo. Stephani sententiam tenet Ecclesia, ex Facundo: atqui Ecclesia non recipit Baptisma Hæreticorum qui verbis Evangelicis non baptizant. Igitur Stephanus non sensit illorum Baptisma recipiendum esse.

Probatur ultimo. Si lapsus in errorem fuisset Stephanus, quem ipsi Blondellus, & alii adscribunt, universa Ecclesia his temporibus versata fuisset in errore: siquidem omnes Episcopi, vel Cypriani & Firmiliani, vel Stephani sententiam propugnabant: & utraque, secundum hujus Hæretici hypothesim, erronea erat: atqui impossibile est Ecclesiam errare universam, quæ *columna & firmamentum est veritatis*: Stephanus igitur in eum non est lapsus errorem, quem ipsi Blondellus, & alii affingunt.

Objectio prima petitur ex Decreto Stephani, cujus verba refert Sanctus Cyprianus Epistola 74. ad Pompejum data: *Si quis ergo*, inquit, *a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi Hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Ergo omnium Hæreticorum Baptisma probavit, nullosque decrevit rebaptizandos, etiamsi baptisma verbis Evangelicis non conferrent.

Respondeo, nego consequens. His enim verbis, *A quacumque hæresi*, solas illas hæreses Stephanus intellexit, quæ Baptismi formam integram servaverant. Eumdem ferme loquendi modum Sanctus Hieronymus usurpat in fine Dialogi adversus Luciferianos, ubi Baptisma Hæreticorum receptum semper fuisse in Ecclesia Romana asserit, nec illos excipit qui Baptismi formam violabant: nectamen illorum Baptisma Sancti Hieronymi temporibus ab Ecclesia fuisse susceptum quis sapientum asserit. Cur igitur Stephano is affingitur error, qui alio modo non est locutus, quam S. Hieronymus locutus fuerit quarto sæculo cadente? *Si Hæretici Baptisma non habent*, inquit laudatus Pater, *& ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt, ipse quoque Hilarius non est Christianus: in ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab Hæreticis Baptismum recepit.* Et infra: *Quod si negandum quispiam putaverit, Hæreticos a Majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ Urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis laceret errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de Hæreticis rebaptizandis edidit: & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri a Julio, Marco, Silvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in Pœnitentiam omnes Hæreticos susceptos.* Denique laudat Nicænum Concilium, *quod omnes Hæreticos susceperit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis:* id est, omnium Hæreticorum, præterquam Paulianistarum, Baptisma ratum habuit.

Argumentis Launoji contra S. Stephanum I. respondetur.

Objicies cum Joanne Launojo in Epistola ad Jacobum Bevilaquam Sorbonicum Doctorem, Cyprianum pluris quam Stephanum semper in Ecclesia habitum fuisse: quod ostendit ex laudibus quibus Sancti Patres pene universi prosecuti sunt Cyprianum, non Stephanum: ex Canone Missæ in quo adscriptum habetur nomen Cypriani, non Stephani: ex veteribus Litaniis, in quibus Cyprianus invocatur, non Stephanus, quas Litanias ex Romano Ordine & 19. Ritualibus Ecclesiarum Galliæ laudat. Quod in S. Gregorii Sacramentario & in antiquis Missalibus, habeatur Præfatio in festo Sanctorum Cornelii & Cypriani, non in festo S. Stephani. Quod festum Sancti Cypriani ritu solemniori celebretur. Quod in Kalendario veteri, quod sub Romani nomine Joannes Fronto Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ publici juris fecit, post Natale Apostolorum Petri & Pauli ponatur: *Hebdomada* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. *post Natale Apostolorum.* Et similiter post Natale SS. Cornelii & Cypriani 14. Septembris continuo subjungitur: *Hebdomada* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. *post Natale Sancti Cypriani*; sed non ponatur quid simile post festum Stephani Papæ. Quod Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani, aliarum ejus Constitutionum meminerit; non illius quæ ad Baptismum Hæreticorum pertinet; quasi qui Romæ scribunt, illud eloqui non auderent, vel etiam erubescerent. Quod in Romano Breviario, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognito, Decretum de non rebaptizandis Hæreticis referatur aliter quam a Stephano editum est;

sic

sic autem refertur Lect. 2. *Baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari vetuit, rescribens Sancto Cypriano verbis illis: Nihil innovetur nisi quod traditum est.* Ex quibus colligit Launojus, ipsa Ecclesia Judice, videri Stephanum, damnando errorem Cypriani, in contrarium errorem abreptum.

Respondeo, nego consequens. Hæc enim solum probant majorem Ecclesiæ de Sancto Cypriano existimationem, venerationemque propensiorem; tum ob sanctitatem, dum vixit, illustriorem; cum ob Christianæ Disciplinæ studium, & animi fortitudinem in ea propugnanda, sæviente persecutionum tempestate, eximiam; cum ob amorem Ecclesiæ universæ & Catholicæ unitatis; cum ob doctrinæ præstantiam, ac famam, quæ ipsi inter Ecclesiæ Patres nobilem locum obtinuit; quæ doctrina, si errorem de Hæreticorum Baptismo exceperis, Fidei propugnaculum, Traditionum promptuarium, Disciplinæ palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum est; tum denique ob Martyrii claritatem celebritatemque majorem. At quantumvis Stephani paulo obscurior sit in Ecclesia quam Cypriani memoria, inferri inde non potest, Stephani Decretum ab ea non probari. Nec me movet, vel Anastasii Bibliothecarii silentium de hujusmodi Decreto, vel Romani Breviarii illud paulo aliter referentis auctoritas; quibus prævalet veterum monumentorum fides.

Objicies testimonium Benedicti XII. in Responsione ad Fraticellorum Objectiones contra Joannis XXII. Constitutiones, quam suo Inquisitorum Directorio, parte 2. Quæst. 17. Eymericus inseruit. Cum enim Fraticelli dicerent, quod in his, quæ pertinent ad fidem & mores, determinatum semel per Summum Pontificem non potest per alium revocari; (talem autem esse Nicolai IV. Bullam de Christi & Apostolorum paupertate pugnabant,) respondet Benedictus: *Falsum est. Nam Petrum, qui non ambulabat recte ad veritatem Evangelii, reprehendit & correxit Paulus, ut patet ad Galatas 2. & tamen non erat illi par, sed inferior. Item Stephanus Papa determinavit, quod nullus baptizatus per quoscumque Hæreticos, veniens ad Ecclesiam Catholicam, rebaptizaretur: Sanctus autem Cyprianus cum multis Episcopis in Africa celebrans Concilium, determinavit oppositum, videlicet quod baptizati a quibuscumque Hæreticis, si ad Ecclesiam Catholicam veniant, sunt baptizandi: reprobans in hoc Stephanum Papam, ut patet in Cypriani Epistolis ad Jubajanum, ad Stephanum, & Pompejum. Concilium autem Nicænum utramque opinionem Sancti Cypriani, & Stephani Papæ correxit, determinando, quod baptizati ab Hæreticis non servantibus formam Ecclesiæ, venientes ad Ecclesiam baptizentur: ab aliis vero Hæreticis baptizati, non rebaptizentur; ut non sit contra Articulum fidei: Et unum Baptisma.*

Respondeo, Benedictum hæc scripsisse adhuc Cardinalem: cujus proinde non tanta est auctoritas. Singularis illius opinio fuit, vel potius error, quod S. Stephanus Pontifex, & Sanctus Cyprianus, in oppositos errores lapsi essent, & quod utriusque ipsum Nicæna Synodus correxisset. Ipsum itaque deserimus, convicti momentis, quibus nostra superius probata est Assertio.

SCHOLION I.

Ad hanc dissertationem, ad probationem quartam Propositionis, sive ad pag. 507. Editionis primæ: Religiosi Censores id reprehendunt: *Concilium Arelatense Romanis minime pepercisset, dum rebaptizantes damnavit, si in contrario errore versati fuissent.*

R. Concilium Arelatense I. Afros rebaptizantes Canone 8. perstrinxit. *De Afris*, inquit, *quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de Hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ex hoc Canone conjecturam duxi, quod Concilium illud Romanis minime pepercisset, id est, ipsos pariter perstrinxisset, si in contrario errore versati fuissent. Verisimile igitur non esse quod *S. Stephanus* Romanus Pontifex in errorem oppositum *Sancti Cypriani* crassiori lapsus fuerit, omnium hæreticorum Baptismate ratihabito, etiamsi consueta & sole-

ſolemni Eccleſiæ forma collatum non fuiſſet: gratum fore ſperabam Religioſis Cenſoribus, quod *Stephanum I.* Pontificem Sanctiſſimum, Romanamque Eccleſiam vindicaſſem ab errore, & *Blondellum* ac *Launojum* contra ſentientes confutaſſem; nec reprehenſuros probabilem conjecturam ad id unum probandum adhibitam, altiſque ſuffultam firmioribus argumentis. Non credidiſſem Religioſos Viros ex hujuſmodi a me facta conjectura rem plane ridiculam, & quæ mihi numquam venit in mentem, illaturos. *Hinc ſequitur* (inquiunt) *Concilium Provinciale potuiſſe damnare Romanum Pontificem*. Abſona illatio (pace illorum dixerim) quam non admitto, nec admittam unquam. Afros perſtrinxit Arelatenſe Concilium, nec tamen Africanam Eccleſiam damnare potuit, & Epiſcopos Afros judicare, ſi Provinciale tantum fuit (ut volunt Religioſi Cenſores) immo etſi nationale: Multo minus ergo ſequitur quod Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ jure divino Rectorem, & Caput damnare potuiſſet, quamvis perſtrinxiſſet canone ſuo errorem Romanorum, ſi in eo verſati fuiſſent, qui *Stephano I.* perperam affingitur, quemadmodum perſtrinxit errorem Afrorum.

SCHOLION II.

In Reſponſione ad ſecundam Objectionem, ſive ad pag. 511. Editionis primæ hanc in Indiculo ſuo Propoſitionem notant Religioſi Cenſores: *Breviarii Romani auctoritati prævalet veterum Monumentorum* fides.

R. Prævalet certe; ſiquidem Pontifices, aut Viri Eruditi, quibus Breviarii correctio ab ipſis interdum demandatur, illud ex veteribus & probatæ fidei monumentis, ex Actis ſinceris Sanctorum, ex genuinis Operibus Sanctorum Patrum, ex antiquis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus emendant: & ſacra Rituum Congregatio narrationes apocryphas & incertas hiſtorias ex Officiorum Eccleſiaſticorum Libris jubet expungi, quoties nova Breviarii fit Editio. An veritatis inconcuſſæ eſſe volunt Religioſi Cenſores facta omnia, quæ in Breviario leguntur.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

STephani Romani Pontificis ſententiam de rebaptizandis hæreticis cum ambigua ſit maxime, in deteriorem partem trahens Baſnagius anno 256. pronunciat Stephanum carpentem S. Cyprianum ſe pariter reum hæreſis conſtituiſſe. Contendebat Stephanus, ait, quotquot ab hæreticis baptiſmate tincti ad Eccleſiam tranſibant, nullo novo baptiſmate expiatos, adlegendos eſſe in cœtum fidelium, quicumque tandem fuerint hæretici illi, qui baptiſmum contuliſſent, quamcumque tandem formulam, legitimam, illegitimam, pronunciaſſent. Id vero in fragmento Epiſtolæ ejuſdem Stephani, in literis S. Cypriani ad Pompejum ſervato, ipſis velut oculis exhiberi cenſet: *Si quis a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentia*. Nulla hic hæreſis, nullum hæreticorum baptiſma excipitur. Inſuper Afrorum, hæreticos omnes rebaptizantium, ſententiam rejecit Stephanus, nullo conſtituto diſcrimine inter hæreticos rite, vel ſecus baptizantes. Valentinianos, Marcionitas, Apellis diſcipulos, Trinitatem negantes, a Stephano excipi S. Cyprianus exprobrat. Hos vero quis dixerit Baptiſma in nomine SS. Trinitatis rite contuliſſe? Nec dixeris, ait Baſnagius, Cyprianum Stephani mentem haudquaquam aſsequutum, hæc immerito Romano Præſuli exprobraſſe. S. Hieronymus ab his animi perturbationibus, quæ forte ſcribentem Cyprianum agitabant, mentem vacuam gerens, affirmat in tract. adverſ. Lucifer. cap. 9. *Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe receptos juxta ac S. Cyprianus Stephano exprobrat*. Et epiſtola 68. cap. 8. docet hæreticos, *qui Evangelium laceraverunt, Saturninum, Ophitas, Carpocratem, Cerinthum numquam legimus rebaptizatos*. Denique bonus quidam ſenex, genibus S. Dionyſii provolutus, rogabat dari ſibi Baptiſmum Eccleſiæ: illum enim, quo ab hæreticis

Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 9.

cis initiatus fuerat, plenum esse blasphemiæ & impietatis; nihilque cum hoc nostro habere commune. Non ergo in Trinitatis nomine, perinde ac Ecclesia reliqua, hæretici baptizabant; quos tamen omnes ceu rite tinctos Stephanus recipiebat.

Ut hisce reponam animadvertisse juvat Epistolarum a Stephano de hoc argumento scriptarum sola supereſse fragmenta in literis S. Cypriani inserta; ex illis vero non satis plene assequi nos posse scriptoris mentem facile omnes intelligent. Quid enim si Stephanus in exordio Epistolarum suarum statum quæstionis definivit, quem cum admitteret S. Cyprianus, ut de illo mentionem haberet non duxit opportunum? Status ergo iste agitatæ tunc quæstionis ex iis perveſtigandus est, qui tunc superstites rem norant, ac scriptas ea de re lucubrationes suas dederunt. Opportune ad rem cedit Anonymus ille, cujus opusculum Rigaltius in suis ad S. Cyprianum observationibus edidit. Opusculum istud ex fide Vaticani codicis Ursino cuidam, cui Gennadius de S. E. cap. 27. opusculum de non rebaptizandis hæreticis adscribit, a Sirmondo tribuitur. Nec immerito ille quidem; nam scriptum ab Ursino tradit Gennadius opusculum adversus eos qui rebaptizandos hæreticos decernunt, docens nec esse legitimum, nec Deo dignum rebaptizari illos qui in nomine Christi, vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quamvis pravo sensu, baptizati sunt &c. Hæc vero cum Anonymo Rigaltii apprime quadrant. Ursini hujusce ætatem alii quidem componunt cum anno 440. Alii labentis sæculi IV. scriptorem malunt. Alii denique cum Cave Ursinum quidem anni 440. scriptorem agnoscunt; sed opusculum hoc a scripto Ursini distinguentes, auctori S. Cypriano suppari & anonymo assignant. Et his forte causa idonea sic opinandi succurrerit; mihi vero ea probatur ratio, quæ Ursinum auctorem operis agnoscit, Ursinumque vero cum ætate S. Cypriani conciliat. Profecto tota scriptionis ratio ætatem S. Cypriani præfert: scribebat enim auctor cum persecutio fervebat adhuc; ut Caveus scite animadvertit: quæstionem de innovando baptismo inter fratres tunc agitari affirmat, additque quæstionem illam esse novam tunc primo exortam; quæ simul omnia cum temporibus S. Cypriani quadrant, cum aliis non quadrant. Sed, inquies, Ursinus Gennadii Monachum agebat, vix autem Monachos, præsertim scriptores, reperies ætate S. Cypriani. Quid si vitiatam Gennadii vulgatam editionem dixerimus, admittamusque vetustissimorum codicum lectionem, qui pro *Ursinus Monachus* ferunt, *Ursinus homo Romanus?* Ita emendat Codex Cistercienſis a nuperis operum S. Hieronymi editoribus consultus; ita pariter & MS. codex Lucensis, sæculo VIII. scriptus, & a me non raro in supplemento Conciliorum laudatus. Nullum est ergo argumentum ex monastica Ursini professione deductum. Nec pariter meæ huic opinioni repugnat ordo quo in opusculo Gennadii recensetur; collocatur enim post Isaac sæculi V. ut opinatur Caveus, scriptorem: non enim chronologiæ ordinem Gennadius in eo opere dirigendo accurate tenuit. Præmittit Ursino Sabbatium sæculi V. subdit vero Theophilum Alexandrinum labentis sæculi IV. scriptores. Credibile est etiam pauca de Ursino Gennadium nosse, cum vel professionem ejus & vitæ institutum ignoraverit; scripsit enim ex codicum emendatione: *Homo Romanus*.

Ita ergo rebus stantibus quæstionis inter Stephanum & Cyprianum statum, deficientibus Stephani literis, nemo melius definierit præ Ursino, cum ætate Stephani vixerit, & Romæ cum Stephano egerit; simulque calamum pro tuenda ejus definitione sumpserit. Igitur libri hujus ab Ursino scripti argumentum hoc profert Gennadius: *Ursinus &c. scripsit adversus eos, qui rebaptizandos hæreticos decernunt, docens nec legitimum esse, nec Deo dignum rebaptizari illos, qui in nomine Christi, vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. quamvis pravo sensu, baptizantur; sed post Trinitatis & Christi confessionem sufficere ad salutem manus impositionem catholici Sacerdotis*. En quale hæreticorum Sacramentum admittit Ursinus, Gennadio teste; non qualecumque illud, sed si quod est in Christi & Trinitatis nomine datum. Nec falsus est Gennadius in exponenda Ursini mente; ita enim opus suum ille exorditur: *Animadverto quæsitum apud fratres, quid potius observari oportet in persona eorum, qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri Jesu Christi sunt tincti &c.* Hos ille pronunciat excipiendos quidem ab Ecclesia, si admitti petierint; sed ab iterando baptisma-

te

te abſtinendum . Inferius vero hoc argumento perſtringit adverſarios , contendente eos , quos tinxerunt hæretici , novo baptiſmate purgandos ſi ad Eccleſiam venerint : ſi baptizantis error & pravitas officit baptiſmo , utique & novo baptiſmati ſubjici opus erit eos , quos Epiſcopi prave ſentientes vel imperitiores baptizaverint ; tunc certe , addit, *aut interrogaverint quid, aut interrogantes a reſpondentibus audierint , quod minime ita interrogari aut reſponderi debet , quod tamen non valde noſtram fidem lædat , ſed non tam ornate ut tu & compoſite iſti quoque ſimpliciores homines myſterium fidei tradant.* Id vero minime adverſarios conceſſuros monet Urſinus. Hujus argumenti vis tota in eo conſiſtit, ut valeat baptiſmus ſive ab hæreticis , ſive a catholicis non bene ſentientibus ſeu imperitis collatus, dummodo non ita depravata forma ut *valde fidem noſtram lædat*. Admittis, ait Urſinus, baptiſmum Epiſcoporum prave ſentientium , dummodo formam non depravent : ergo & hæreticorum baptiſmum , ſi ejus formula fidem non valde lædat admittas neceſſe eſt. Ita ſentit Urſinus; nec aliam fuiſſe Stephani mentem hoc non obſcuro indicio deprehendimus. Idipſum quod Urſinus de Stephano & Romanæ ſententiæ aſſertoribus prodit S. Cyprianus , faſsus admitti ab illis hæreticorum baptiſmum, dummodo in Chriſti nomine datum : *Quomodo quidam dicunt foris extra Eccleſiam ; immo & contra , Eccleſiam dummodo in nomine Jeſu Chriſti, gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe?*

Epiſt. ad Juba.

Argumentum aliud, quo diſcrimen a Stephano ſervatum in excipiendis hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus plane convincitur, ex Nicæni Concilii canone XIX. deſumi poteſt. Cavent in eo Patres , ne Pauli Samoſateni diſcipuli ad Eccleſiam venientes admittantur, niſi reiterato baptiſmate quod in hæreſi receperunt. Monet vero S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos , Nicænos illos Patres omnes hæreticos ſuſcepiſſe abſque nova baptiſmi expiatione, *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*. Hunc porro Nicænum Canonem ſicut & cæteras ejuſdem Concilii leges excepiſſe Silveſtrum Pontificem ex tota Concilii hiſtoria res eſt explorata ; ſicut nec refragaturum credo Baſnagium, mihi aſſerenti eamdem ipſam quoad hæreticorum rebaptizationem conſuetudinem retinuiſſe Silveſtrum, quam ante illum Stephanus aſſeruit . Nemo enim innovationem aliquam in ea diſciplina Eccleſiæ Romanæ exprobravit ; ne vel Hilarius quidem ejuſdem Eccleſiæ diaconus, Luciferianæ ſectæ propugnator acerrimus , qui ſine novo baptiſmo recipi hæreticos negabat. Quin & Hilarius ipſe ingenue faſſus eſt , teſte S. Hieronymo in eodem Dialogo , Romanos Præſules eamdem ſemper ea in re conſuetudinem ſervaſſe. Sicut ergo Nicæni Patres in recipiendo hæreticorum baptiſmo diſcrimen aliquod inter collatos baptiſmos agnoverunt ; ita & norunt Romani Pontifices, & cum illis & Stephanus novit .

Numquid vero, ait Baſnagius, Marcionitæ, Valentiniani, cæterique ejus farinæ hæretici evangelium peſsumdantes, lacerantes, corrumpentes, ſancte cuſtodiſſe legitimam baptiſmi formam cenſendi ſunt? Cenſendi utique ; illos enim accuſat S. Cyprianus tamquam non recta in fidei dogmatibus ſentirent , de Numine impia crederent , Divinæ Filii naturæ adverſarentur, ſed hæc haberent in animo; numquam vero ſcribit vel innuit, ſenſa hæc ſua ipſa baptiſmi conferendi formula expreſſiſſe. De Marcione hæc ſcribit S. Cyprianus in Epiſt. ad Jubajanum , quam totam huic de rebaptizatione argumento dicat: *Dominus diſcipulos mittens quemadmodum baptizare deberent inſtituit , dicens: Ite &c. baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , inſinuat Trinitatem , cujus ſacramento gentes baptizentur . Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem aſſerit , quem nos Patrem ? Numquid eumdem unum Filium Chriſtum de Maria natum? &c. Longe alia eſt apud Marcionem , ſed & apud cæteros hæreticos fides* . Aliam igitur eſſe Marcionis mentem cum ſacramenti formulam recitaret, quam quæ erat orthodoxis, agnoſcit utique Cyprianus; ſed neque hic, nec alibi aliam longe diverſam utriuſque formulam exprobrat. Longe alia erat Marcionis ab ea, quam orthodoxi profitebantur fides; ſed baptiſmi conferendi ratio eadem Præceptum Chriſti mandantis baptizari in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ingerit S. Cyprianus; repugnare huic Marcionitas contendit; curnam rogo ? an forte quod alio nomine initiaret ? Non , ait ; ſed quod aliter de Patre & Filio ſentirent ac recta fi-

des

des docet. Vitium ergo baptiſmi hujus in fide non in formula conſiſtit; hoc vero nihil ſacramento offici recte Stephanus ſenſit & admonuit.

Nec ſane aliter de Marcioniſtarum baptiſmo cenſendum arbitror, quam quod rectus fuerit, non recte licet de Deo Patre Filioque ſentirent: alioquin enim Nicæni Patres ſicut Paulinianorum baptiſmum abjecerunt; ita & Marcioniſtarum improbaſſent. Quæ ratio etiam ſuadet Valentinianos, cæteroſque perſimiles hæreticos ſanctam baptiſmi Eccleſiaſtici formulam nequaquam temeraſſe.

Id tamen ultro admitto, horum hæreticorum ſurculos quoſdam & ſectas ex his parentibus natas ipſam formulam ſacram interdum violaſſe. Horum ſacramentum non admittebat Eccleſia, ſed cum ejus nequitiæ homines rari eſſent, nec ea in re cum cæteris dogmatis ſui ſociis convenirent; ideo, illorum baptiſmo excluſo, cæterorum ejuſdem ſectæ admittebatur.

Ita vindicato Stephano ab errore, ſupereſt Romanam traditionem a calumniis Baſnagii vindicemus. Non difficili tamen negotio res tota expedietur, ſi ex vetuſta conſuetudine id ſervatum in ea Eccleſia animadverterimus, ut ab hæreticis baptizati, cum ad ipſam veniſſent, abſque novo baptiſmo reciperentur. De hac Eccleſiæ ſuæ conſuetudine Stephanus teſtis eſt locupletiſſimus; nec mendacis teſtis infamiam a quopiam incurrit. Non a S. Cypriano, non a Firmiliano, non denique ab Afrorum ſynodo frequentiſſima. Quin & S. Cyprianus morem Eccleſiæ ſuæ vetuſtate concedere Romanæ conſuetudini ultro agnoſcit, quamquam prævalere ſe veritate ſupra Romanum morem contendit. Cum vero baptiſmi renovationem apud Afros primum lege Conciliari ſtabilitam ſub Agrippino agnoſcat S. Cyprianus, in eadem ad Jubajanum Epiſtola, tertioque Eccleſiæ ſæculo incipiente Carthaginenſis Epiſcopus ille floruerit; neceſſaria hinc conſecutione infertur Romanam traditionem, cujus comparatione Africana diſciplina recentiſſima habebatur, originem duxiſſe ſive ab Apoſtolicis temporibus, ſive ab exordio ſecundi Chriſtiani ſæculi; quo tempore adeo ſancte traditio in Romana Eccleſia ſervabatur, ut ad eam remittendos hæreticos cenſuerit S. Irenæus, ex qua doctrinæ Chriſtianæ veritatem addiſcerent; *In qua ſemper ab iis qui ſunt, undique conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio.*

Iren. l. 3. cap. 3. At enim & contrariam, a remotiſſima ætate ductam, conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ opponit Firmilianus in Epiſtola ad S. Cyprianum: *Admittamus & Cæſareenſis Eccleſiæ conſuetudinem veterem.* Utra nunc conſuetudo verior & Apoſtolica cenſenda ſit, diſquirendum. Facile ea tamen lis dirimitur. Ad traditionem in Eccleſia Romana ſervatam tamquam ab ipſis Apoſtolis creditam & ſancte cuſtoditam Patres omnes provocant; ne, vel unus vero Cæſareenſi Eccleſiæ laudi dedit ut ſanctam illibatamque Apoſtolicam traditionem teneret. Præferenda eſt ergo Romana Cæſareenſi.

Baſnagium tamen nemo melius quam Baſnagius ipſe revincit; eas enim accuſationis ſuæ probationes affert, quæ ipſæ ſe deſtruunt. Apoſtolorum ætate, ait, negare quidam auſi ſunt Patrem, & Filium, 1. Jo. 2. 21. alii reſurrectionem jam factam prædicabant, 2. Timot. 2. 17. Nicolaitæ denique quid in Fide chriſtiana reliquerunt intactum cum vel ipſum SS. Trinitatis dogma negarint? At quorſum hæc? nempe ſi nec ipſum Trinitatis myſterium ſalvum fuit ab injuria apud hæreticos illos; profecto nec intactum reliquiſſe cenſendi ſunt ſub SS. Trinitatis invocatione collatum baptiſmum. Ex quo infert Baſnagius baptiſmum illorum hæreticorum Apoſtolos reprobaſſe, cum viciſſim Stephanus admittendum contenderit. Qui ſic inferat Baſnagius profecto non intelligo. Baptiſmum non invocata Trinitate rejecerunt Apoſtoli; ſed & Stephanus rejecit. Viciſſim autem ab hæretico miniſtro ſi qui forte tingebantur forma rite prolata, hos admittebat Stephanus, ſed nec Apoſtolos reſpuiſſe nobis perſuaſum eſt. Meliora afferat Baſnagius: ſi fidem a nobis extorquere velit, aliter egiſſe Apoſtolos ac Stephanus egit; ſive hæreticorum quorumdam baptiſmum rejeciſſe Apoſtolos, quem Stephanus probavit.

DISSERTATIO XV.

De Moribus Origenis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Origenis Ordinatione.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum eviratio Origenis fuerit canonicum illius Ordinationis impedimentum?

ORIGENEM ſeipſum eviraſſe, ob idque exagitatum fuiſse a Demetrio Alexandrino Epiſcopo, diximus in Synopſi; nunc quærimus, utrum jure, an injuria id fecerit Demetrius. Quod ut conſtet, ſciendum eſt, an revera Origenis Ordinatio fuerit contra Canones.

PROPOSITIO.

Eviratio Origenis non erat Canonicum illius Ordinationis Impedimentum, unde ipſum ob iſtud facinus perperam Demetrius inſectatus eſt.

PRobatur primo auctoritate Euſebii, lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 8. ubi teſtatur Demetrium, a ſeipſo mutatum, æmulationis ardore Origenis Ordinationem improbaſſe ob illud facinus, quod antea commendaverat. Cæterum Theoctiſtum Cæſareæ Epiſcopum, & Alexandrum Hieroſolymorum Sanctiſſimos Antiſtites, ipſum Sacerdotio dignum exiſtimaſſe, illique manus impoſuiſſe. En Euſebii verba, poſtquam ſpontaneam Origenis abſciſſionem retulit: *Demetrius qui ibidem rexit Eccleſiam, de eo poſt certior factus, tametſi hoc audax ejus facinus vehementer admiratus eſt; tamen incredibilem animi propenſionem, & ingenuitatem Fidei amplexatus, eum illico confidere ac bono animo eſſe jubet; & majore cura ac ſtudio in munus Catecheſeon incumbere hortatur. At tum quidem Demetrius eo animo fuit, & ſententia. Verum non longo temporis ſpatio poſt, idem cum Origenem proſpere ac feliciter rem gerentem, & magno ſplendore, famæque celebritate apud omnes prædicatum animadverteret, ardore quodam æmulationis (ut eſt hominum captus) incenſus, apud Epiſcopos totius orbis, eum tamquam abſurdiſſimi facinoris reum per literas notare tentabat. Et quoniam Theoctiſtus Cæſareæ Epiſcopus, & Alexander Hieroſolymorum, ſpectati imprimis, & præſtantes prę cæteris Palæſtinæ Epiſcopis, ampliſſima dignitate & ſummo honoris gradu Origenem dignum arbitrati munus illi ut Presbyterio fungeretur, impoſuerant: idcirco Demetrius, ſimul atque Origenes ad tam magnam gloriæ claritatem proceſſerat; atque adeo apud omnes homines ubique Gentium non obſcurum virtutis, & ſapientiæ nomen, decuſque obtinuerat; cum nulla alia criminatio contra Origenem ipſi ſuppeteret, facti illius, quod ineunte ætate conſciviſſet, calumniam, tamquam gravem ignominiæ notam ei objectavit: eoſque ſimul, qui illum Presbyterum creaviſſent, criminibus involvere conatus eſt.*

Probatur ſecundo auctoritate Sancti Hieronymi in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, c. 65. ubi de Origenis Ordinatione ita ſcribit: *Cum jam mediæ eſſet ætatis, & propter Eccleſias Achajæ, quæ pluribus hæreſibus vexabantur, ſub teſtimonio Eccleſiaſticæ Epiſtolæ Athenas per Palæſtinam pergeret, a Theoctiſto, & Alexandro Cæſareę, & Hieroſolymorum Epiſcopis, Presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus eſt inſania, ut per totum mundum ſuper nomine ejus ſcriberet.*

Et c. 73. agens de Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo, teſtatur ipſum ſcripſiſſe *ad Origenem, & pro Origene contra Demetrium, eo quod juxta teſtimonium Demetrii, eum*

Preſ-

Presbyterum constituerit. Fuit autem Alexander ille vir sanctissimus, divina revelatione inauguratus Episcopus Hierosolymorum, & in Decii persecutione Martyrio coronatus. Unde maximi ponderis est ejus testimonium. Ex quo, & aliis compertum est, evirationem Origenis non fuisse Canonicum Ordinationis illius impedimentum: & Demetrium inique litem movisse Origeni, ejusque Ordinationem solo invidiæ motu impugnasse, cui testimonialibus literis fuerat antea suffragatus.

Objicit Annalium Ecclesiasticorum Parens contra Origenem, & in gratiam Demetrii, exemplum Leontii Ariani Episcopi, qui Sacerdotio privatus est, eo quod semetipsum eviraſſet. De quo S. Athanasius in Epistola ad Solitarios, ait: *Inter eos Leontius ille castratus, quem nec sub Laici quidem specie ad Communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit*. Ergo Origenis Ordinatio, cum Eunuchus esset, facta est contra Canones.

Objicit secundo, tunc viguisse Ecclesiasticas regulas hunc in modum scriptas Canone Apostolorum 22. *Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui homicida est, & Dei conditionis inimicus*. Ergo eviratio Origenis Canonicum erat illius Ordinationis impedimentum: adeoque illam jure improbavit Demetrius.

Respondeo ad primum, longe dissimilem esse speciem in Leontio, & in Origene. Leontius enim non ideo tantum e gradu dejectus est, quia seipsum exciderat; sed quia id egerat ut absque pudoris periculo mala familiaritate uteretur, & mulierculæ, quam in deliciis habebat, citra turpem suspicionem, & absque famæ suæ discrimine, frueretur amplexibus. Unde post verba supra laudata, subjungit S. Athanasius, id a Leontio factum, *Ut libere cum Eustolio dormiret, revera muliere, quam ille Virginem prædicaret*. Idem asserit Theodoretus, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 24. At Origenes longe alio animo seipsum eviravit, scilicet ut castitatem illibatam inter quotidiana pericula tueretur. Unde Eusebius ait, loco supra laudato, quod *licet facinus ex animo rudi & juvenili videretur esse profectum, fidei tamen & castimoniæ specimen maximum dabat*. Secunda ratio discriminis inter Origenis, & Leontii facinus est, quod Leontius ordinatus fuerat post Concilium Nicænum, cujus Canonibus Eunuchi a Sacerdotio arcebantur. *Si quis seipsum sanus abscidit*, inquit Canon primus Nicænæ Synodi, *hunc & in Clero constitutum abstinere convenit; & deinceps nullum talium promoveri*. At Origenes ordinatus est, antequam Eunuchis ulli Canones Sacerdotio interdicerent.

Præterea violabat alterum Magnæ Synodi Canonem, tertium scilicet, Leontius, quo subintroductarum mulierum contubernium prohibitum Clericis fuerat. Pellicem enim habebat Eustolium. At Origenes castitatis studio seipsum abscidit. Unde etsi improbata merito fuerit Ordinatio Leontii, non sequitur improbandam fuisse Ordinationem Origenis.

Ad secundum respondeo, Canones Apostolicos Origenis ævo nondum in Oriente notos fuisse & postea fuisse sub Apostolorum nomine compositos, (ut singulari Dissertatione probavimus, Tom. 1.) Falso itaque asserit Cardinalis Baronius jam tunc Ecclesiasticas illas Regulas viguisse. Sane Canones illos non semper fuisse observatos ex eo constat, quod Reginæ Candacis Eunuchum ab Apostolis Episcopum consecratum fuisse tradant Veteres: & Melitonem Sardensem Episcopum laudat Polycrates Ephesiorum Episcopus, ceu *Eunuchum Spiritu Sancto afflatum*. Et Sanctus Hieronymus idipsum vocet *Eunuchum in Spiritu Sancto*.

Apud Euseb. l. 5. c. 24.

Secundo, Canonem illum non viguisse ante Nicæni Concilii tempora, colligitur ex Canone primo illius Concilii, quo cavetur, ne deinceps ad Clerum promoveantur Eunuchi. Antea igitur promovebantur.

Tertio, de his solum intelligitur Canon, *Qui hanc rem affectant*, ut loquuntur Nicæni Patres; id est, qui istud directe intendunt, & violentas sibi manus inferunt: non autem de iis qui indirecte solum id efficiunt, puta, si curandæ infirmitatis gratia pharmacum adhibeant, ex quo sequatur eviratio. Porro Origenes rem hanc non affectavit, ut Nicæni Canonis verbis utar; id est, non intendit evirationem, sed istud unum ejus consilium fuit, stimulos ad libidinem pruritantes retundere, & rebellem car-

carnem exsiccare, ne in spiritum insurgeret. Quod præstitit adhibito pharmaco, ex quo forte eviratio præter ipsius consilium secuta est. Id ab ipsius Patronis assertum refert Sanctus Epiphanius Hæresi 64. licet quomodo id factum sit ab Origene, incertum esse dicat.

Objicies tertio. Lege Moysis cautum erat ne intraret Eunuchus in Ecclesiam Dei (Deuteronomii 23.) neque id Origeni, aut ejus Ordinatoribus ignotum erat. Ergo eviratio Origenis impedimentum erat ipsius Ordinationis. Proinde temere ordinatus est a Theoctisto.

Respondeo, nego consequentiam. Istud enim præceptum fuit Legis Veteris, non Morale, sed Cæremoniale, nova condita promulgataque lege abrogatum. Certe lege Moysis cautum etiam erat ut cœci, claudi, mutili, ab ingressu templi arcerentur; quod tamen non observavit Ecclesia. Unde cum Ammonius Parota sibi auriculam amputasset, ne fieret Episcopus, & diceret Episcopis, qui eum inaugurare volebant: *Me deinceps, ne volentem quidem, Lex Sacerdotem creari permittit. Nam neminem, qui non sit integris membris Sacerdotem debere institui Canones sanxerunt.* Cum inquam hæc dixisset, Antistites responderunt, *Hæc esse Judæis solum observanda. Ecclesiæ autem Christi membra corporis minime curæ esse, sed ut Sacerdos dumtaxat sit integris moribus.* Et ipsum licet una auricula minutum, ordinassent, nisi juramento se obstrinxisset, ad linguam quoque, si vim ei inferre conarentur, sibi exscindendam. (Ex Sozomeno, libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 30.) Idem dicere potuerunt Sanctissimi Origenis Ordinatores.

Objicies quarto testimonium Photii in Bibliotheca Codice 118. scribentis. *Theothectum* * *Cæsareæ Palestinæ tum Archiepiscopum, Origenem secus quam oporteret, Presbyterum ordinasse, non improbante factum hoc Alexandro Hierosolymorum Episcopo. Hinc Demetrio amor in odium vertit, laudesque mox cum vituperatione commutatæ*, &c. Ergo Demetrius Origenis Ordinationem jure improbavit.

* *Theoctistum dicere voluit.*

Respondeo Sancti Hieronymi, Eusebii, necnon Sancti Alexandri Hierosolymitani Episcopi auctoritatem Photii testimonio esse anteponendam, qui multis sæculis posterior est; maxime cum asserat Photius, Origenem, *absque bona Episcopi sui venia* Athenas fuisse profectum, quod Sanctus Hieronymus inficiatur.

JOANNIS DOMINICI MANSI.

Nota.

PAtri Alexandro repugnans Basnagius An. 203. contendit Origenis evirationem canonicum præbuisse impedimentum, vetans ne in Presbyterum initiaretur, cujus pariter opinionis ante illum auctor Baronius extiterat. Tantæ tamen lites non difficili opera componuntur. In evirationem sponte admissam legem aliquam Ecclesiasticam ante Origenis ætatem latam fuisse, nullam credo. Neque enim tunc seu innotuerant adhuc, seu fabricaverat quispiam canones illos, quos sequior ætas apostolicos appellavit, reputavitque, ut optime P. Alexander animadvertit. Nulla adhuc Conciliorum, nulla insignium Ecclesiarum ea de re lex emanaverat. Exempla ejus nulla præcedentium temporum historia suppeditat, ex quibus consuetudo, praxisque Ecclesiæ, quæ pro Lege valuerit, inducta censeatur. Numquam enim alioqui insignium Ecclesiarum Cæsareensis, Hierosolymitanus Arabiæ totiusque Palæstinæ Episcopi, sanctitate & scientia clari, id commisissent, ut contra Ecclesiasticos canones Origenem sponte eviratum in Presbyterum assumerent.

Quamquam vero ita res haberent sese, facinus illud tantum erat, ut merito, qui illud commisisset, a Sacerdotio arceretur; & si ad eum gradum jam promotus esset a sacro munere absterreretur. Huc spectare arbitror Demetrii Alexandrini Episcopi in Episcopos Origenis consecratores declamationes. Leges etiam civiles vetabant ne se mares evirare auderent injussu Principis, a quo haud ita facile id fieri permittebatur, teste Justino Martyre, narrante Christianum quemdam postulantem a Felice Præside fa-

cultatem evirandi ſeſe, quo impactam de inceſtu accuſationem depelleret, rejectum ſuiſſe. Merito igitur Demetrius, & una cum illo orbis Chriſtiani Eccleſiæ fere omnes, Origenem legis, non quidem Eccleſiaſticæ, ſed civilium, & naturalium pariter violatorem, lata ſententia damnarunt. Quamvis & Palæſtinæ, Arabiæ, atque Achajæ Epiſcopos non uſque adeo reprehendendos agnoſco, ſi factum Origenis ut ab adoleſcente, & inconſulto quidem, ſed ob amorem virtutis, admiſſum delictum utcumque excuſarunt, & ſatius duxerunt hominem, non alterius criminis reum, Eccleſiæ addicere, quam tanto commodo fideles privare.

SCHOLION.

Ad hanc Diſſertationem Religioſi Cenſores hanc notam apponunt: *Expiratio Origenis non erat canonicum illius Ordinationis impedimentum ... Plura*, inquiunt, *ibidem inhoneſte de Baronio. Tota Diſſertatio expungatur.*

R. Eunuchos Eccleſiaſtico dumtaxat, non Divino Jure a Sacris Ordinibus arceri certum eſt. Quo tempore defectus ille inter Canonica Sacrarum Ordinationum impedimenta conſtitutus fuerit, quæſtio eſt hiſtorica, & quæ tota in facto verſatur. Non viguiſſe morem illum ac diſciplinam Eunuchos ab Altaris miniſterio arcendi temporibus *Origenis*, contra *Baronium* probavi, & Eminentiſſimi Scriptoris argumentis reſpondi. Falſum eſt quod *plura de Baronio inhoneſte* ſcripſerim (ut loquuntur Cenſorii Indiculi Auctores) niſi inurbanum ac pene inhumanum videatur, quod legitur in iſta Diſſertatione: *Objicit Annalium Eccleſiaſticorum Parens: & Falſo itaque aſſerit Cardinalis Baronius*. Hæc enim tantum ibi de *Baronio*, cujus dignitatem revereor, quem ob eximiam eruditionem ac virtutem plurimi facio.

QUÆSTIO II.

De Negatione, & Thurificatione Origenis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Origenes in perſecutione Decii lapſus fuerit, & Idolis thus adoleverit?

ORigenem ingraveſcente Decii perſecutione, multa paſſum pro Chriſtianæ Fidei Confeſſione, teſtes ſunt Euſebius libro 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 59. & Sanctus Epiphanius Hæreſi 64. ſed an thus idolis adoleverit aliquando, quæſtio eſt inter viros eruditos controverſa. Baronius ad annum Chriſti 253. id negat; Verius alii affirmant, quorum in ſententiam deſcendimus.

PROPOSITIO.

Origenis in perſecutione lapſus non eſt commentitius.

PRobatur primo auctoritate Sancti Epiphanii, Hæreſi 64. ubi poſtquam de Origenis fide & fortitudine multa paucis complexus eſt, hæc ſubjungit de ejus lapſu: *Sed in ejuſmodi præmii poſſeſſione perpetuo non permanſit. Etenim ob eximiam ſanctitatem, & eruditionem ſummam in invidiam eſt adductus; eaque res Magiſtratus ac Præfectos majorem in modum acuit. Tum illud vero diaboli calliditate improbitatis artifices commenti ſunt, ut ad turpitudinis neceſſitatem hominem adigerent, atque ejuſmodi pœnam ſtatuerent, ut ad illius corpori ſtuprum inferendum, Æthiopem compararent. Ad hæc Origenes fraudulentum illud diaboli conſilium non ſuſtinens, vocem illam edidit, qua duobus illis propoſitis ſacrificare maluit. Quamquam non omnino ſponte illud ſua præſtitiſſe vulgo dicitur, ſed ubi ſemel hoc ſe eſſe facturum aſſenſus, thus in manum illius impoſitum, in ſubjectum aræ focum excuſſiſſe Gentiles aſſerunt. Hoc modo & a Martyrii*

Apud Euſeb. l. 5. c. 24.

vii gloria Confessorum, Martyrumque qui illis temporibus erant, judicio excidit, & ab Ecclesia dejectus est. Accidit hoc Alexandriæ, ubi cum exprobrantium ludibria ferre non posset, illinc abiit, & in Palæstina, sive Judæa domicilium constituit. Forte contigit, ut Hierosolymam profectus ad verba in Ecclesia facienda sollicitaretur. Cumque ab iis, qui tunc Sacerdotalem in Ecclesia Dignitatem obtinebant, vi propemodum ad id agendum impelleretur, ille in pedes consurgens, reliquis versibus prætermissis, postquam hunc unum e Psalmo 49. locum attulisset: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Complicatum librum reddidit, flensque & lacrymans resedit, flentibus cum eo, qui aderant, universis.

Respondet Annalium Parens, hæc ab aliquo Origeniani nominis hoste in Sancti Epiphanii textum intrusa esse. Verum ariolatur Vir Doctissimus, & levioribus nititur argumentis, quam ut propter ea derogetur S. Epiphanio fides, ut inferius constabit.

Probatur secundo, ex Tractatu Justiniani Imperatoris adversus Origenis errores, qui a Synodo Quinta probatus est. *In Fidei ergo Petra*, inquit, *nullo modo stabilitus, sed hujusmodi, atque his multo atrociores blasphemias impius Origenes cum edidisset, nihil mirum est, eum in ipso Martyrii articulo Christum abnegasse, cultamque a Paganis Deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse. Atque id Dei providentia factum est, ne in Ecclesia pro Martyre acciperetur, atque inde gregi Christi inferretur aliquid detrimenti. Nam si etiam nunc sunt, qui de ejus quidem ruina confiteantur, doctrinam vero asserant; an non eam tamquam Martyris, ac Patris erant defensuri, si contigisset eum, nulla Idolis exhibita adoratione consummari? Nemo enim veritatis retinens excidit a Deo, ab eoque deseritur; juxta quod dicit divina Scriptura: Respicite filii nationes hominum, & scietis quia nullus speravit in Domino, & confusus est.*

Probatur tertio ex Leontio, libro de Sectis, Actione 10. ubi de Origene hæc habet: *Ejus Pater Martyr factus est, ipsemet quoque deductus ut Martyrium obiret. Verum sacrificare coactus ex hujusmodi causa fuit. Dum Martyrium obiret, quemdam ad eum producebant Æthiopem: ac vel cum Æthiope fœda committeret, vel Diis sacrificaret, urgebant. Origenes Diis sacrificare maluit, acceptumque thus abjecit in Sacrificium. Sed ejus eum facti magnopere postea penituit, idque commissum deploravit.*

Probatur quarto ex Nemesio Philosopho Christiano & Episcopo, ut quidam volunt, Emisseno, lib. de Natura Hominis, cap. 30. *Oportet tamen ut plurimum*, inquit, *præ turpibus expetere quæ molesta sunt, ut Susanna & Joseph fecerunt, etsi non semper: Nam Origenes, qui ne dedecus & ignominiam susciperet, quam Æthiopes ostentabant, Diis sacra fecit, tota causa cecidit.*

Denique hanc de lapsu Origenis historiam calculis suis probant Nicetas, lib. 4. Thesauri Orthodoxæ Fidei, Hæresi 31. Anastasius Bibliothecarius in Historia, ad annum Christi 244. Nicephorus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 32. Zonaras lib. 2. Histor. Glycas Annalium, parte 3.

Objicit primo Annalium Ecclesiasticorum Parens S. Epiphanium libro de Mensuris & Ponderibus, ea de Origene scribere, quæ lapsum illius meram fabulam esse non obscure evincant. *Floruit Origenes*, inquit, *a temporibus Decii usque ad Gallum & Volusianum*. Floruissetne porro temporibus Decii, si tum lapsus esset? Pergit Epiphanius: *Cæterum in persecutione a Decio facta, & ipse Origenes multa passus, martyrii exitum minime est adeptus, qui Cæsaream Stratonis primum, inde Hierosolymam sese conferens, paululum isthic moratus, Tyrum postea concessit. Ubi annorum octo & viginti spatio degens, cum severissimam, uti ferunt, vitæ Disciplinam instituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit.* Præmiserat ibidem S. Epiphanius: *Decii tempore illustris habitus est Origenes*. Næ virum illustrem! exclamat Baronius, si gloriam suam fœda negatione maculasset. Eccur Epiphanius, qui Origenis gesta, & peregrinationes ad illud usque tempus, quo Hexapla conscripsit, tam accurate perstringit, illius non meminit facinoris, quod Alexandriæ sub totius orbis oculis perpetratum est, & quod peregrinationum ipsius in Palæstinam occasio supponitur? *Cardinalis & Baronii objectiones.*

Objicit secundo, Sanctum Augustinum Origenianos hæreticos in duas classes aut sectas dividentem, eorum que impia recensentem dogmata, innuere se ea omnia a S.

Epiphanio mutuatum. Cum itaque nihil prorsus scripserit de lapsu Origenis S. Augustinus, argumento est illum hujusmodi historiam apud Epiphanium non legisse, quia nec apud Epiphanium extabat: alioqui ipsam obiter attigisset.

Objicit tertio, antiquiores illos rerum Ecclesiasticarum Tractatores, qui Origenis errores oppugnarunt, ut Hieronymum & Theophilum Alexandrinum, tam nefandi lapsus non meminisse, qui ad sugillanda Origenis dogmata opportunus satis extitisset. Deinde qui pro Origene Apologias scripserunt, Eusebius nimirum, atque Rufinus, nusquam ipsum de negationis crimine excusarunt; quod si vel levissima conjectura adversarii ejus objicere potuissent, haud sane præteriissent silentio; sed objecissent isti, dissuissent illi.

Objicit quarto silentium Patrum, qui Justiniano agente Origenis errores in quinta Synodo proscripserunt.

Objicit denique silentium Porphyrii, Christianorum hostis infensissimi, qui cum celeberrimum illum Ammonium Christianum Philosophum, a fide Christi ad Ethnicos descivisse mendacissime prodiderit (ut refert Eusebius lib. 6. c. 19.) quid non de Origene dixisset, si ea de Christo ab eo negato vulgata fuissent?

Baronii objectionibus respondetur.

Respondeo, leves esse illas Eminentissimi Auctoris conjecturas, & nihil plane efficere adversus historiam a Sancto Epiphanio, aliisque Auctoribus assertam. Esto enim floruerit, & illustris fuerit sub Decio; non sequitur lapsum non esse sub Alexandri Imperio, cum Alexandriæ esset, Provinciæ Præfecto in Christianos sæviente. Quis enim nescit, τὸ *florere*, apud Auctores nihil aliud esse, quam commendari, vulgo, & in aliqua propter eruditionem aut virtutem, nominis claritate versari? At maximam Origeni peperit celebritatem nominis pristina virtus & eximia doctrina, quam lapsus ille coactus magis quam voluntarius, non eripuit omnino, maxime cum non Pœnitentia solum exemplari, sed & generosa nominis Christi confessione, & diris tormentis in ipsa Decii persecutione pro Christo constantissime toleratis prius illud crimen expiasset.

Porro quod S. Augustinus de turpissimo illo lapsu verbum nullum habeat; quamvis omnia sit ex Epiphanio mutuatus, mirum esse non debet. Siquidem S. Augustinus, cum suum de Hæresibus ad Quodvultdeum, librum conscripsit, Sancti Epiphanii Panarium, Opusque adversus Hæreses integrum non viderat: nam Opus illud perbreve esse asserit, & tam mediocri mole futurum, si in unum libellum redigatur, ut quibusdam suis libris non sit amplitudine comparandus. Ait enim in illo Opere Epiphanium adversus hæreses non disputare. At ampliissimum est S. Epiphanii adversus hæreses Panarium, & in eo adversus singulas accurate disputat. Verisimile igitur est, S. Augustinum illud opus non legisse, sed ejusdem Anacephalæosim dumtaxat, sive Breviarium ex singulorum tomorum & hæreseon argumentis & capitibus collectum. Unde cum in Anacephalæosi nihil habeat de Origenis lapsu, non mirum quod illius non meminerit S. Augustinus, quamvis omnia se ab Epiphanio profiteatur mutuatum. Hæc solutio nititur verbis S. Augustini in Præfatione libri ad Quodvultdeum, ubi ita scribit: *Noster vero Epiphanius Cyprius Episcopus, abhinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli: & si in unum libellum redigantur, nec ipse erit nostris, vel aliorum quibusdam libris, longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quod a me brevius postulare, vel expectare debeas, non habebis.*

Nec etiam hujus narrationis fidem evertit Theophili Alexandrini & S. Hieronymi silentium: Illiberale enim, & iniquum fuisset illud ipsi crimen objicere, quod cum pœnitentia & glorioſa confessione, tormentisque pro Christo toleratis diluisse scirent. Præterea de ejus dogmatibus inter ipsos & Origenis defensores quæstio erat, nulla plane de ejus moribus altercatio.

Sed & falsum est, in Quinta Synodo nullam de illo Origenis lapsu mentionem injectam esse. Siquidem in Tractatu Justiniani adversus Origenis errores, qui ad illam

Syno-

Synodum missus, ab eaque probatus est, ad elevandam ipsius auctoritatem memoratur, ut ex secunda nostræ Propositionis probatione constat.

Denique Porphyrii silentium nihil probat. Namque cum thurificatio ab Origene vi prope extorta esset, ac statim pœnitentiam egisset tam nefandi facinoris, & Christum in persecutione Decii confessus esset, & carcerem corporisque cruciatus pro Christi fide passus esset, ut refert Eusebius lib. 6. Historiæ, c. 39. nullum inde ad Gentilitiæ superstitionis confirmationem, aut ad Christianæ oppugnationem Religionis, trahere Porphyrius poterat argumentum. Neque necesse est, ut qui ad cultum Idolorum desciviſse mentitus est Ammonium, scribere debuerit Origenem thus Diis adoleviſse: cum id ejus causæ nullatenus faveret.

JO: DOMINICI MANSI

Nota.

DE Origenis in idololatriam lapsu variant Eruditorum sententiæ, & in tanta opinionum ambiguitate nihil certi succurrit quod secure teneamus, rejectis cæteris. Quam tamen hic persequitur vir doctissimus, viam hanc decurrere libet, quoadusque Basnagius, quique illi adstipulantur eruditi, a crimine illo Origenem vindicantes, certiori aliquo indicio veritatem demonstrent. Itaque ne tempus in superfluis teramus, huic uni probationi insistendum nunc esse mihi intelligo, scilicet ut probabilia scripsisse de lapsu Origenis Sanctum Epiphanium adstruam, nihilque contra illum valere demonstrem silentium Sancti Hieronymi, Eusebii, & Demetrii, Alexandriæ Episcopatum tunc gerentis cum Origenes florebat. Quamquam enim præter Sanctum Epiphanium alios etiam ejus rei testes affert P. Alexander, illos tamen omnes ex Epiphanio rem tenuisse non immerito suspicaremur. Profecto si comparatio instituatur & cætera sint paria, plus valere ad probandum censeo unius viri gravis assertionem, quam duorum vel trium æque gravium virorum silentium; multæ enim & probabiles ejus silentii de re etiam vera, causæ suppetere possunt: studium forte scriptoris in eum, cujus flagitium silentio supprimitur: opportunæ occasionis defectus: ignoratio rei alioquin obscuræ & jam inde ab initio caute celatæ, & alia sexcenta. In re autem præsenti gravitas scriptorum par est utrinque; silent Origenis lapsum S. Hieronymus, Eusebius, Demetrius; adstruit S. Epiphanius; ergo huic præ illis fides addicenda est. Sed, inquiunt, silentium S. Hieronymi & cæterorum multi est in rem præsentem momenti, cum illi numero plures sint, atque diligenter Origenis omnia narrent, ac tandem Demetrius, inimicitias cum Origene exercens, Sacerdotio illum exauctoraturus diligenter ejus crimina omnia conquisivit, atque studiose omnia scrutatus nihil reperit aliud, quo invidiam illi conflaret, præter evirationem, quam idem Origenes adhuc adolescens in se sponte admiserat. Profecto si lapsum ejus nosset, aptius illum, ait Basnagius, quam evirationem, inconsultam potius quam impiam, exprobrasset.

Hæc fateor maxima esse quæ testimonio S. Epiphanii labefactando valere plurimum possunt. Verum causæ mihi subesse aliquæ videntur, quæ silentium istud, rei alioquin veræ, inducere potuerit. S. Hieronymus de Origenis historia nihil se nosse aliud indicat, quam quæ didicerat ab Eusebio: ad illum enim lectores rejicit in libro de Script. Eccl. ubi rerum ab Origene gestarum synopsim tradit. Eusebius vicissim, quamvis multa & omnia prorsus Origenis gesta habuit explorata, multa tamen omisit, lectores remittens ad ea, quæ ipse conscripserat in Apologia pro Origene, sua & Pamphili martyris opera adornata quæ modo Apologia interiit. Multa etiam consulto supprimit; cum enim Origeni studiosissimum se præbuerit, quæ laudi illius officere videri potuissent, hæc de industria siluisse credibile est. Id vero consilii potissimum adhibuit cum ad narrandum certamen Origenis in persecutione Decii ventum est. Etenim tam longe abest ab ea historia diligenter exponenda pro more sibi familiari cum ad agones illustrium martyrum describendos venit, ut præter generalia quædam verba, quæ nihil rei singularis exponunt sub oculis, reliqua prætereat, lectoribus remissis ad ea,

quæ Origenes ipſe de ſe in ſuis neſcio quibus epiſtolis, attigerat. Id profecto temperamenti ſumptum a viro Origenis fautore maximo facile quis ſibi perſuaſerit; cum præſertim lapſum Origenis cum Decii perſecutione S. Epiphanius opportune conjungat. At enim Alexandriæ rem illam geſtam narrat S. Epiphanius; idque cum hiſtoria nulla ratione componeretur: nam ex ea urbe pulſus fuerat Origenes ex Synodi ſententia, neque revocatam illam alicubi legimus. Fateor equidem id actum a Synodo urgente Demetrio ejus urbis Epiſcopo; eo tamen vita functo, anno Alexandri IX. potuerunt utique ſub Epiſcopo ſucceſſore res Origenis Alexandriæ variari ac liber illi in patriam reditus permitti. Unde ex ſilentio Demetrii Epiſcopi petatur a Baſnagio conjectura contra lapſum Origenis nihil eſt; obiit enim Demetrius ante aliquot annos quam Origenes thura Diis adoleverit.

Ad fœdum cum Eunucho inceſtum Origenem adactum niſi thus daret idolis pernegat Baſnagius; neque enim id moris erat Romanorum ut martyres inceſtus fœditate terrerentur. Sed nec ſatis Romanum erat caſtas honeſtaſque virgines ad repudium Chriſtianæ fidei perſimili metu adigere. Id vero factum interdum docet Euſebius H. E. lib. 6. cap. V. ubi de Potamiena narrat, quam fidei tenacius inhærentem, Præſes vitiandam laniſtis tradidit. Inſuper, Euſebio teſte, Præſes artes nullas intentatas reliquit quo Origenem ſuperſtitem reſervaret & a fide revelleret: quare artes, etſi minus Romanis uſitatas, ſi adhibuerit, non eſt cur admiremur.

Baron. jectio respon. hic.

Tantam viri gloriam, famamque nominis cum ejus lapſu in idololatriam componere Baſnagius nequit. Plura ſunt tamen quæ diſſidio huic rerum conciliando conferunt. Origeni gloriam, famam, laudem, viri doctrina, probitas, labores in tota vita exacti pepererunt. Tantæ vero luci offuſcandæ minus valuit lapſus ejus plane coactus & ob amorem virtutis, utcumque fucatæ, admiſſus. Inſuper in crimen incidit ſub exitum vitæ; quæ vero de fama ejus narrat Euſebius ad præcedentes ejus annos pertinent. Profecto laudatus ante obitum Origenes non raros nec ineruditos vituperatores poſt obitum habuit. Hæc ſunt, quæ aſſerendę P. Alexandri ſententiæ conferre cenſui; quorum tamen tantam haud eſſe vim fateor, ut aſſenſum plane firmum extorqueant.

SCHOLION.

Hanc Propoſitionem notant Religioſi Cenſores: *Baronius errat dicendo, Origenem non thurificaſſe ... Tota Diſſertatio*, inquiunt, *expungatur*.

R. Verba iſta, *Baronius errat*, mea non ſunt. *Virum doctiſſimum ariolari*, dixi, *& levioribus niti argumentis, quam ut propterea derogetur S. Epiphanio fides*. Teſtimoniis S. Epiphanii, Quintæ Synodi Gener. Leontii, Nemeſii, Nicetæ, Anaſtaſii Bibliothecarii, *Baronii* ſententiam in hac facti Quæſtione refello. Sed & Doctiſſimus *Petavius* in Animadverſionibus in *S. Epiphanium* ad Hæreſim 64. pag. 257. Pariſienſis Editionis N. 11. *Baronium* in hoc Hiſtoriæ capite hallucinationis arguere non eſt veritus. *Hanc*, inquit, *Origenis hiſtoriam, ac lapſum revocantin dubium Annales Eccleſiaſtici, anno 253. Num. 120. & deinceps: immo quod amplius eſt, locum iſtum, quo narratio illa continetur, ſuſpectum reddunt, quaſi ab aliquo perperam ſit inſertus. Quorum hoc poſterius perſpicue falſum; alterum non ſatis probatum, utrumque levioribus conjecturis innixum eſt, quam ut vetuſtiſſimo ſanctiſſimoque Patri fides hac in parte derogetur*. Cum *Petavio* ſentit Illuſtriſſimus & doctiſs. Præſul *Daniel Huetius* libro 1. *Origenianorum*, cap. 4. In eamdem ſententiam deſcendit Pater *Pagi* ad annum 251. n. 19. qui & ea in re, & in plurimis aliis *Baronium* refellit, emendat, Criticamque in Annales Eccleſiaſticos Eminentiſs. Cardinalis edere auſus eſt.

Nota.

NOn hujuſmodi mihi videntur roboris Natalis argumenta, quibus Origenis in perſecutione lapſum commentitium non fuiſſe probare contendit, ut non adhuc liberum ſit cum Baronio Origenem ab hoc crimine abſolvere. Silentium de hoc aſſer-

to

to facinore Theophili Alexandrini, & S. Hieronymi mihi eſt validiſſima ratio, unde tanti criminis reum non agnoſcam. Putat Natalis illud adſcribendum vel ipſorum comitati, vel quia cum Origenis defenſoribus non de illius moribus, ſed de dogmatibus conflictabantur. Verum, ſi non ſolum Euſebius, ſed & ipſe Hieronymus Origenis evirationem ſub ſilentio ſepeliendam non reputarunt; cur credendum illiberaliter ſe acturos judicaſſe, ſi thus ab Origene focis impoſitum memoraſſent, quando una poſterorum memoriæ tradere poterant commiſſum ſcelus inſigni deinde confeſſione diluiſſe? Sane ſi hujuſmodi accidiſſet lapſus, per omnium ora volitaſſet; unde nulla erat ratio famæ Origenis parcendi illum prætereundo. Pariter, ſi Epiphanius non abs re judicavit hujuſmodi ſcelus, quod putavit ab Origene patratum ſcriptis conſignare, non erat quare ab eodem commemorando temperare debuiſſent alii PP. & Eccleſiaſtici Scriptores ipſo Epiphanio vel antiquiores, vel ſuppares.

Animadverſione etiam dignum exiſtimo, non facile credendum, Demetrium Alexandriæ Epiſcopum Origenis idololatriam non publicaturum, ſi tanto crimine ſe inquinaſſet: quippe qui nullum non movebat lapidem, ne in Presbyterum ordinaretur: unde ut a Sacerdotio removeret, quam adoleſcens in ſe admiſerat evirationem, Euſebio teſte *lib. 6. Hiſtor. cap.* 8. exprobrare non deſinebat.

Immota demum tunc erat illa Eccleſiæ regula, qua qui Idolis ſacrificaverant, diuturna, ac publica pœnitentia patratum ſcelus in ſe punire tenebantur. Nec verbulum vero lego apud Eccleſiæ ſcriptores hujus ab Origene peractæ pœnitentiæ; immo tradit Euſebius, quod ubi Alexandria Cæſaream pervenit, munia Presbyteri obivit, ipſique ſoli Theoctiſtum illius urbis, & Alexandrum Hieroſolymæ Epiſcopos Sacræ Scripturæ interpretationem permiſiſſe.

Hujuſmodi narratio ea etiam ratione explodenda, quod primus ejuſdem Scriptor fuerit S. Epiphanius, quem non ſatis plures in hiſtoria lapſus evitare omnes norunt eruditi. In hac eadem narratione inveriſimilia involvere videtur; nam cum dixerit Origenem ab Eccleſia ob hoc crimen ejectum, Martyrum, Confeſſorumque judicio, ſupponere videtur illud perſecutionis tempore accidiſſe; & tamen viginti elapſi erant anni, ex quo perſecutiones ceſſaverant, quando Origenes ab Alexandrina Eccleſia diſceſſit. Hæc momenta breviter attacta ſatis mihi videntur demonſtrare, dimittendos in hoc hiſtoriæ capite non ſolum Natalem, ſed Huetium etiam, Petavium, Pagium, quos minime ſequendos oſtendit etiam Tillemontius *not.* 22. in Origenem.

DISSERTATIO XVI.

De Fide Origenis.

ARTICULUS I.

Utrum ab omni prorſus errore poſſit Origenes vindicari.

MUlti cum veterum, tum recentiorum, vindicias pro Origene conſcripſerunt. E veteribus Euſebius Cæſareenſis, una cum Pamphilo Martyre, ut quibuſdam placet, Rufinus Aquilejenſis Presbyter, Auctor Anonymus apud Photium, in Bibliotheca Codice 117. E recentioribus vero Joannes Picus Mirandulanus Comes, Jacobus Merlinus Theologus & Pœnitentiarius Pariſienſis in ea quam curavit Origenianorum Operum editione; Genebrardus Theologus Pariſienſis, & deinde Aquarum Sextiarum Epiſcopus, Stephanus Binetus, & Petrus Halloxius Societatis Jeſu Profeſſores, quorum poſterior quatuor libris Origenianas vindicias complexus eſt, quibus fere ſuffragatur vir clariſſimus & eruditiſſimus Daniel Huetius libro ſecundo Origenianorum, in Adamantium propenſior. Horum in ſententiam concederem, ſi res ex animo meo & affectu potius, quam e veritate penderet. Verum vis ejus eſt apud me tanta, ut ingenue fatear inanem ſupervacaneumque laborem fore, qui in Origenis doctrina ab

omni labe purganda consumatur. Hic tamen Origenis libros omnibus erroribus scatere non contendam, qui ipsi ab Antiquis tribuuntur. Neque enim vacat in singulos inquirere, ne solæ de Origenis rebus, & fide Dissertationes Tomum unum impleant. Generatim inquiram in omnes, & id expendam unum, an Origenes ab omni errore purgari, & absolvi possit.

PROPOSITIO.

Doctrinam Origenis omnis erroris immunem asserere, vetant Patrum de ipso, & Ecclesiæ Judicia; prohibent & ipsius libri, qui gravissimos errores, quorum est insimulatus, repræsentant.

§. I.

Extrinsecis testimoniis probatur Propositio.

QUamquam in meri facti controversiis Patrum auctoritas non omnino cogat: maxima tamen ipsorum habenda est ratio, cum in idem de Auctore aliquo, & ejus doctrina judicium conspirant: maxime si nullus par sanctitate & eruditione præstantior hunc Auctorem ab errore absolverit. Atqui Patres Origenem multiplicis damnarunt erroris, votis ferme consentientibus; & nullus par sanctitate, aut eruditione præstantior ipsum ab errore absolvit; ergo doctrinam Origenis omnis erroris immunem asserere, vetant Patrum de ipso judicia.

Probatur minor. Damnant enim vero Origenem, & ejus doctrinam, Demetrius Alexandrinus Episcopus, Theophilus Antiochenus, Sancti Epiphanius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Vincentius Lirinensis, & ante illos S. Petrus Alexandrinus Episcopus, & Methodius. Ipsum vero vindicant ab errore Eusebius, Rufinus, Anonymus apud Photium, quorum prior Arianus fuit, alter ob Origenis procacem defensionem & errores ab Anastasio Pontifice Maximo damnatus: tertius obscurus Auctor, nec tantum Origenis, sed errorum ipsi adscriptorum vindex. Nullus eorum Sanctis Petro Alexandrino, Epiphanio, Hieronymo, Cyrillo, Augustino, sanctitate par fuit: nullus eruditione posterioribus tribus superior. Itaque in judicio ferendo de doctrina Origenis, Theologi prudentis est, & SS. Patrum studiosi, ad illos potius quam ad istos accedere: maxime cum illorum judicia Ecclesia probaverit, ut postea ostendemus.

I. Probatur antecedens. Demetrius namque cum plurimis Episcopis sibi consentientibus, Origenem ab Ecclesia ob errores segregavit, ut constat ex S. Hieronymo, lib. 2. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 5. & ex ipsius Origenis Epistola ad amicos Alexandrinos, qua *in epistola tota Demetrium Alexandrinæ urbis Pontificem lacerabat, & in totius orbis Episcopos & Clericos invehebatur, & frustra ab Ecclesiis excommunicatum esse se dicebat.*

II. S. Petrus Episcopus Alexandrinus, & Martyr in Mystagogia quam fecit ad Ecclesiam, cum Martyrii coronam suscepturus esset: *Propterea, obsecro*, inquit, *vigilate. Afflictionem enim rursum adituri estis. Scitis quot subierit pericula qui me enutrivit Pater meus, & Episcopus Theonas, ab iis qui in Idola insanirent: in cujus ego sedem successi, utinam etiam in mores! Scitis ut magnus se gesserit Dionysius, qui se e locis in loca abdebat, cum insuper Sabellius affligeret. Quid porro dicam Heraclam, & Demetrium beatos Episcopos: quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cum ipse dissidia in Ecclesia sereret, quæ ad hanc usque diem turbas excitant?* Hoc S. Petri Alexandrini in Origenem testimonium refert Justinianus Imperator in Tractatu adversus errores Origenis ad Mennam: ex quo sic colligit: *An potest aliquis bene sentientium iis adversari, quæ in Origenem dicta sunt a Sancto Martyre & Episcopo Alexandriæ Petro? Qui egregium pro Christo certamen suscipiens, non solum Origenem, sceleratamque ejus doctrinam abdicavit, sed etiam testificatur Sanctos, qui ante ipsum fuerant, Patres, multas sustinuisse tentationes ab illius dementia.*

Theophilum Sanctus Hieronym. l. 3. Apologia adversus Rufinum, vocat Virum Apostolicæ sapientiæ.

III. Theophilus Alexandrinus in frequenti Synodo Origenem, & ejus doctrinam, atque Sectatores damnavit, ut constat ex illius Epistola ad S. Epiphanium, quæ inter

Hie-

Hieronymianas est 67. *Dominus*, inquit, *qui locutus est ad Prophetam : Ecce constitui te hodie super Gentes & regna eradicare, & suffodere, & disperdere, & rursum ædificare, ac plantare, singulis temporibus eamdem Ecclesiæ suæ largitur gratiam : ut integrum corpus conservetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant. Quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesia Christi, quæ non habet maculam, neque rugam, egredientes de cavernis suis Origenis colubros Evangelico ense truncavit.* Et infra: *Dignationis tuæ est, quæ in hujusmodi certaminibus sæpe ante nos pugnavit, positos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac Synodicas literas tam ad nos, quam ad Constantinopolitanæ urbis Episcopum, & si quos alios putaveris mittere : ut consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur.*

Et in Epistola ad S. Hieronymum, quæ inter ipsius Hieronymi Epistolas 69. est, ita scribit: *Non ambigo quin studium nostrum probes, & in Ecclesiæ victoria glorieris. Namque Origenis hæresim in Monasteriis Nitriæ quidam nequam & furiosi homines serere & fundere cupientes, propherica falce succisi sunt.*

Et in Sermone ad quosdam Monachos qui Origeni assentiebantur, quem laudat Justinianus in Tractatu ad Mennam, hæc habet: *Quare anathematizantes Origenem, cæterosque hæreticos exemplo nostro, & Anastasii S. R. E. Episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus nobilissimi populi Dux creatus est, quem & universa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam.*

Et in Epistola ad Sanctos qui in Sceti erant, seu in Monasteriis Nitriæ: *Dicere*, inquit, *nonnulli ausi sunt, Origenem Ecclesiæ esse Doctorem. An hi, obsecro, ferendi sunt? Si Ecclesiæ Doctor est Origenes, magnos sibi spiritus sumunt Ariani, & Eunomiani, & Pagani: illi in Filium, ac Spiritum blasphemantes; hi similiter, atque illi impii, necnon resurrectionem mortuorum deridentes.*

IV. S. Methodius Tyriorum Episcopus Theophilo antiquior, quippe qui Diocletiani temporibus floruit, Origenem de resurrectione mortuorum pessime sensisse testatur in *Oratione de Resurrectione*, quam adversus ejus errores conscripsit, cujus fragmentum insigne Panario suo intexuit S. Epiphanius Hæresi 64. cujus etiam Excerpta repræsentat Photius in Bibliotheca, Cod. 234. *Origenes*, inquit Methodius, *vult non eamdem carnem cum anima conjunctum iri, sed qualem nunc singulorum formam secundum speciem corpus carni imprimit, talem, sed in alio corpore spirituali impressam, resurrecturam, ut unusquisque rursum idem videatur secundum formam; & hanc esse promissam nobis resurrectionem*; quem Origenis errorem valide Methodius refellit.

V. Sanctus Cyrillus Alexandrinus doctrinam Origenis ob errores ipsius proprios execratus est. Id constat ex illius Epistola ad Monachos, qui erant in Phua, in qua eos perstringens, qui corporum resurrectionem inficiabantur, hæc habet: *Ajunt igitur esse apud vos, qui negent humanorum corporum resurrectionem; quæ pars Confessionis nostræ est, quam fecimus salutare ad euntes Baptisma. Fidem enim profitentes, adjungimus credere nos & carnis resurrectionem. Si hoc tollimus, nec credimus Christum resurrexisse a mortuis, ut nos sibi conresuscitaret, claudicantem habemus fidem, ac a via regia deflectentes, pravum iter sequimur. Hujusmodi autem improba opinio ab Origenis dementia est: quem & Patres nostri ut veri depravatorem abdicaverunt & anathematizaverunt. Non enim sensit ut Christianus, sed Paganorum secutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium. Asseverat animas ante corpora esse, & a sanctimonia abductas fuisse in cupiditates ac nequitiam, desciviseque a Deo, a quo hanc ob causam damnatæ sunt, & corpori obstrictæ, suntque in carne tamquam in carcere.*

VI. S. Epiphanius in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, quæ inter Hieronymianas est sexagesima, Origenis errores execratur, refellit, & nota hæreseos inurit: postquam enim ejus errores circa Sanctissimæ Trinitatis adorandas personas perstrinxit, de quibus inferius agam, hæc de aliis subjungit : *Quis Origenem dicentem patiatur, quod animæ Angeli fuerint in cœlis: & postquam peccaverint in supernis, dejectas esse in istum mundum; & quasi in tumulos & sepulcra, sic in corpora ista relegatas; pœ-*

nas

nas antiquorum luere peccatorum? Et corpora credentium non templa Christi esse, sed carceres damnatorum? Et infra: *Illud quoque quod asserere nititur, doleamne, an rideam nescio. Doctor egregius Origenes audet docere, Diabolum id rursum futurum esse, quod fuerat; & ad eamdem rediturum dignitatem, & conscensurum regna cœlorum.* Et infra: *Quis autem patienter ferat Origenem lubricis argumentationibus resurrectionem carnis hujus negantem? Sicut declarat manifestissime in volumine Explanationum primi Psalmi, & in multis aliis locis.* Et aliis Origenis erroribus recensitis, addit: *Inimica & odio digna Origenis verba sunt, & Deo repugnantia, & Sanctis ejus: & non ista sola quæ dixi, sed & alia innumerabilia. Neque enim nunc mihi propositum est adversus omnia Origenis dogmata disputare. Nihil mihi surripuit Origenes, nec in mea generatione fuit: nec propter aliquas res mundi, & hereditatem, odium adversum illum, pugnasque suscepi: sed ut simpliciter fatear, doleo, & valde doleo, videns plurimos fratrum, & eorum præcipue qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque Sacerdotii maximum pervenerunt, ejus persuasionibus deceptos, & perversissima doctrina cibos factos esse diaboli.* Et infra sic Joannem Hierosolymitanum specialim hortatur, ut doctrinam Origenis tamquam manifestam hæresim devitet. *Te autem Frater*, inquit, *liberet Deus, & sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, & omnes fratres, qui tecum sunt, & maxime Rufinum Presbyterum, ab hæresi Origenis, & ab aliis hæresibus & perditione earum. Si enim propter unum verbum, aut duo, quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abjectæ ab Ecclesia: quanto magis hic inter hæreticos habebitur, qui tantas perversitates, & tam mala dogmata contra fidem adinvenit, Deique, & Ecclesiæ hostis extitit?* Denique Epistolam hac admonitione concludit: *Palladium vero Galatam, qui quondam nobis carus fuit, & nunc misericordia Dei indiget, cave, quia Origenis hæresim prædicat, & docet: Ne forte aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris.* Legenda est ejusdem Epistola ad S. Hieronymum, quæ extat 73. inter ipsius Hieronymi Epistolas.

Præterea, in Panario, Hæresi 64. Origenis capitalia dogmata, erroresque recenset, ac refellit, ac de eo hoc scribit Elogium: *Qui cum adversus superiores omnes hæreses disputasse, ac singulas evertisse visus sit, postea tamen suam & ipse hæresim, & quidem haud vulgarem, in orbem terrarum evomuit.*

VII. S. Hieronymus Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum data, Origenistis ipsi exprobrantibus opinionum affectuumque inconstantiam, quod olim Origenem summis laudibus extulisset, nunc illum convitiis proscinderet; respondet se illius errores numquam probasse, quamvis ingenium laudaverit, & impia ejus dogmata compendio recensét. *Et hodie laudarem*, inquit, *nisi vos ejus laudaretis errores: Non mihi displiceret ingenium, nisi quibusdam ejus placeret impietas ..... Confitemini & vos in quibusdam errare Origenem & me ultra non faciam. Dicite eum male sensisse de Filio, pejus de Spiritu Sancto; Animarum de cœlo ruinas impie protulisse; Resurrectionem carnis verbo tantum confiteri, cæterum assertione destruere; & post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod Diabolum, Paulum, quod Caipham, Virgines, quod prostibulas .... Cum hæc rejeceritis, & quasi censoria virgula separaveritis a fide Ecclesiæ, tuto legam cætera: nec venena jam timebo, cum antidotum perbibuero.*

Et libro primo Apologiæ adversus Rufinum, cap. 1. sic de procaci illo defensore Origenis loquitur: *Fidem suam quam vocat? Eamne, qua Romana pollet Ecclesia? An illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit: Ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus. Sin autem Origenis blasphemia fides illius est: dum mihi inconstantiæ crimen impingit, se hæreticum probat.* Et cap. 2. *Libros περὶ ἀρχῶν Origenis noxios, & Ecclesiasticæ fidei repugnantes vocat.*

Et libro 2. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 3. sic ipsum alloquitur: „ Dic ergo „ quare Origenis mala in latinum verteris; ut Auctorem mali proderes, an ut laudares? Si prodis, in Præfatione cur laudas? Si laudas, hæreticus approbaris ..... „ Probo ergo inter multa Origenis mala hæc maxime hæretica: Dei Filium, creatu„ ram: Spiritum Sanctum, ministrum: mundos innumerabiles, æternis sibi sæculis

„ suc-

„ ſuccedentes: Angelos verſos in animas hominum. Animam Salvatoris fuiſſe, ante-
„ quam naſceretur ex Maria; & hanc eſſe, quæ cum in forma Dei eſſet, non eſt ra-
„ pinam arbitrata æqualem ſe eſſe Deo, ſed ſe exinanivit, formam ſervi accipiens:
„ Reſurrectionem noſtrorum corporum ſic futuram, ut eadem membra non habeant,
„ quia ceſſantibus membrorum officiis ſuperflua membra reddantur: ipſaque corpora te-
„ nuia & ſpecialiter paulatim evaneſcere, & in auram tenuem, atque in nihilum diſ-
„ ſipari: In reſtitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubim,
„ & Seraphim, Thronos, Principatus, Dominatione, Poteſtates, Virtutes, Archange-
„ los, Angelos, Diabolum, demones, animas omnium hominum, tam Chriſtianorum,
„ quam Judæorum, & Gentilium, unius conditionis & menſuræ fore: cumque ad for-
„ mam & libram æquitatis pervenerint, & rationabiles creaturas, omni corporum fœ-
„ ce depoſita, novus de mundi exilio populi revertentis monſtraverit exercitus; tunc
„ rurſus ex alio principio fieri mundum alium, & alia corpora, quibus labentes de
„ cœlo animæ veſtiantur; ut verendum nobis ſit, ne qui nunc viri ſumus, poſtea na-
„ ſcamur in feminas, & quæ hodie virgo, tunc proſtibulum ſit. Hæc in Origenis li-
„ bris ego hæretica doceo: Tu oſtende in quo ejus Opere his contraria legeris ". Le-
genda eſt ejuſdem S. Hieronymi Epiſtola 78. ad Pammachium, & Marcellam data, & Epiſtola 59. ad Avitum.

VIII. S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, cap. 43. ubi Origenianorum errores ex S. Epiphanio retulit, hæc addit: „ Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catho-
„ lica Eccleſia omnino non recepit; in quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab
„ ejus defenſoribus excuſari, maxime de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt
„ longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim
„ Catholicus Chriſtianus, vel doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam
„ dicit purgationem malorum, id eſt, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & fa-
„ cinoribus & ſacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipſum etiam
„ poſtremo Diabolum, atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, pur-
„ gatos, atque liberatos, regno Dei, lucique reſtitui; & rurſus poſt longiſſima tem-
„ pora, omnes qui liberati ſunt, ad hæc mala denuo relabi, & reverti: & has vi-
„ ces alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſem-
„ per fore? De qua vaniſſima impietate adverſus Philoſophos, a quibus didicit Orige-
„ nes, in libris de Civitate Dei diligentiſſime diſputavi.

IX. Vincentius Lirinenſis in Commonitorio primo adverſus Hæreſes, cap. 23. cum plurima in Origenis laudem, ex genere, ex eruditione, ex Diſcipulis, ex omnium admiratione præmiſiſſet, hæc de ipſius erroribus ſubjungit: *Quamobrem hic idem Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, dum parvipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas Traditiones, & veterum Magiſteria contemnit, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de ſe quoque Eccleſiæ diceretur: Si ſurrexerit in medio tui Propheta. Et paulo poſt: Non audies verba Prophetæ illius*, &c.

X. S. Iſidorus Hiſpalenſis, libro 7. Originum, capite 3. & S. Joannes Damaſcenus libro de Hæreſibus, Origenianæ etiam doctrinæ damnationi ſuffragantur, cum Origeniſtas, eorum quos recenſent errorum Patronos, ab Origene Adamantio ortos eſſe affirmant.

Denique S. Bernardus in Sermone de verbis quibuſdam Origenis, ubi illum forſan hyperbolice locutum eſſe dixit, hæc habet: *Quamvis evidentiſſime illum contra fidem nonnulla ſcripſiſſe Sanctorum Patrum tradat auctoritas; atque ideo magna cum circumſpectione monet eſſe legendum.*

Ex his omnibus colligitur Sanctos Patres conſpirantibus ſententiis Origenianam Doctrinam damnaſſe; nec ea, qua Theologos decet, erga ipſos affici veneratione, qui ipſum ab omni prorſus errore abſolvi poſſe contendunt. Quaſi vero ſint illi tot tantiſque viris magis oculati, magiſque eruditi.

Verum quamvis apud cordatos Theologos maximi debeant eſſe momenti Sanctorum

Patrum de Origene judicia; majus tamen ipsis pondus accedit ex Ecclesiæ auctoritate, cujus sententia comprobata sunt, ut mox ostensuri sumus.

§. II.

Origenis Doctrinam erroris puram asserere vetat Ecclesiæ Judicium.

QUamquam non nesciam in meri facti controversiis Ecclesiæ auctoritatem non cogere, nec Hæreseos dicam scribere velim eruditis viris, qui explosis erroribus, quorum labe vulgo aspergitur Origenes, ipsum ab his immunem demonstrare conati sunt: cum apud me plurimum valeat illud Angelici Doctoris effatum Articulo ultimo Quodlibeti noni: *In his quæ ad particularia facta pertinent, Ecclesiæ judicium errare potest:* omnino tamen temerarium esse contendo, Auctores universæ Ecclesiæ judicio proscriptos ab errore absolvere. Quis enim ferret nunc Arium, Nestorium, Eutychetem, Calvinum ab iis purgari erroribus, quorum damnati sunt ab Ecclesia, quantumvis illorum errores execraretur infaustus ipsorum defensor? Certe irreligiosissimum esse, & coram Ecclesia Deoque præpotente reum, qui post judicium Ecclesiæ universæ contra personas aliquas aut earum doctrinam latum, ipsas ab errore vindicare præsumit, testis est S. Gregorius Magnus in Epistola ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, quæ est 24. libri primi, in qua postquam se quatuor priora Concilia Œcumenica non secus ac quatuor Evangelii libros venerari professus est, & quintum quoque Concilium se pariter venerari subjunxit, hæc addit: *Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Quo ex principio sequitur, non posse citra temeritatis notam, Origenem ab omni prorsus errore immunem pronuntiari, qui ab Ecclesia universa damnatus est. Porro ut singula Ecclesiæ judicia in Origenem exponamus.

I. Primo damnatum esse animadvertimus in Synodo Alexandrina, a Theophilo, ex totius Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos Provinciis congregata: deinde a Sancto Epiphanio, in Synodo Cypri, ut constat ex utriusque Epistolis supra laudatis. Tertio ab Anastasio Romano Pontifice: quorum judicia de doctrina Origenis, totius Ecclesiæ consensu rata habita sunt: quæ Principum etiam præsidium ad frangendam Origenistarum proterviam imploravit. De his ita scribit S. Hieronymus, libro 1. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 2. *Non valet*, inquit, *apud eos super Origenis damnatione Episcoporum auctoritas, quem putant a Martyre prædicatum. Quid facient Epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasii in toto orbe hæreticum persequentes? Cum liber tuus sub nomine Pamphili editus, pugnet contra Epistolas eorum, & Episcopali nomini testimonium Martyris opponatur.* Et infra sic Rufinum alloquitur: *Si quidquid contra Origenem & Sectatores ejus dicitur, in te dictum putas: ergo & Epistolæ Papæ Theophili, & Epiphanii, & aliorum Episcoporum, quas nuper ipsis jubentibus transtuli, te petunt, te lacerant. Imperatorum quoque scripta, quæ de Alexandria, & Ægypto Origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. Ut Romanæ urbis Pontifex miro eos odio insectetur, meum consilium fuit: Ut totus orbis post translationem tuam in Origenis odio exarserit, meus operatus est stylus. Si tantum possum, miror cur me non metuas.*

Id est a Pamphilo.

Synodicæ Epistolæ Episcoporum Ægypti, & totius Alexandrini Patriarchatus adversus Origenis doctrinam insigne fragmentum exhibet Tractatus Justiniani Imperatoris ad Mennam directus, cujus hæc sunt verba: „ Hic ergo, de quo agitur, Origenes ve„ luti abominationis desolatio in medio veræ Ecclesiæ extitit: ac Presbyter ordinatus „ a canonica, ab una, a vera manu, dignitatem Presbyteri nudam & solam habuit, „ quemadmodum & Apostolatus honorem habuit fur ac proditor Judas. Is enim cum „ cœpisset blasphemas Homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tum Episcopus, ut „ studiosus veritatis arator ac vinitor Ecclesiastici agri, eum e medio pulchræ, ac

„ latæ

„ latæ ſegetis evulſit, quod revera e malo zizanio eſſet. " *Et paulo poſt* : „ Quare „ hic e cœlo in terram decidens tamquam fulgur, ſicut & ejus pater diabolus, mul„ tæ, atrociſque iracundiæ contra veritatem ſpirans, in Palæſtinam regionem naviga„ vit; moratuſque in Cæſareenſium Metropoli, cum perſonam, quam ſibi induerat, „ depoſuiſſet, ſeque aperuiſſet, veluti piſcis qui ſepia apud quoſdam appellatur, ſigni„ ficans quod ſibi voluptati erat, ac tenebricoſum atque atrum vitæ venenum evo„ mens, illis ſcriptis expreſſit, & ſicuti caupo Judaicus, boni ſpecie ac ſimulatione, „ dulci amarum miſcuit. Quid enim iſte prave moliens, atque inſaniens dicit? Erat, „ *inquit*, anima ante corpus, & præexiſtebat in cœlis, eamque, cum ibi peccaſſet, „ in cuſtodiam immerſit Deus, id eſt, in corpus demiſit; ad purgationem, *inquit*, in „ caſtigationem admiſſorum in cœlis criminum. Hinc primum impiiſſimus protinus ſa„ bulatur, veritatemque oppugnare ſtudet.

Anaſtaſius vero Romanus Pontifex, in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, de translatione librorum περὶ ἀρχῶν Origenis a Rufino adornata, deque ipſo Rufino loquens, hæc habet: „ Hæc igitur mente concepi, quod qui Urbis noſtræ populis de trans„ lata Origenis lectione patefacit, quamdam puris mentibus velut nebulam excitans „ injectam, fidem Apoſtolorum, majorum Traditione firmatam, velut deviis anfracti„ bus illum voluiſſe diſſolvere. Diſcere hoc loco libet, quid agat in Romanam lin„ guam iſta translatio. Approbo, ſi accuſat Auctorem, & execrandum factum populis „ prodit, ut juſtis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama conſtrinxerat. Si ve„ ro Interpres tantorum malorum erroribus conſenſum præſtat, & legenda impia dog„ mata prodit in populos; nihil aliud ſui opera laboris extruxit, niſi ut propriæ ve„ lut mentis arbitrio, hanc quæ ſola, & quæ prima apud Catholicos Chriſtianos ve„ ra fides jam ab Apoſtolis exinde uſque ad tempus præſens tenetur, inopinatæ titu„ lo aſſertionis everteret. Abſit hæc ab Eccleſia Romana nequaquam Catholica Diſci„ plina. Numquam profecto eveniet ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure „ meritoque damnamus. Quapropter in toto orbe Chriſti Dei noſtri diffuſa providentia „ probare dignabitur, accipere nos omnino non poſſe, quæ Eccleſiam maculent, pro„ batos mores evertant, aures circumſtantium vulnerent, jurgia, iras, diſſenſioneſque „ diſponant. Quare noſce qualem Epiſtolam ad Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ve„ nerium diligentiori cura perſcriptam parvitas noſtra tranſmiſerit, ſibique hanc con„ ſcientiam fecerim, quod non ſuperflua laborem formidine, neque vano timore ſolli„ citer: mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos cuſtodire populos, „ parteſque populi mei per quæque ſpatia diverſa terrarum diffuſas, quantum poſſim „ literis convenire: ne qua profana interpretationis origo ſubrepat, quæ devotas men- *Honorii & Arcadii.*
„ tes immiſſa ſibi caligine labefactare conetur. Illud quoque quod eveniſſe gaudeo, „ tacere non potui, beatiſſimorum Principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque „ Deo ſerviens, ab Origenis lectione revocetur: damnandumque ſententia Principum, „ quem lectio rerum profana prodiderit.

II. Juſtinianus in Epiſtola, ſeu Tractatu ad Mennam miſſo adverſus Origenis errores ante Quintam Synodum, quæ Epiſtola pro Eccleſiæ judicio habenda eſt, quia Pelagio Romanæ Eccleſiæ Diacono, & Apocrifario inſtante dictata fuit, & poſtmodum a Vigilo Pontifice approbata, novem anathemata in Origenis doctrinam habet: ac tandem impingit *Anathema Origeni, qui & Adamantius, qui hæc expoſuit una cum nefaria, atque execrabili, ſceleſtaque ejus doctrina, & cuivis qui ea ſentiat, aut defendat, aut ullo modo prorſus quocumque tempore tueri præſumat*. Nec ſolus Pontifex Romanus, ſed & ceteri Patriarchæ, Juſtiniani Edictum comprobando, ipſique ſubſcribendo, ſuum fecerunt. Rem geſtam ſic narrat Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breviario, c. 23. *Sed redeunte Pelagio Conſtantinopolim, Monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes Capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem ut Origenes damnaretur, ipſaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillime, gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo dictata eſt in Origenem & illa Capitula anathematis damnatio; quam ſubſcribentes una cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopo-*

nopolim reperti, de inde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphemio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus, Origenes damnatus est mortuus qui vivens olim fuerat ante damnatus.

Non solus vero Liberatus Vigilii auctoritatem in damnando tunc Origene intercessisse probat, sed etiam Cassiodorus, Divinarum Institutionum lib. 1. c. 1. *Hunc*, inquit, nimirum Origenem, *licet tot Patrum impugnet auctoritas, præsenti tamen tempore & a Vigilio beatissimo Papa denuo constat esse damnatum.*

III. Quinta Synodus Œcumenica anno 553. congregata, Vigilio Pontifice Maximo, acceptis Justiniani Imperatoris literis, quibus Origenis damnationem urgebat, quibus adjunctum erat ejusdem Imperatoris Edictum mox laudatum, quod olim ad Vigilium miserat, cuique subscriptum erat anathema Origeni impactum ab ipso Vigilio, Origenis doctrinam ejusque Sectatores causa cognita anathemate confixit. Testis est hujus rei Evagrius, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 37. ita scribens rerum in Quinta Synodo gestarum ordinem, damnatione trium Capitulorum peracta: „ Postquam autem libelli „ ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio Monachis contra dogmata Origenis Ada„ mantii, & eos qui ejus impietatem, & errorem sequebantur, oblati essent, percun„ctatur Justinianus a Concilio congregato, quid de his statueret? Adjungit etiam li„belli unius exemplar, quin etiam literas Vigilii de eisdem rebus perscriptas. Ex qui„bus animadverti potest, quemadmodum elaboratum fuerit ab Origene, ut simplicem „ Apostolicorum dogmatum doctrinam Gentilium & Manichæorum zizaniis infarciret. „ Itaque ubi contra Origenem, & eos qui in eodem cum illo errore versati sunt, cla„mores editi fuere, relatio missa est ad Justinianum, cujus pars aliqua his verbis con„tinebatur... Qui animum nobilitatis antiquæ participem tenes, Imperator Christia„nissime: *Et paulo infra*: Fugimus igitur, fugimus istam doctrinam. Nam voces eorum „ qui sunt ab Ecclesia alieni, non agnoscimus: immo vero, si quis talis sit, eum ut fu„rem, & latronem vinculis anathematis firme constrictum, extra Ecclesiæ mœnia eji„cimus. Ac post adjungunt ista: Actorum nostrorum vim ex eorum lectione facile in„telliges. His adjunxere capita quæ Patroni dogmatum Origenis didicerant, quæ non „ eorum solum consensum, verumetiam dissensionem, atque adeo multiplicem erro„rem perspicue declararunt. Quorum quintum caput fuit blasphemiarum, quæ ex per„sona nonnullorum Monachorum novum Monasterium incolentium proferebantur, quod „ ita se habet: Theodorus qui Alcidas dicitur, Episcopus Cæsareæ dixit: Si jam Apo„stoli & Martyres, qui miracula edunt, in tanto honore sint, quæ tandem erit illis „ restitutio in ultima carnis restitutione, nisi pares, & æquales Christo efficiantur? „ Recensebantur porro ab illis qui has res studiose admodum collegerunt, complures „ Didymi, Evagrii, Theodori, aliæ blasphemiæ.

Præterea damnatum esse Origenem in Quinta Synodo testantur Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Theophanes, Photius in libello de Synodis, Nilus Rhodius, & Anonymi duo qui de Synodis etiam scripserunt, quosque in Canonici Juris antiqui Bibliothecam contulit Henricus Justellus, Zonaras, Glycas, Cedrenus, qui & Justiniani Epistolam ad Synodum repræsentat, in qua flagitat a Patribus ut Origenem, Origenisque Gregales damnent; Nicephorus, qui & Anathematismos in Origenem a Synodo vibratos recenset lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 28. Cyrillus Monachus Justiniano coævus; in Vita Euthymii, c. 105. & in Vita Sabæ, cap. ultimo.

Idem testatur Septima Synodus Actione 1. „ Sanctæ, *inquit*, venerabilis Quintæ „ Synodi, quæ Constantinopoli congregata est, communi & universali submissi sunt ana„themati Origenes, & Theodorus Mopsuestiæ, & ea quæ ab Evagrio & Didymo di„cta sunt, de eo videlicet quod ante substantiam fuisse perhibebant, & quod de re„stitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus, & præsentibus quatuor „ Patriarchis. " Idem testatur Actione 3. & Actione 7. In Professione Fidei, anathemate confossis aliis Hæreticis, hæc addit: „ Cum quibus & Origenis & Evagrii, & „ Didymi fabulas anathematizamus; sicuti & Constantinopoli congregatum Quintum „ Concilium egisse dignoscitur.

Idem constat ex Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, qui annis octoginta post

Quin-

Quintam Synodum, in Epiſtola Synodica ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, relata in Sexta Synodo, Act. 2. profitebatur ſe amplecti cum cæteris quatuor Synodis Quintam Synodum Œcumenicam, *quæ confirmat Synodum Chalcedonenſem, tollit vero & funditus abolet principaliter quidem inſanum Origenem, & ejus deliramenta, & una cum eo Didymi, & Evagrii impia dogmata.*

IV. Sexta Synodus Actione 18. profitetur ſe in omnibus conſonare ſanctæ Quintæ Synodo, *quæ congregata eſt adverſus Theodorum Mopſueſtenum, Origenem, Didymum, & Evagrium.*

V. Leo Secundus Pontifex Maximus in Epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem data, quæ Synodi Sextæ appendix quædam eſt, Origenem cum aliis hæreticis anathemate percutit, quod anathema in ejus cadit doctrinam: „ Anathematizamus præterea, *inquit*, atque execramur omnes hæreſes, omneſque earum Auctores, atque Fautores qui adverſus Apoſtolicam, & Orthodoxam fidem diabolicis „ decepti fallaciis, falſitatis errores in Eccleſiam conati ſunt introducere; id eſt, „ Arium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem, Eunomium, Neſtorium, Eutychem, Dioſcorum, Timotheum, Severum, Themiſtium, Origenem, qui & Adamantius, Didymum, & Evagrium.... Quæ ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia de Catalogo fidelium Patrum, utpote zizania de arca Dominicæ Eccleſiæ, „ gehennæ ſupplicio abdicanda, per ventilabrum divinæ diſcretionis abjecit.

Negat Halloxius Origenis accerrimus vindex, in libro cui titulus eſt, *Origenes defenſus*, de ejus damnatione actum in Quinta Synodo, ſed non video qui id ab homine erudito negari poſſit, reclamantibus tot locupletiſſimis teſtibus.

Opponit ille nullam in Actis Quintæ Synodi extare Origenis damnationem, & Victorem Turonenſem, Facundumque Hermianenſem coævos Scriptores illius non meminiſſe. Sed futilis eſt iſta objectio. Nam Victoris & Facundi ſilentium poſitivis teſtimoniis mox adductis prævalere non debet, & ſuppreſſa in Actis Quintæ Synodi Origenis damnatio, illa truncata fuiſſe, & mutilata evidenter arguit: ſive id Origeniſtarum fraude factum ſit, nempe Theodori Cæſareenſis, qui ad ulciſcendam Origenis famam Auctor fuerat Juſtiniano ut tria Capitula damnaret: ſive nimia feſtinatione eorum qui Latinam interpretationem Actorum ad uſum Vigilii, & Occidentalium curarunt. Cum enim illi totam inter Orientales Occidentaleſque controverſiam in trium Capitulorum negotio verſari animadverterent; non vero in Origenis damnatione, quæ jam ab utraque Eccleſia conſpirantibus decretis, facta fuerat, Synodi Acta exſcribere feſtinatione maxima voluerunt, quoad ea quæ trium Capitulorum ſpectabant damnationem, ut ea ad Vigilium cito tranſmitterentur, qui de hac controverſia apud ſe conſuleret.

Sane Concilii Quinti Acta vitiata fuiſſe aſſerit Sexta Synodus Actione 14. & 19. Mutila fuiſſe jam ab antiquo Latina illorum exemplaria in Occidentem delata, nec aliud continuiſſe quam trium Capitulorum damnationem colligitur ex Epiſtolis Pelagii Primi & Secundi, & Sancti Gregorii Magni Romanorum Pontificum, qui hujus tantum damnationis meminerunt, ubi referunt Decreta Quintæ Synodi: Si enim in Actis illis contentæ fuiſſent tunc temporis literæ Juſtiniani ad Synodum cum adjuncto libello Monachorum, & ejuſdem Principis Edicto ad Vigilium pro damnando Origene, ejuſque Sectariis; necnon diſceptatio Synodi ea de re habita, & relatio miſſa ad Principem, laudati Pontifices de anathemate in Origenem ejuſque Sectatores vibrato minime tacuiſſent, cum id ad Quintæ Synodi, quæ a Schiſmaticis pertinaciter explodebatur, commendationem plurimum conduceret.

Quamquam vero non recenſeatur in actis Quintæ Synodi plena de Origene habita cognitio, veſtigia tamen illius ſuperſunt illuſtria Collatione quinta, ubi hæc verba leguntur: *Et multos quidem etiam alios invenimus poſt mortem anathematizatos; necnon etiam Origenem; & ſi ad tempora Theophili ſanctæ mem. vel ſuperius aliquis recurrerit, poſt mortem inveniet anathematizatum. Quod etiam nunc in ipſo fecit & veſtra Sanctitas, & Vigilius Religioſiſſimus Papa antiquioris Romæ.*

Et Collatione 8. in Anathematiſmo undecimo: *Si quis non anathematizat Arium, Eu-*

no-

nomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conſcriptis ... Talis anathema ſit. Ex his omnibus colligitur, Eccleſiæ de Origene, ejuſque doctrina judicia prohibere, ne ab omni prorſus errore immunis aſſeratur. Horum autem judiciorum æquitas conſtat ex Origenianorum librorum lectione, & examine, qui hæretica dogmata continent.

§. III.

Ex Scriptis Origenis probatur ipſius doctrinam nullatenus erroris puram & immunem aſſeri poſſe.

I. NAturas rationales, quæ a Deo primum procreatæ ſunt, priuſquam boni aliquid, vel mali in ſe concepiſſent, mentes fuiſſe, & deinde ſcelere admiſſo animas evaſiſſe, tradit lib. 2. περὶ ἀρχῶν, c. 8. „ Ex quibus omnibus, *inquit*, illud videtur oſten-„ di, quod mens de ſtatu ſuo, ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata eſt Ani-„ ma: quæ ſi reparata fuerit, & correcta, in hoc redit ut ſit mens. Quod ſi ita eſt, „ deceſſus ipſe mentis ac devolutio videtur mihi, quod non æqualis omnium ſentien-„ dus ſit, ſed vel plus, vel minus in animam verti; & aliquas quidem mentes ſerva-„ re aliquid etiam prioris vigoris; aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid: unde „ inveniuntur quidam ſtatim ab ineunte ætate ardentioris acuminis, alii vero tardio-„ ris, nonnulli autem obtuſiſſimi, & penitus indociles naſci.

Et lib. 3. c. 1. Poſtquam unumquemque dixit prout ſeſe geſſit, a Deo vas effici vel ad honorem, vel ad contumeliam, ſtatim addit: „ Quod ſi juſta hæc videtur aſſer-„ tio, ſicut eſt certe juſta, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus „ cauſis unumquodque vas ad honorem a Deo, vel ad contumeliam preparetur: non „ videtur abſurdum eodem ordine, atque eadem conſequentia diſcutientes nos anti-„ quiores cauſas, eadem etiam de animarum ſatione ſentire, & hoc eſſe in cauſa, quod „ Jacob dilectus eſt, etiam dum ad huc in ventre matris haberetur. " Et ſic conclu-„ dit: Ex quo opinamur, quoniam quidem (ſicut frequenter diximus) immortalis eſt „ anima & æterna, quod in multis, & ſine fine ſpatiis per immenſa & diverſa ſæcu-„ la poſſibile eſt, ut a ſummo bono ad infima mala deſcendat, & ab ultimis ad ſum-„ ma bona reparetur.

Et libro 2. περὶ ἀρχῶν notato ad finem Epiſtolæ Juſtiniani ad Mennam: „ Ex eo quod „ decidit, & refrixit ſpiritali vita, facta eſt quæ nunc anima, quæ reditum quoque „ in id quod ab initio fuit, admittit. Quod a Propheta ſignificari arbitror, dum ait: „ Revertere anima mea in requiem tuam, ut totum hoc ſit mens. Mens igitur facta „ eſt anima: anima vero rectis factis integrata fit mens.

II. Diaboli voluntatem a Deo averſam, aliquando fore ad Deum convertendam, adeoque ſalutis æternæ expertem illum non fore, Origenes aſſerit, lib. 3. περὶ ἀρχῶν c. 6. „ Propterea etiam, *inquit*, noviſſimus inimicus, ideſt, diabolus, qui mors appel-„ latur, deſtrui dicitur, ut neque ultra triſte ſit aliquid ubi mors non eſt, neque ad-„ verſum ſit ubi non eſt inimicus. Deſtrui ſane noviſſimus inimicus ita intelligendus „ eſt, non ut ſubſtantia ejus, quæ a Deo facta eſt, pereat, ſed ut propoſitum, & vo-„ luntas inimica, quæ non a Deo, ſed ab ipſo proceſſit, intereat ". Et ibidem: " „ Jam vero ſi aliqui ex his ordinibus qui ſub principatu diaboli agunt, ac malitiæ ejus „ obtemperant, poterunt aliquando in futuris ſæculis converti ad bonitatem, pro eo „ quod eſt in ipſis liberi facultas arbitrii; An vero permanens & inveterata malitia „ velut in naturam quamdam ex conſuetudine convertatur, etiam tu qui legis, pro-„ bato, ſi omnimode neque in his quæ videntur temporalibus ſæculis, neque in his „ quæ non videntur & æterna ſunt, penitus pars iſta ab illa etiam finali unitate, at-„ que convenientia diſcrepabit.

Alternas præterea in altera vita beatitudinis & miſeriæ vices in animabus, in Angelis, in dæmonibus agnoviſſe Origenem, probant loca a S. Hieronymo recenſita, in Epiſtola 59, ad Avitum, c. 1. Iſta namque refert ex lib. 1. περὶ ἀρχῶν. „ In fine, atque

„ con-

„ conſummatione mundi .... Cum omnes animæ liberum habeant arbitrium: & ſpon-
„ te ſua vel virtutes poſſint capere, vel vitia, illæ multo pejori in conditione erunt,
„ quam nunc ſunt; hæ ad meliorem ſtatum pervenient: quia diverſi motus, & va-
„ riæ voluntates in utramque partem accipient ſtatum; ideſt, ut Angeli, homines, vel
„ dæmones, & rurſum ex his homines, vel Angeli fiant.

Et lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 5. Damnatos omnes in fine mundi a Chriſto reparandos, & Patri ſubjiciendos aſſerit: atque hunc in ſenſum trahit Scripturam Sac. dicentem, Chriſtum fore ſubditum Patri, cum ſibi ſubjecerit omnia. „ Si ergo, *inquit*, bona & ſa-
„ lutaris iſta ſubjectio, qua ſubjectus eſſe dicitur Filius Patri; valde conſequens, &
„ cohærens eſt, ut inimicorum quæ dicitur Filio Dei eſſe ſubjectio, ſalutaris quædam
„ intelligatur & utilis: ut ſicut cum dicitur Filius Patri ſubjectus, perfecta univerſæ
„ creaturæ reſtitutio declaratur; ita cum Filio Dei inimici dicuntur eſſe ſubjecti, ſub-
„ jectorum ſalus in eo intelligatur, & reparatio perditorum.

III. Homines abſque carne, cum materia dumtaxat puriore & ſubtiliore reſurrecturos Origenes aſſerit, l. 2. περὶ ἀρχῶν c. 3. „ Mira ergo ratione, *inquit*, S. Apoſtolus ad
„ generalem primam cauſam reſpiciens materiæ corporalis, cujus materiæ animæ uſum
„ ſemper habent in qualibet qualitate poſitæ, nunc quidem carnali, poſtmodum vero
„ ſubtiliori & puriori, quæ ſpiritalis appellatur; Neceſſe eſt, ait, corruptibile hoc
„ induere incorruptionem, &c.

Præterea S. Hieronymus Epiſt. ad Avitum ex Origene teſtimonia profert, eum errorem repræſentantia. Ex libro ſcilicet 2. περὶ ἀρχῶν hunc locum adducit: *Cumque in tantum profecerimus, ut nequaquam carnes, & corpora, forſitan ne animæ quidem fuerimus, ſed mens & ſenſus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur rationabiles, intelligibileſque ſubſtantias facie ad faciem*, &c.

Ex his conſtat, graviſſimis erroribus doctrinam Origenis ſcatere. In cæteros non inquirimus. Hæc enim ſatis probant Origenem ab omni errore abſolvi non poſſe, obeſſeque ipſius libros, ne omnis erroris purus aſſeratur.

§. IV.

Diluuntur argumenta in gratiam Origenis ab ipſius Defenſoribus adducta.

I. ORigenis vindices his momentis ipſius cauſam tuentur. Primo nefas eſſe ajunt illi notam erroris inurere, quem Patres immenſis laudibus extulerunt: atqui Patres immenſis laudibus extulerunt Origenem: igitur non debet damnari erroris.

Probatur minor. S. Gregorius Neocæſareenſis dictus Thaumaturgus, ipſi Panegyricum dixit. S. Athanaſius eum *Fidei ſuæ teſtem locupletiſſimum* appellavit. Sanctus Hieronymus frequenter ejus ſententiam ſecutus eſt in Sacrarum explanatione Scripturarum: frequenter ejus ingenium, & doctrinam prædicavit. Ut enim alia ſileam loca, Præfatione in Quæſtiones Hebraicas hæc habet: *De Adamantio autem ſileo, cujus nomen, ſi parva licet componere magnis, meo nomine invidioſius eſt*. Et inferius: *Vellem cum invidia nominis ejus, habere etiam ſcientiam Scripturarum*. Et Epiſtola 65. *Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit*. Porro qua ratione cæteros Scriptores ſacros viciſſe dici poteſt, ſi tot errores propugnaverit, tamque nefarios? Didymus præterea eum vocat *Secundum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum*.

II. Facile poteſt ab errore excuſari Origenes, ut feliciter ipſum purgarunt Pamphilus Martyr, & Euſebius: ille in quinque libris Apologeticis pro Origene, ejuſque doctrina conſcriptis: hic in ſexto quem lucubrationi Martyris adjunxit. Alii quoque magni nominis viri complures Euſebii temporibus Apologias pro Origene ſcripſerunt, ut teſtatur Photius Cod. 118. Anonymi præterea celeberrimam pro Origene Apologiam ſe legiſſe idem refert Cod. 117. Methodius etiam Tyriorum Epiſcopus, cum Origenis dogmata acerbius caſtigaſſet libris adverſus ea conſcriptis, palinodiam cecinit, & ſe Origenis admiratorem profeſſus eſt in Dialogo, quem Xenonem inſcripſit, ut Auctor eſt Socrates lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 12.

Denique SS. Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus in Philocaliam multa contulerunt etiam ab Origenis criminatoribus reprehensa: quæ suo proinde suffragio & approbatione muniviſſe videntur. De his namque S. Basilius ad Theodorum Thyaneum Episcopum ita scribit: *Electorum Origenis libellum ad te misimus, quia studiosis videntur utilia, ea recipere, nec gravare.*

III. Verisimillimum est corrupta fuisse ab Hæreticis Origenis Opera, & errores, qui ipsi adscribuntur, fuisse ejus libris insertos: maxime cum ipse adhuc vivens de Operum suorum interpolatione conqueratur, & de vi Scriptis suis illata, deque calumniis in doctrinam suam sparsis (ut constat ex Epistola ipsius ad Amicos Alexandrinos, quam descripsit, vertitque Rufinus). In ea Epistola hæc scribit: *Ergo cum propter Dei timorem caveamus in quempiam maledicta conferre, recordantes illius dicti: Non fuit ausus judicium inferre blasphemiæ, quod dicitur de Michaele contra diabolum ... Quidam eorum qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis & nostræ doctrinæ blasphemiam; super qua ipsi viderint quomodo illud audiant: Neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt: licet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei ejicientur, dicant posse salvari: quod ne mente quidem quis captus dicere potest.*

Certe errorem de futura diaboli salute perperam esse Origeni affictum, constat ex illius Dialogo cum Candido Valentinianæ hæreseos defensore, de quo S. Hieronymus hæc habet libro 2. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 5. *Asserit Candidus diabolum pessimæ esse naturæ, & quæ salvari numquam possit. Contra hoc recte Origenes respondit. Non eum perituræ esse substantiæ, sed voluntate propria corruisse, & posse salvari. Hoc Candidus vertit in calumniam, quasi Origenes dixerit Diaboli naturam esse salvandam: quod ille falso objecerat, hic refutat.*

Non minus falso ipsi affictus est error de resurrect. hominum in ejusdem substantia carnis negata: siquidem lib. 3. περὶ ἀρχῶν c. 6. contrarium diserte asserit: *Denique*, inquit, *caro nostra ab imperitis, & infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiæ suę habere credatur. Nos vero qui resurrectionem ejus credimus, immutationem ejus tantummodo post mortem factam intelligimus: substantiam vero ejus certum est permanere & voluntate Creatoris sui, certoque tempore rursus reparari ad vitam, atque iterum permutationem ejus fieri, ut quę primo fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta post mortem, & iterum facta cinis, ac terra. Quoniam terra es*, inquit, *& in terram ibis, rursum resuscitetur e terra; & post hoc jam velut meritum inhabitantis animę poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritalis.* Non minus perspicua sunt, quæ ex illius Commentario in Psalm. 15. profert Pamphilus in Apologia. Sunt autem hujusmodi: *Offendatur qui vult ex nostro sermone: Ego autem cum omni fiducia assevero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem evexit ad cœlum.* Et paulo post: *Hęc propter illud quod dictum est: Quoniam caro mea requiescet in spe. In qua spe? Non solum quia ex mortuis resurgit; parum enim hoc est: sed in spe requiescit, quod assumpta est in cœlum.* Hoccine est carnis resurrectionem negare, quod ipsi affingunt ejus impugnatores? Est itaque verisimillimum ea loca, quibus videtur negare carnis resurrectionem, fuisse in ejus Opera intrusa ab Hæreticis. Favet huic sententiæ Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. adversus Hæreses, cap. 23. ita scribens: *Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros: non resisto, quin potius & malo: nam id a quibusdam & traditum, & scriptum est, non Catholicis tantum, verum etiam Hęreticis.*

IV. Ecclesia librorum Origenis lectionem probat: & ex ejus Operibus lectiones nonnullas Romano Breviario Pontifices inseruerunt. Quod argumento est doctrinam Origenis Ecclesiæ suffragio probari. Certe inauditum est ut ex libris hæretici hominis & damnati Ecclesia lectiones mutuetur.

Resp. ad primum: Distinguo majorem: Nefas est illi notam erroris inurere, quem Patres laudibus extulerunt; si in omnibus ipsum laudaverint, concedo: si in aliquibus dumtaxat, nego. Non licet igitur damnare Origenem ac proscindere convitiis in iis, quæ ingenium, quæ eruditionem, quæ scientiam Scripturarum, quæ vitæ ad omnium virtutum normam compositæ integritatem spectant; quia his de rebus a Patri-

bus

bus laudatus est: sed licet, immo necesse est illum erroris multiplicis damnare, quia Patrum suffragio, Ecclesiæ judicio damnatus est.

Ad probationem respondeo, S. Gregorium Neocæsareensem in sui erga Origenem Præceptorem suum amoris, venerationis, & grati animi monumentum, Panegyricum ipsi adhuc viventi dixisse, sed ejus errores nusquam probasse; nec ab errorum suspicione ipsum purgasse. Quidni enim laudasset Origenem, qui tot Doctores, tot Martyres instituerat? Qui tot hæreticos debellabat? Qui tot lucubrationibus & Commentariis in Scripturam luculentissimis Ecclesiam promerebatur, cujus libri περὶ ἀρχῶν vel nondum vulgati erant, vel nondum expensi & discussi?

Ad auctoritatem S. Athanasii resp. Esto ex ea colligi possit Origenem de Filii Divinitate recte sensisse; quod an ita sit, Articulo seq. inquiremus: non inde sequitur nullibi errasse Origenem: maxime cum ejus Adoratores Didymus, Eusebius, & Rufinus, errores plerosque, ob quos illum criminati sunt Sancti Patres, non negaverint Origenianos esse; sed illum præcipue ab errore circa Mysterium SS. Trinitatis absolvere sint conati.

Resp. ad S. Hieronymi laudes in Origenem profusas, ipsum laudasse ingenium, eruditionem, scientiam Scripturarum Origenis, non errores, quos fuit semper execratus. Id profitetur S. ipse Hieronymus lib. 3. Apologiæ adversus Rufinum, quem ita alloquitur cap. 7. *Audi ergo, vir sapientissime, & Romanę Dialecticę caput, non esse vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare, sed eamdem rem & probare, & improbare. Ponam exemplum, ut quod non intelligis, prudens mecum Lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hęresim. In Origene miramur scientiam Scripturarum & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo vero memoriam prędicamus, & super Trinitate Fidei puritatem: sed in cęteris quę Origenii male credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes. Grammaticum quidam Afrum habuit Romæ virum eruditissimum: & in eo se æmulum Præceptoris putavit, si stridorem linguæ ejus, & vitia tantum oris exprimeret.*

Et Epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum data. *Objiciunt mihi*, inquit, *quare Origenem aliquando laudaverim. Ni fallor, duo loca sunt, in quibus eum laudavi, Præfatiuncula ad Damasum in Homilias Cantici Canticorum, & Prologus in librum Hebraicorum nominum. Quid ibi de dogmatibus Ecclesiæ dicitur? Quid de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto? Quid de carnis resurrectione? Quid de animæ statu atque substantia? Simplex interpretatio atque doctrina simplici voce laudata est. Nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehensum est. Moralis tantum tractatur locus, & allegoriæ nubilum serena expositione discutitur. Laudavi Interpretem, non Dogmatistam; ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios, replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina: & intelligent me semper ejus dogmatibus contraisse.*

Et infra: „ Vult aliquis laudare Origenem? Laudet ut laudo. Magnus vir ab in„ fantia, & vere Martyris filius: Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam tenuit, succedens „ eruditissimo viro Clementi Presbytero: Voluptates in tantum fugit, ut zelo Dei, „ sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia. Calcavit avaritiam: „ Scripturas memoriter tenuit: & in studio explanationis earum diebus desudavit, & „ noctibus. Mille & eo amplius Tractatus in Ecclesia locutus est: edidit innumerabi„ les præterea Commentarios, quos ipse appellat τόμους & quos nunc prætereo, ne „ videar Operum ejus indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere, quanta il„ le conscripsit? Quis ardentem in Scripturis animum non miretur? Quod si quis Ju„ das Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat libere: Interdum magnus dormi„ tat Homerus: Verum operi longo fas est obrepere somnum. Non imitemur ejus vi„ tia, cujus virtutes non possumus sequi. Erraverunt in fide alii tam Græci, quam „ Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, „ sed aliorum errore defendere. Hoc non est, *inquies*, excusare Origenem, sed ac„ cusare cæteros. Pulchre, si eum errasse non dicerem; si in fidei pravitate saltem

„ Apoſtolum Paulum, vel Angelum de cœlo audiendum crederem. Nunc vero cum „ ſimpliciter errorem ejus fatear, ſic legam ut cæteros, quia ſic erravit ut cæteri „ .... Denique Didymo nulla adhibenda eſt fides, utpote qui Sectator Origenis fuerit, & cum eo ab Eccleſia damnatus.

Pamphilus Martyr Apologiam pro Origene non ſcripſit.

Reſpondeo ad ſecundum, nego antecedens. Ad ejus probationem, nego quod Pamphilus Martyr Apologiam pro Origene ediderit. Licet enim Photius in Bibliotheca, Cod. 118. aſſerat Pamphilum Martyrem, cum detineretur in carcere, quinque libros Apologeticos, præſente Euſebio, elaboraſſe, ſextum autem poſt ejus Martyrium fuiſſe abſolutum ab Euſebio: reclamat tamen S. Hieronymus temporibus Origenianis vicinior, & retractat quod in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum dixerat de Pamphilo: *Scripſit, antequam Euſebius ſcriberet, Apologeticum pro Origene.* Denique ſex libros Apologeticos, de quibus agimus, abjudicat Pamphilo, vindicat Euſebio, & Pamphilo Martyri fuiſſe ſuppoſitos aſſerit Rufini fraude. Idque confirmat locupletiſſimo teſtimonio Euſebii, affirmantis Pamphilum nullum Opus proprium edidiſſe, præter breves Epiſtolas ad Amicos: & ex inſcriptione librorum, quos in Bibliotheca Cæſareenſi legerat Euſebii nomen præferentes. En verba S. Hieronymi, lib. 2. Apologiæ adverſus Rufinum, c. 6. ſic eum compellantis: „ Nunc tantum tuis aſſertionibus obviaſſe ſufficiat, & hoc „ breviter prudentem inſtruxiſſe Lectorem, ne iſtum librum, qui ſub nomine Pamphili „ ferebatur, vidiſſe primum ſcriptum in codice tuo, & quia non erat mihi curæ, „ quid pro hæretico diceretur, ſic ſemper habuiſſe, quaſi diverſum eſſet Opus Pamphili, & Euſebii; poſtea vero, quæſtione mota, ſcriptis eorum reſpondere voluiſſe, & „ ob hanc cauſam legiſſe, quid pro Origene unuſquiſque ſentiret; perſpicueque de„ prehendiſſe, quod primus Liber ſex Voluminum Euſebii ipſe eſſet, qui unus ſub no„ mine Pamphili a te editus eſt, tam Græce, quam Latine, immutatis dumtaxat ſen„ ſibus de Filio, & Spiritu Sancto, qui apertam blaſphemiam præferebant. Unde et„ iam ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui Præfecturam admi„ niſtravit Prætorii, me rogaſſet, ut Auctorum noſtræ Religionis ei indicem texerem; „ inter cæteros Tractatores poſui & hunc librum a Pamphilo editum, ita putans eſ„ ſe, ut a te, & a tuis Diſcipulis fuerat divulgatum. Sed cum ipſe dicat Euſebius, „ Pamphilum nihil ſcripſiſſe, exceptis brevibus Epiſtolis ad Amicos, & primus Li„ ber ſex Voluminum illius eadem, & iiſdem verbis contineat, quæ ſub nomine „ Pamphili a te ficta ſunt: perſpicuum eſt, te idcirco librum hunc diſſeminaſſe vo„ luiſſe, ut ſub perſona Martyris hæreſim introduceres. Cumque de ipſo libro, quem „ Pamphili ſimulas, multa perverteris, & aliter in Græco, aliter in Latino ſit: frau„ dem tuam errori meo imputare non debes: Credidi enim eſſe librum, quem titu„ lus præferebat.

Et lib. 3. cap. 4. *De tuo Codice*, inquit, *quaſi Pamphili exemplar accepimus. Credidi Chriſtiano, credidi Monacho: non putavi tantum ſceleris a te poſſe confingi. Poſtea vero per interpretationem tuam quæſtione contra Origenem toto orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui: & in Cæſareenſi Bibliotheca, Euſebii ſex Voluemina reperi ἀπολογίας Ὠριγένους. Quæ cum legiſſem, primum eum librum deprehendi, quem tu ſolus ſub nomine Martyris edidiſti, de Filio, & Spiritu Sancto, in bonam partem pleriſque blaſphemiis commutatis; & hoc vel Didymum, vel te, vel alium feciſſe neſcio quem, quod tu apertiſſime in libris περὶ ἀρχῶν feciſſe convinceris: maxime cum idem Euſebius, ut jam duobus libris docui, ſcribat Pamphilum nihil proprii Operis ediditſe.* Et infra: *Ergo Frater, ſive a te falſatus eſt liber, ut multi putant, ſive ab altero, ut forſitan tu perſuadere conaberis, & temere credidiſti hæretici hominis ſyntagma eſſe Martyris, muta titulum, & Romanam ſimplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expedit ut per te clariſſimus Martyr hæreticus judicetur: ut qui effudit pro Chriſto Sanguinem, contrarius fidei Chriſti approbetur. Dic potius: Inveni librum, putavi illum Martyris: Ne timeas pœnitentiam. Jam te non urgebo, non quæram a quo acceperis: vel mortuorum aliquem nominato, vel in platea ab ignoto homine te emiſſe dicito. Non enim damnationem tuam quærimus, ſed converſionem. Melius eſt enim ut tu erraveris, quam ut Martyr hæreticus fuerit.*

Rel-

Respondet secundo S. Hieronymus, verisimilius esse priores Apologiæ pro Origene libros, nec ipsius esse Pamphili, sed alicujus ex Origenis Sectatoribus. Id ut suspicetur, hac movetur conjectura. Summa fuit Pamphilum inter & Eusebium animorum consensio: igitur in Origenis defensione varias in partes non abiissent. At Eusebius in toto Opere suo Origenem probat Ariani dogmatis Propugnatorem extitisse: Pamphilus vero Nicænæ Fidei Defensorem. Itaque putatitius, non verus Pamphilus hanc Apologiam edidit. *Date*, inquit, *quodlibet aliud Opus Pamphili, nusquam reperietis. Hoc unum est. Unde igitur sciam quod Pamphili sit? Videlicet stylus, & saliva docebit. Nusquam credam quod doctus vir primos ingenii sui fœtus quæstionibus & infamiæ dedicarit, & ipsum nomen Apologetici ostendit accusationem: non enim defenditur, nisi quod in crimine est. Unum nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit, vel impudentis. Sexti libri Eusebii super Origenis defensione principium, usque ad millia ferme versus, liber iste qui dicitur Pamphili, continet: Et in reliquis Scriptor ejusdem Operis profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse Catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperit? Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt; ut Eusebius in toto Opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicænæ Synodi, quæ postea fuit, defensorem? Ex quo ostenditur, vel Didymi, vel cujuslibet alterius esse Opusculum, qui sexti libri capite detruncato, cætera membra sociarit.* * *Eusebius enim Pamphili dictus est.*

Respondet tertio S. Hieronymus, dato quod Apologia illa Pamphili esset, nondum tamen Martyris esse, adeoque non sequi absolvendum ab errore esse Origenem: quia erravit Pamphilus, si ipsum scripto Apologemate, ab omni prorsus errore putaverit absolvendum. Unde in hoc sequendus non est. Ut enim imitari non debemus peccata, quæ Martyres nonnulli ante Martyrium admiserunt: ita nec errores amplecti. *Sed concedamus*, inquit, *ex superfluo, ut Pamphili sit, sed necdum Martyris: Ante enim scripserat, quam Martyrium pateretur. Et quomodo, inquies, Martyrio dignus fuit? Scilicet, ut Martyrio deleret errorem, ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe Martyres, antequam cederentur, variis subjacuere peccatis? Defendamus ergo peccata: quia qui postea Martyres, prius peccatores fuerunt.*

Ad Eusebii auctoritatem respondeo, ejus Apologiam pro Origene ab Ecclesia non recipi, nec ejus testimonium pondus aliquod Origenianæ causæ addere. Enimvero propter nimias Origenis laudes & excusationem eum criminatur Gelasius Pontifex Maximus in Concilio Romano, & ejus Historiam inter Apocrypha ablegat.

Et Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriæ, quamvis damnandum non esse Eusebium asserat propter Origenis commendationem, non debere tamen absolvi Origenem affirmat ob Eusebii testimonium; quia mali a bonis sæpissime laudantur, nec eorum tamen suffragiis absolvuntur. *An non & malos a bonis aliquando laudatos novimus, nec tamen eisdem laudibus defensos? Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nesciat in libris suis quantis Origenem Eusebius præconiis attollat? Sed quia Sancta Ecclesia suorum Fidelium corda benignius, quam verba districtius pensat; & plus in Hæreticis sensum proprium; nec Origenem testatio Eusebii absolvere potuit; nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit. An non & Gregorius Nyssæ urbis Episcopus, cum Canticum Canticorum exponit, magnis Origenem laudibus præfert? An non & Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singularis Hebræi sermonis Interpres, tanto erga Origenem favore intenditur, ut pene Discipulos ejus esse videatur? Sed quia plus causa, quam verba pensanda sunt, nec istis sua benignitas nocuit, nec illum a reatu proprio favor alienæ attestationis excusavit.*

Ad Anonymi Apologiam respond. illum nullam mereri fidem, cum Origenianis ipse teneretur erroribus, ut Photius tetigerat. *Cæterum*, inquit, *hæc Apologia non solutio est ut plurimum eorum, quæ Origeni objiciuntur, sed accusationis potius adstipulatio. Adeo hic a blasphemis illius opinionibus liber omnino non est. Itaque & animas ante corpora existere fatetur. Sacræ etiam Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimoniis ad hunc errorem stabiliendum, ut putat, adhibitis: & corporum quoque aliam fingit resumptionem;*

Ad Methodium respondeo, falso afferere Socratem, quod eum prioris de Origene judicii pœnituerit, ipsumque antea damnatum deinde laudaverit. Immo ita ipsum pœnituit laudum Origenis, ut eum primo laudatum, postea fuerit Scriptis suis infectatus, ut Eusebius tradit apud S. Hieronymum, lib. 1. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 2. Præterea ex Methodii Martyris contra Origenem lucubrationibus plurima S. Epiphanius deprompsit, & Panario suo inseruit, quod facere erubuisset, si noviſſet Methodium priorem contra Origenem sententiam revocasse. Denique Eusebius & Rufinus, Methodii palinodiam in suis pro Origene Apologiis non memorarunt, quam certe silentio non oppressissent, nisi supposititia esset.

Ad Sanctos Gregorium Nazianzenum, & Basilium respondeo, illos nequaquam gravissimos Origenis errores in Philocaliam suam contulisse; vel si aliquos contulerint, ipsos non approbavisse. Compendium quidem est Origenis Philocalia selectorum ex ipsius Operibus locorum, quæ Sancti illi Patres ad studiosorum commodum defloraverunt, & collegerunt: sed quæcumque a viris eruditis ex aliorum Operibus colliguntur, eorum ne suffragio probata dici possunt?

Respondeo ad tertium, nego antecedens. Neque enim Eusebius, neque Didymus corrupta fuisse Origenis scripta causati sunt, quod fecisent, si quod fuisset ista in defensione robur. Sed nonnulla quæ adversus Origenem objiciuntur, benigna interpretatione molliverunt, alia perperam propugnaverunt. Præterea si facile concedatur violatos fuisse Origenis libros in omnibus locis, qui errores continent, non jam Origeni tribuendi erunt libri, qui toti ferme erronei sunt, sed incertis Interpolatoribus: & hac exceptione ad omnium vindicias Hæreticorum via parabitur. Dicent enim Marcionis, Manichæi, Arii, Nestorii, Pelagii, Calvini, Lutheri subdoli defensores, non fuisse ab illis Hæresiarchis hæc asserta quæ ab Ecclesia erroris damnata sunt; sed ab ipsorum hostibus in eorum libros injecta. Querimonia porro Origenis in Epistola ad Amicos Alexandrinos, spectat unius tantum Codicis depravationem, scilicet Dialogi cum Candido Valentiniano Hæretico sui; quem corruptum fuisse fateor ab illo Hæretico: sed inde perperam colligitur cæteros Origenis libros fuisse adulteratos. Ita respondet S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ adversus Rufinum, c. 4. & 5. *Vir doctissimus Eusebius*, inquit, *per sex Volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem suæ ostendat fidei, id est, Arianæ perfidiæ; & multa ponit exempla, & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut quæ ille vera profitetur, falsata confingas? Sed forsitam hic, ut Arianus, ab Hæreticis addita in occasionem sui traxit erroris, ne solus male sensisse contra Ecclesiam putaretur. Quid respondebis pro Didymo, quæ certe in Trinitate Catholicus est? .... Certe hic in iis, quæ ab hæreticis in Origenis Operibus addita sunt, consentire non potuit: & in ipsis περὶ ἀρχῶν quos tu interpretatus es, libris, breves scripsit Commentariolos quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt: sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur: & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur. Hoc dumtaxat de Filio, & Spiritu Sancto. Cæterum in aliis dogmatibus apertissime in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobant, Catholice & pie dictum esse defendunt:* Et infra: *Si conceditur ut quidquid in libris omnibus reperitur, ab aliis corruptum sit: nihil eorum erit, quorum fertur nominibus; sed iis deputabitur a quibus dicitur esse vitiatum. Quamquam & illorum non erit, quorum incerta sunt nomina: atque ita fiet, ut dum omnium omnia sunt, nihil alicujus sit. Hac defensionis perturbatione nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt: quia quidquid nos ab his impie dictum objecerimus, Discipuli respondebunt, non a Magistris suis ita editum, sed ab inimicis esse violatum.*

Et c. 5. Expostulationem Origenis adversus suorum Scriptorum adulteratores, referri tantum ait ad ipsius Dialogum cum Candido Valentiniano Hæretico, non ad alias lucubrationes. *Et intelligimus*, inquit, *in hoc tantum Dialogo ab Origene argui hæreticam falsitatem, & non in cæteris libris, de quibus nunquam quæstio fuit. Alioqui si omnia quæ hæretica sunt, non erant Origenis, sed hæreticorum; omnes autem propemodum illius Tomi his erroribus pleni sunt: nihil Origenis erit, sed eorum quorum ignoramus vocabula.*

Porro

Porro licet in ſua ad Amicos Alexandrinos Epiſtola negaverit Origenes diabolum poſſe ſalvari, graviterque ſit conqueſtus, quod error tam abſurdus ſibi affingeretur, in eum nihilominus lapſus poſtea eſt. Adeo ſua inconſtans in doctrina fuit. Et certo ex ipſius principiis hoc erroris monſtrum ſequebatur. Opinatus enim eſt ille mentes rationis compotes pro meritorum ſuorum menſura, ac modo variis illigari corporibus; ſubtilioribus, ſi in ſæculis retroactis probe vixerint; gravibus & craſſis, ſi male ſe geſſerint, eaſdemque quovis in ſtatu, libero ad bene vel male agendum arbitrio frui; ac proinde perpetuos a ſupernis ad inferiora lapſus eſse, & reditus. Hinc ſequitur continuos vel in felicitate, vel in pœnis futuros progreſſus aut regreſſus, prout in vitio, vel in virtute rationales mentes, & animæ profecerint; alternaſque fore beatitudinis & miſeriæ vices: adeoque damnatorum, & dæmonum ſupplicia nequaquam fore ſempiterna.

Quod vero nonnulla ſint vel in libris περὶ ἀρχῶν, vel in aliis Origenis Operibus, quæ ejuſdem carnis ſubſtantiam reſurrecturam evidenter probare videantur, non ſequitur eam fuiſſe Origenis ſententiam perpetuam & conſtantem, cum alia ejus loca probent ipſum in errorem huic veritati contrarium abiiſſe.

Præterea. Hæc quæ Catholicam doctrinam præſeferunt, non Origenis eſſe, ſed Rufini veriſimillimum eſt. Scilicet peſſimæ fidei Interpres Rufinus, ex libris περὶ ἀρχῶν quos tranſtulit, multa detraxit, addidit alia, turbavit omnia. Unde S. Hieronymus coactus eſt aliam horum librorum adornare Verſionem, ut pura puta Origenis doctrina omnibus innoteſceret.

Rufini porro perfidiam teſtatur ipſius Prologus in quo hæc habet: *Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid circa id invenimus, quod ab ipſo in cæteris locis pie fuerat de Trinitate definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus, aut ſecundum eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus affirmatam. Si qua ſane velut peritis jam & ſcientibus loquens, dum breviter tranſire vult, obſcurius protulit; nos ut manifeſtior fieret locus, ea quæ de ipſa re in aliis ejus locis legeramus, adjecimus explanationi ſtudentes: nihil tamen noſtrum diximus, ſed licet in aliis locis dicta, tamen ſua ſibi reddidimus.* Et poſt hæc quis non Rufini fraudes in iis locis ſubodoretur, quæ Catholicam Doctrinam exprimunt iis oppoſitam erroribus, quos ipſi Origeni Sanctus Hieronymus tribuit, & quos alia Operum ejus loca repræſentant?

Eaſdem Rufini fraudes S. Hieronymus perſtringit lib. 2. Apologiæ contra ipſum conſcriptæ, c. 3. ubi his ipſum verbis alloquitur: *Rogatus eras, ut quomodo habebatur in Græco in latinum verteres. Utinam feciſſes, quod rogatum te eſſe ſimulas! Nulli nunc invidiæ ſubjaceres. Si tu translationis ſervaſſes fidem, mihi neceſſitas non fuiſſet interpretationem falſam vera interpretatione ſubvertere. Novit conſcientia tua quæ addideris, quæ ſubtraxeris, quæ in utramque partem, ut tibi viſum fuerit, immutaris; & poſt hæc audes dicere, quod bona, & mala non tibi, ſed Auctori debeant imputari.*

Ad Vincentium Lirinenſem reſpondeo, ipſum figura conceſſionis uti contra eos, qui Origenem defendere poſsnt, & oſtendere, ejus Opera magnam eſſe in Eccleſia tentationem, quamvis ea ab hæreticis vitiata eſſe concederet.

Reſpondeo ad quartum, diſtinguo antecedens. Eccleſia probat lectionem librorum Origenis, modo ſumma cautione legantur, concedo, indiſcriminatim, quaſi nulli ſint cavendi errores, nego. Hinc Gelaſius Pontifex Maximus in Concilio Romano de Origenianis lucubrationibus ita decrevit: *Origenis nonnulla Opuſcula, quæ vir Beatus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus: reliqua autem omnia cum Auctore ſuo dicimus eſſe renuenda.* Hinc Theophilus Alexandrinus in Origenis, quem damnaverat, lectione aliquando deprehenſus, præclare dixit: *Libri Origenis ſimiles ſunt prato omni florum genere conſito. Si quid in iis ergo bonum invenio, id decerpo: quod ſi quid ſpinoſum videtur, id tamquam aculeum tranſilio.* Hinc S. Hieronymus Epiſt. 76. ad Tranquillinum data: Ego, inquit, *Origenem, propter eruditionem, ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores Græcos pariter & Latinos; ut bona eorum eligamus, vitemuſque contraria juxta Apoſtolum dicentem: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Cæterum

qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium, ſtomachi ſui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico ſubjacere: Væ his qui dicunt malum bonum, & bonum malum; qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus prava ſuſcipienda ſunt dogmata: nec propter dogmatum pravitatem, ſi quos Commentarios in Scripturas Sanctas utiles edidit, penitus reſpuendi ſunt.

Origenes hæreticus non fuit.

Ad id vero quod objicitur, Eccleſiam non depromere lectiones ex Operibus hominis hæretici, reſpondeo Origenem, etſi in multis erraverit, non fuiſſe tamen hæreticum. Neque enim errores pertinaciter defendit, nec a Catholicorum Epiſcoporum Communione receſſit; ſed in Eccleſiæ pace defunctus eſt. Ipſum certe fidei profeſſionem ad S. Fabianum Romanum Pontificem, & ad alios Eccleſiarum Præſides dediſſe, Auctor eſt Euſebius, lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 36. Unde S. Epiphanius ſingularis prudentiæ, & æquitatis ſpecimen dedit, cum Conſtantinopolim profectus, & adverſus Origenem agens, non ejus proſcriptionem, ſed librorum dumtaxat ipſius damnationem poſtulavit, ut teſtatur Gregorius Alexandrinus Epiſcopus in Vita S. Chryſoſtomi, c. 43. dicens de S. Epiphanio: *Non ipſum Origenem extra Communionem eſſe decrevit, ſed libros ſolum criminatus eſt.*

Nec obſtat quod hæretici nomen Origeni Patres, & Concilia tribuant. Nam doctrinæ, non perſonæ infamiam illam irrogarunt, & hæretici nomen latiori quadam ſignificatione uſurparunt. Bifariam namque ſumi poteſt hæretici appellatio: vel ad eum ſignificandum qui hæreſim condiderit, aut ſecutus ſit, eam licet ejurare paratus, ſi ab Eccleſia hæreſeos nomine damnata eſſet: vel ad deſignandum eum, qui non hæreſeos dumtaxat Auctor vel Sectator, ſed perpetuus etiam Propugnator & pertinax adverſus Eccleſiæ auctoritatem Aſſertor fuerit. Priori modo hæreticus fuit Origenes, non ſecundo.

De Origenis æterna ſors incerta.

Denique ad id quod de ejus æterna damnatione dicitur, reſpondeo, Deum, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, voluiſſe ut nos lateat Origenis ſtatus: quare non eſt temere definiendum, ſalvuſne ſit, vel damnatus Origenes. Sanctæ Mechtildi cœlitus revelatum ferunt, Deum conſulto homines celaſſe Samſonis, Salomonis, & Origenis ſtatum, ut hujus ignoratione perterriti doctiſſimi, prudentiſſimi, & fortiſſimi quique, nihil penitus de ſe, omnia de Deo ſperarent.

Nec refert quod in Prato Spirituali Joannis Moſchi (qui liber a Septima Synodo laudatus eſt, c. 26.) viſio quædam referatur, qua Origenes in pœnis inferni una cum cæteris viſus eſt hæreticis. Nam viſio illa explodenda eſt, cum Theophanis Neſtoriani Monachi propria fuerit, antequam converteretur ab hæreſi. Nec vero probata ſunt a Septima Synodo quæcumque in Prato Spirituali referuntur, ſed ea dumtaxat, quæ ſacrarum Imaginum cultum ſpectabant.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, & ad pagin. 540. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *In meri facti controverſiis Eccleſiæ auctoritas non cogit.*

R. Tam vere id a me ſcriptum, quam a *S. Thoma* Articulo ultimo Quodlibeti 9. ſcriptum eſt: *In his quæ ad particularia facta pertinent, Eccleſiæ judicium errare poteſt.*

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, & ad pag. 559. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Mortui poſſunt excommunicari.*

R. Hæc Propoſitio non eſt mea, mihi gratis affingitur. Hæc verba Quintæ Synodi Generalis refero, Collatione 5. *Et multos quidem etiam alios invenimus poſt mortem anathematizatos: necnon etiam Origenem.* Aliud eſt, mortuis anathema dici in execrationem errorum, vel eorum libros damnari, aliud mortuos excommunicari.

SCHO-

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, & ad pag. 572. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Origenes non est hæreticus, neque certum est an sit damnatus.*

R. Pleraque doctrinæ Origenis capita hæretica esse probavi; sed *Origenem* propterea hæreticum fuisse nego, quia errores pertinaciter non defendit, nec a Catholicorum Episcoporum communione recessit, sed in Ecclesiæ pace defunctus est: *Sed & ad Fabianum Romanæ Urbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites de recta Fidei suæ ratione Epistolas scripsit*, teste *Eusebio* lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 36. *Origenem* pie defunctum constanter asseruit *Theotimus* Episcopus Scythiæ, vir ob pietatem vitæque sanctimoniam celeberrimus, ut refert *Socrates* lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 12. Quod salutem *Origenis* spectat, dubia certe res est. *Grandis labyrinthus* (inquit Wernerus Westphalus) *a diversis texitur de Samsone, Salomone, Origene, an videlicet salvati sint, an non; quæ quia sine periculo nesciuntur, nec Ecclesia certificata est de his, Domino totaliter committenda sunt.*

ARTICULUS II.

Utrum Origenes de Filio Dei recte senserit?

PROPOSITIO.

Origenes de Filii Dei Majestate, ac Divinitate pessime sensit.

PRobatur primo. Qui Patrem & Filium duos esse dixit substantia, unum consensu & concordia, de Filii Divinitate pessime sensit; sed Origenes scripsit, Patrem & Filium duos esse substantia, unum vero consensu & concordia; pessime igitur sensit de Filio Dei.

Probatur minor ipsiusmet Origenis verbis, lib. 8. contra Celsum: *Itaque*, inquit; *religiose colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem substantia, unum vero concordia, consensu, voluntatisque identitate*. Non me fugit Hœschelium non ita vertere, sed sic: *Patrem & Filium duos subsistentia, unum vero concordia*. Sed ὑπόστασιν pro οὐσίαν fuisse ab Origene acceptam certum est; tum quia S. Hieronymus, qui libros Origenis assidua lectione contriverat, de hujus notione vocis ait Epistola 57. ad Damasum: *Tota sæcularium literarum Schola nihil aliud ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit*: tum quia unitatem concordiæ memoravit dumtaxat inter Patrem & Filium. At post assertam distinctionem Patris & Filii quoad subsistentiam, memoranda fuisset eorum unitas quoad essentiam, nisi ὑπόστασιν pro essentia usurpasset.

Et rursus eodem libro, p. 387. *Esto autem* (inquit Origenes) *non deesse quosdam ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis temere affirment, quod Servator sit ille universorum Deus: hoc certe nos non facimus, qui credimus ipsi dicenti: PATER qui misit me, major est*. Affirmabant Christum esse universorum Deum, idque vere & orthodoxe. Pertinet illud sane ad divinam Christi naturam, non ad humanam. Negat e contrario *Origenes*, Servatorem nostrum esse universorum Deum; quod inde probat, quia Patre minor sit, qui est universorum Deus. Divinæ ergo Christi naturæ detrahit supremam illam Divinitatem rerum universarum dominatricem, & Patri uni addicit; proindeque Filium inferiorem Patre statuit, non tantum ut hominem Deo, sed ut Deum Deo.

Et libro 5. *contra Celsum*, p. 238. Bonitatem illam supremam, quæ Deo Patri convenit, Christo detrahit, non tantum quatenus homo est, sed etiam quatenus imago est bonitatis Dei, hoc est, quatenus Deus. *Servator noster & Dominus*, inquit, *appellatus aliquando Præceptor bonus, ad Patrem suum remittens eum qui se sic appel-*

lave-

laverat, inquit, QUID me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus, nempe Deus Pater. Quod si id merito ut imago Bonitatis Dei dixit dilectus Patris Filius, an non justius Sol diceret suis Adoratoribus: quid me adoras? Dominum Deum tuum adorabis.

Probatur secundo. Qui Sapientiam æternam creatam esse ait, solumque Patrem verum Deum esse; & ita comparari Filium ad Patrem in communione Divinitatis, sicut rationales creaturæ ad Filium ipsum, qui primigenia & subsistens ratio est, in communione & similitudine rationis; ille pessime sensit de Filio Dei: atqui hæc dixit Origenes: ergo Filii Dei perversis opinionibus suis læsit Majestatem.

Probatur minor ipsis Origenis verbis, Tomo 1. in Joannem: *Dicendumque est*, inquit, *Deum cum animatam sapientiam creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris & speciebus, quas ipse habebat, subsistentiam, & plasmationem, & formas præberet entibus, & materiæ.*

Et Tomo 2. in Joannem, notat quando in sacris Libris ὁ θεὸς cum Articulo ponitur, Patrem intelligi, qui verus Deus est; cum autem sine Articulo θεὸς legitur, Deum, ac cæteros significari, qui Dii participatione quadam nominantur. *Sed quoniam*, inquit, *verisimile est futurum, ut multi offendantur, quia dixerimus unum esse verum Deum, neque Patrem, & præter Deum verum multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo: præter datam differentiam, per quam Deum λόγος diximus, reliquis omnibus Diis Ministrum esse Deitatis, etiam hæc differentia est apponenda. Ea enim ratio, quæ in singulis rationis capacibus inest, eamdem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, & Deus est λόγος, quam habet Deus λόγος, id est ratio sine articulo, ad Deum cum articulo. Ut enim Pater αὐτόθεος (hoc est per se Deus, & verus Deus) se habet ad imaginem, & ad imagines imaginis; sic hunc in mundum se habet ipse λόγος, hoc est, ipsa ratio, ad eam quæ in singulis est rationem.* Sicut ergo Filius Dei, qui est ratio ipsa primigenia & subsistens, superior est creaturis rationis compotibus, nec eamdem cum ipso dignitatem & essentiam habent illæ: ita nec Filium ejusdem esse existimavit cum Patre dignitatis atque Divinitatis.

Probatur tertio. Qui Christi Filii Dei Cultores medium tenere locum scribit inter eos qui Deum universorum adorant, & eos qui Solem, Lunam, & reliqua sydera velut numina quædam venerantur, ille opinatus est Dei Filium inferioris esse gradus ac dignitatis a Patre: atqui id scripsit Origenes: ergo Filium Dei opinatus est inferiorem esse Patre in gradu Divinitatis.

Probatur minor Origenis verbis, Tomo 2. in Joannem: „ Deum igitur, *inquit*, alii „ quidem Deum universorum habent: qui vero hos proxime sequuntur, in Christum „ Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertii vero sunt, qui Solem, Lunam, omneque cœ„ li ornamentum habentes, a Deo aberrant; verumtamen errore longe præcellenti „ præstantioreque, quam eorum qui vocant Deos opera manuum hominum, aurum & „ argentum, artis excogitationes.

Probatur quarto. Qui omnia a Patre, qui Verbo superior est, facta esse contendit, non a Verbo ipso, quamvis per Verbum condita fateatur, non sentit ut par est de Filii Dei Majestate; sed Origenes contendit omnia facta esse a Patre, qui Verbo superior est, non ab ipso Verbo: ergo non sensit ut par erat de Filii Dei Majestate.

Probatur minor ipsis Origenis verbis Tomo 2. in Joannem: *Si omnia*, inquit, *per Sermonem facta fuerunt, non a Sermone facta fuerunt, sed ab eo qui ipso Sermone major est: quem quis alium dixerit quam Patrem ipsum?* Impingit subinde in alium errorem contra Divinitatem Spiritus Sancti, quem recentiorem ait esse Verbo, & ab ipso factum. *Verum cum sit*, inquit, *omnia per Sermonem facta fuisse; si quis dicat factum esse Spiritum Sanctum, & admittat omnia per Sermonem facta fuisse: is etiam fateatur necesse est Spiritum ipsum a Sermone factum, nimirum Sermone ipso antiquiore existente Spiritu.*

Probatur quinto. Qui Bonitatem supremam, quæ Patris æterni propria est, Christo detrahit, non solum ut homo est, sed ut est imago bonitatis Patris, male sentit

de

de Filio Dei: ſed Origenes Bonitatem ſupremam, quæ Patris æterni propria eſt, Chriſto detrahit, non ſolum qua homo eſt, ſed qua eſt imago bonitatis Patris: peſſime igitur ſentit de Filio Dei.

Probatur minor verbis Origenis Tomo 15. in Matthæum, ad illa verba „ Magiſter „ bone, *&c.* Et Servator quidem, *inquit*, quemadmodum eſt imago Dei inviſibilis, „ ita & imago bonitatis illius eſt; alia eſt autem vocis hujus, Bonum, ſignificatio, „ cum inferiori cuivis applicatur, ſi modo reſpectu Patris imago eſt bonitatis ipſius, „ & eam habet erga reliqua omnia rationem, quam bonitas Patris erga ipſum: vel „ etiam proportionem quamdam affinem magis & propinquam inter bonitatem Dei „ reſpectu Filii, qui bonitatis ipſius imago eſt, obſervare licet, quam Servatoris reſ- „ pectu hominis boni, vel boni operis, vel arboris bonæ: plus etenim inferioribus „ bonis Servator præſtat, quatenus imago eſt bonitatis Dei ipſius, quam Deus, qui „ bonus eſt, Servatori qui dixit: Pater qui miſit me, major me eſt, qui & aliorum „ ratione eſt bonitatis Dei imago.

Probatur ſexto auctoritate Sancti Hieronymi, in Epiſtola ad Avitum, ubi Origenem læſæ Filii Dei Majeſtatis reum peragit, prolatis ejus blaſphemiis ex libris περὶ ἀρχῶν quorum translationem ad ipſum mittit rogatus. „ Accipe igitur *inquit*, quod petiſti: „ ſed ita ut ſcias deteſtanda tibi in eis eſſe quamplurima: & juxta ſermonem Domini „ inter ſcorpiones & colubros incedendum: ut eſt illud ſtatim in primo Volumine: „ Chriſtum Filium Dei non natum eſſe, ſed factum: Deum Patrem per naturam in- „ viſibilem a Filio non videri: Filium qui ſit imago inviſibilis Patris, comparatum „ Patri non eſſe veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non poſſumus re- „ cipere veritatem, imaginariam veritatem videri: & ut majeſtas ac magnitudo ma- „ joris quodammodo circumſcripta ſentiatur in Filio, Patrem eſſe lumen incomprehen- „ ſibile; Chriſtum collatione Patris ſplendorem eſſe perparvum, qui apud nos pro „ imbecillitate noſtra magnus eſſe videatur duarum ſtatuarum, majoris & parvulæ; „ unius quæ mundum impleat, & magnitudine ſua quodammodo inviſibilis ſit; & „ alterius, quæ ſub oculos cadat, ponit exemplum: priori Patrem, poſteriori Filium „ comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis: Fi- „ lium non eſſe bonum, ſed auram quamdam, & imaginem bonitatis; ut non dicatur „ abſolute bonus, ſed cum additamento, Paſtor bonus, *&c.* Tertium dignitate & „ honore poſt Patrem, & Filium, aſſerit Spiritum Sanctum. De quo, cum ignora- „ re ſe dicat, utrum factus ſit, an infectus, in poſterioribus quid de eo ſentiret ex- „ preſſit, nihil abſque ſolo Deo Patre infectum eſſe confirmans, Filium quoque mino- „ rem Patre, eo quod ſecundus ab illo ſit.

Hæc quidem in libris περὶ ἀρχῶν hodie non extant, quia ſolam habemus Rufini translationem, qui illa expunxit, & detraxit, addiditque alia non pauca illis libris, ut ipſemet in Prologo ſuæ interpretationis fatetur. Excidit autem non ſine magna Eccleſiæ, & reipublicæ literariæ jactura verſio eorumdem librorum a S. Hieronymo adornata, quæ ipſas Origenis ſententias & decreta ſincere & integre repræſentabat.

Probatur ſeptimo, auctoritate S. Epiphanii, Hæreſi 64. *Eo*, inquit, *temeritatis progreſſus eſt, ut aſſerat Unigenitum Filium Patrem videre non poſſe, neque Spiritum Filium, neque Angelos Spiritum, neque homines Angelos. Atque hic primus illius lapſus fuit. Ita enim ex Patris ſubſtantia Filium eſſe cenſet, ut nihilominus creatus fuerit. Quem quidem ſola id gratia conſecutum exiſtimat, ut Filius diceretur.*

Et in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, vocat *Origenem Arii Patrem, & aliarum hæreſum radicem, & parentem.* Et poſtea ſubdit: *Quis Catholicorum poſſit æquo animo ſuſtinere, ut audiant Origenis doctrinam, atque conſilium, & credant præclaræ illius prædicationi: Non poteſt Filius videre Patrem, neque Spiritus Sanctus videre Filium? Hæc in libris περὶ ἀρχῶν ſcribuntur, his verbis legimus, & ita locutus eſt Origenes. Sicut enim incongruum eſt dicere, quod poſſit Filius videre Patrem; ſic inconſequens eſt opinari quod Spiritus Sanctus poſſit videre Filium.*

Probatur octavo ex S. Auguſtino, libro de Hæreſibus, c. 48. ubi cum ex S. Epiphanio in Anacephalæoſi retuliſſet, Origenianos Chriſtum & Spiritum Sanctum in ordi-

nem

nem creaturarum redigere, ſtatim ſubjungit: *Hæc quidem de Origene Epiphanius refert: ſed Defenſores ejus dicunt, Origenem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius ejuſdemque ſubſtantiæ docuiſſe; neque reſurrectionem repuliſſe mortuorum: ſed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Dicit præterea ipſe Origenes, quod Filius Dei ſanctis hominibus comparatus, veritas ſit: Patri collatus, mendacium; & quantum diſtant Apoſtoli Chriſto, tantum Filius Patri. Unde nec orandus eſt Filius cum Patre, quia non eſt Auctor indulgendarum petitionum, ſed ſupplicator.*

Probatur nono ex Juſtiniano Imperatore, in Epiſtola ad Mennam, ubi de Origene hæc habet: *Qui ante omnia in ipſam ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem blaſphemias auſus eſt dicere: Patrem majorem eſſe Filio, Filium Sancto Spiritu, Spiritum Sanctum aliis ſpiritibus. Porro hoc ad impietatem ſuam addidit, ut diceret, nec poſſe Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: ipſum Filium & Spiritum Sanctum creaturas eſſe, quodque nos ſumus ad Filium, Filium eſſe ad Patrem.* Et infra: *In Sancta Trinitate gradus excogitans, inde vult multitudinem Deorum inducere.* Et ad finem Epiſtolæ multa profert loca ex libris περὶ ἀρχῶν, quæ horum dogmatum impietatem Origenianam prorſus eſſe demonſtrant. Conſtat itaque Origenem peſſime de Filio Dei ſenſiſſe. His adde Leontii teſtimonium lib. de Sectis Act. 10. *Quamvis inferiorem Filio gradum tradit, tamen eum purgare nituntur. At vero manifeſte hanc opinionem fovet, & excuſationem nullam habet.*

Probatur ultimo ex S. Thoma I. Parte? Quæſt. 34. Artic. 1. ad 1. ubi vocat Origenem, *Fontem Arianorum.*

Objiciunt Origenis hac in parte defenſores. Qui dixit Filium Dei non eſſe ex non extantibus, non eſſe factum, non eſſe diverſæ naturæ, vel ſubſtantiæ a Patre, & in utroque eſſe plenitudinem Divinitatis, Catholice ſenſit de Filio Dei: ſed Origenes hæc dixit: ergo Catholice ſenſit de Filii Dei Majeſtate.

Probatur minor ex verbis Origenis, variis in locis. Primo ex lib. 6. contra Celſum: *Non enim*, inquit, *eum qui factus non eſt, & naturæ omnis factæ primogenitum pro dignitate ſcire quis poteſt, ſicut ille qui ipſum genuit Pater.*

Et rurſus dicenti *Celſo*, Deum neque ratione eſſe comprehenſibilem, ſic reſpondet: *Diſtinguo ſignificatum, & dico, ſi intelligatur de ratione quæ vel inſerta eſt nobis, vel e nobis ſe exerit, hac non eſſe Deum comprehenſibilem. Sin de illa quæ erat a principio, & quæ erat apud Deum, & ipſa erat Deus, aimus hac Deum eſſe comprehenſibilem.*

Et lib. 5. rationem reddens, cur Chriſtiani Filium Dei, non Solem, Lunam, ſtellaſque adoratione proſequantur, ita differit: *Itaque non decebat eos qui didicerant generoſe creaturam tranſcendere, contendebantque ſtudiis ferventibus ad immarceſcibilem illam Sapientiam, aut jam perceperant eam, eam (inquam) quæ æternæ lucis ſplendor eſt, obſtupeſcere ad Solis, Lunæ, ſtellarumque lumen ſenſibile, in tantum ut propterea ſe inferiores exiſtimarent; cum ipſi habeant tantam lucem intelligibilem, lucem veram, lucem mundi lucem hominum, eamque adorent.* Hic aperte dicit *Origenes*, Sapientiam, ſive Filium Dei eſſe lucem illam veram, lucem Mundi, æternæ lucis ſplendorem, quem Chriſtiani neglectis ſole, luna, cæteriſque cœli luminibus ideo colant, quod edocti ſint in cultu ſuo omnem creaturam generoſe tranſcendere.

Et libro quarto. *Quod ſi Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale animamque aſſumpſerit, Celſo idcirco immutari videatur; diſcat Verbum manere Verbum ſua ſubſtantia, nec pati eorum quidquam quæ corpus aut anima patitur; condeſcendere tamen interdum non valentibus ejus claritatem ac ſplendorem Divinitatis intueri, ac veluti carnem factum, loqui corporaliter.* Hic clare docet *Origenes* Verbum eſſe Deum immortalem, ſubſtantia ſua immutabilem, & quatenus in forma Dei ſubſiſtit, pariter cum Patre naturæ omnino incorruptibilis, ſimplicis, & incompoſitæ.

Et libro III. *Ceſso* Chriſtianis objicienti, quod Jeſum mortali corpore conſtantem credant eſſe Deum, ita reſpondet: *Sciant iſti criminatores, hunc Jeſum, quem ab initio Deum, Deique Filium eſſe credimus, ipſum eſſe Verbum, ipſam ſapientiam: cæterum mortale illius corpus & humanam in eo animam illius Verbi non ſolum communi-*

catio-

eatione, ſed etiam unione & permixtione, maxima quæ dicimus accepiſſe, & Divinitatem ejus participantia in Deum evaſiſſe.

Et *Homilia* 12. *in Numeros*: „ Eſt ergo, *inquit*, hæc trium diſtinctio Perſonarum, „ in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum revoca„ tur. Sed horum puteorum unus eſt fons: una enim ſubſtantiam eſt, & natura „ Trinitatis.

Et *lib.* 4. *in Epiſtolam ad Romanos*: „ Fidere autem dicimus in Patrem, & Filium, „ & Spiritum Sanctum, qui integram ſubſtantiam plenam, perfectam, qui nihil di„ verſum, nihil diſcrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.

Et *lib.* 5. *de Chriſto ſic loquitur*: „ Non rapinam ducit eſſe ſe æqualem Deo: hoc „ eſt, non ſibi magni aliquid deputat, quod ipſe quidem æqualis Deo, & unum cum „ Patre eſt.

Et *l.* 8. „ Sunt enim nonnulli qui annuntiant quidem de Patre, & Filio, & Spiri„ tu Sancto non ſincere, non integre, ut ſunt omnes Hæretici, qui Patrem quidem, „ & Filium, & Spiritum Sanctum annuntiant, ſed non bene, non fideliter annuntiant. „ Aut enim male ſeparant Filium a Patre, ut alterius naturæ Patrem, alterius Filium „ dicant; aut male confundunt, ut ex tribus compoſitum Deum; vel trinæ tantum„ modo appellationis in eo eſſe vocabulum putent. Qui autem bene annuntiat bona, „ proprietates quidem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ſuas cuique dabit; nihil au„ tem diverſitatis eſſe confitebitur in natura vel ſubſtantia.

Et *l.* 1. περὶ ἀρχῶν *c.* 2. „ Secundæ vero comparationi, *inquit*, imago Filii Dei, „ de qua nunc ſermo eſt, comparari poteſt, & ſecundum hoc quod inviſibilis Dei ima„ go inviſibilis eſt, ſicut ſecundum hiſtoriam dicimus ſimilitudinem Adæ filium Seth: „ ita enim ſcriptum eſt: Et genuit Adam Seth ſecundum imaginem ſuam, & ſecun„ dum ſpeciem ſuam. Quæ imago etiam naturæ ac ſubſtantiæ Patris & Filii conti„ net unitatem.

Et *l.* 4. in Anacephalæoſi: „ Veritas, Vita, Sapientia, idem ſunt ac Chriſtus: Chri„ ſtus idem ac Pater. Quæ quamvis intellectu multa dicantur; re tamen & ſubſtan„ tia unum ſunt, in quibus plenitudo eſt Divinitatis.

Confirmatur ex S. Athanaſio, qui Origenis auctoritate Arianos impugnat, & Nicænam Fidem confirmat, quod nequaquam præſtitiſſet, ſi male de Filii Dei Majeſtate ſenſiſſe Origenem fuiſſet arbitratus, & Patrem Arianorum exiſtimaſſet, ſicut eum poſteriores Athanaſio Doctores appellarunt: Et certe nihil eſt cum Fide Nicæna convenientius Origenianis teſtimoniis quæ a Sancto Athanaſio proferuntur. Sic autem habet in libro de Decretis Synodi Nicænæ contra Hæreſim Arianam p. 423. „ Verbum „ porro æternaliter eſſe cum Patre, neque alterius eſſentiæ aut ſubſtantiæ, Patriſ„ que ſui proprium Filium, ut ſancitum eſt ab illis qui Synodo interfuerunt, licebit „ denuo ex laborioſo illo Origene audire. Quæ enim diſputandi, certandique gratia „ ſcripſit, ea non quaſi ipſius ſint verba, aut quaſi ipſe ita ſentiat, ſed eorum qui „ cum eo contentioſius diſputarunt, accipienda ſunt. Hæc igitur laborioſi illius Ori„ genis ſententia eſt. Poſt illa ergo, quæ certandi gratia, quaſi in palæſtra adverſus „ hæreticos adduxerat, ſtatim iſta, quæ propria ipſius ſunt, ſubintulit. SI EST, *in„ quit*, ulla imago inviſibilis Dei, ipſa quoque imago inviſibilis fuerit: immo hoc quo„ que auſim addere, cum ſit ille ſimilitudo Patris, fieri non poſſe, ut fuerit quando „ non fuerit. Quando enim Deus, qui ſecundum Joannem Evangeliſtam lux dicitur, „ ſplendore caruit ſuæ Majeſtatis? Ut quis audeat Filio principium adſcribere, quaſi „ antea non exiſtenti? Quando autem non erat ineffabilis illa innominabilis, inenar„ rabiliſque Patris ſubſtantiæ imago, forma, ratio, quæ Patrem cognoſcit? Cogitet „ ſecum quicumque audebit dicere: Erat quando non erat Filius; ſe hoc ipſum di„ cere: Erat quando ſapientia non erat, quando ratio non erat, quando vita non „ erat.

Profert ibidem S. Athanaſius aliud æque luculentum Origenis teſtimonium: „ Idem Origenes, *inquit*, alibi dicit: Sed fas non eſt, neque periculo vacuum eſt, ob infir„ mitatem noſtram, quantum in nobis eſt, ſpoliare Patrem unigenito ſuo ſemper ſe-

„ cum

„ cum exiſtente Verbo; ſpoliare etiam eum ſua ſapientia, in qua lætabatur: inde enim „ colligeretur eum non ſemper lætatum fuiſſe.

Reſpondeo ad argumentum: nego minorem, quod ſcilicet hæc omnia dixerit Origenes. Enimvero quæ prolata ſunt loca, exceptis illis ex libris contra Celſum, ex iis Operibus deprompta ſunt, quæ Rufinum Interpretem, aut, ut verius dicam, Interpolatorem habuerunt. Hic porro ut Origenianos errores celaret, omnia ferme loca expunxit, quæ Trinitatis fidem violabant, & Filii Divinitatem oppugnabant; addidit autem alia quæ fabricatus ipſe eſt, cujuſmodi videntur eſſe ea quæ in objectione laudata ſunt, & alia quæ poſſunt proferri.

Ad locum ex lib. 6. contra Celſum reſpondeo, negaſſe ibi Origenem Filium eſſe factum, ſed non negaſſe alterius numero eſſentiæ a Patre eſſe, & Divinitatis uno gradu inferioris. Id conſtat ex loco in probationibus allato ex lib. 8. contra Celſum & aliis.

Ad alia teſtimonia ex libris *contra Celſum* deprompta reſpondeo, *Origenem* ab ea quidem impietate erroris longe abfuiſſe, quæ *Arii* proprie fuit, nec Verbum Dei creaturam aſſeruiſſe, ſive ex non extantibus conditum, ſed Dei Filium proprie, Deum immortalem, lucem mundi, ipſam Veritatem, ipſam Sapientiam: ſed tamen de Filio Dei non recte in omnibus ſenſiſſe, quem Patre inferiorem ſenſit ea etiam ratione, qua Deus eſt; ita ut non ſit ille ſummus univerſorum Deus ſicut Pater, nec ſicut ille ſumme bonus.

Ad confirmationem reſpondeo, Sanctum Athanaſium adduxiſſe contra Arianos illa Origenis teſtimonia, quia capitalem Arii blaſphemiam evertebant, *Fuit quando non erat Dei Filius; Filius Dei eſt ex non extantibus*. Hoc autem ſatis erat ad inſtitutum Sancti Athanaſii. Sed non evincunt Origenem Catholicam in omnibus de Filio Dei tenuiſſe ſententiam, & ejus dignitatem nullatenus imminuiſſe. Sed enim coæternum Patri cenſere potuit Dei Filium, & ex Patris prodeuntem ſubſtantia: Sicut radius Solis coæternus eſſet Soli, ſi Sol conditus eſſet ab æterno, & ex Solis ſubſtantia manaſſet. Sicut tamen ſolaris radius, quamvis ejuſdem ſubſtantiæ cum Sole, eſt Sole inferior, nec una & eadem numero eſt Solis radiique natura: ita Origenes Filium exiſtimavit, aſſeruitque coæternum Patri, & ex Patris ortum ſubſtantia, quam tamen non eamdem numero, nec pari perfectionis gradu ſibi vindicaret.

Reſpondeo denique, Origenem vi traditionis victum & abreptum, pias quandoque voces de Filio Dei effudiſſe, & pravis ſuis dogmatibus vel invitum contradixiſſe. Quidni enim de ipſo hic dicamus, quod præclare Sanctus Baſilius dixit libro de Spiritu Sancto, c. 29. ubi non negat Origenem male de Spiritus Sancti Majeſtate ſenſiſſe, licet interdum de eo videatur Catholico ſenſu locutus? *Jam vero*, inquit, *& Origenem multis in locis Expoſitionum, quas in Pſalmos edidit, deprehendimus cum Sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum qui non omnino ſanas habet de Spiritu* (dicam ego, de Filio) *opiniones, nihilominus & hic reveritus conſuetudinis robur, pias voces emiſit de Spiritu.* (Dicamus nos, de Filio.) *Ad hunc modum opinor traditionis vis ſæpe compulit homines ſuis ipſorum dogmatibus contradicere.*

ARTICULUS III.

Utrum Origenes Pelagiani, & Semipelagiani erroris fundamenta ejecerit.

PROPOSITIO.

Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem præformavit Origenes.

PRobatur primo. Qui gratiam refudit in merita, quæ vel in ſuperiori quadam vita ab animabus nondum corpori illigatis parta eſſent, vel in hac mortali vita liberum arbitrium protuliſſet, Pelagianorum errorem præformavit: atqui Origenes gratiam in merita præcedentia hoc pacto refudit: Pelagianorum igitur præformavit errorem.

Pro-

Probatur minor ipsis Origenis verbis lib. 1. περὶ ἀρχῶν, c. 3. ubi aliam gratiam præter naturam rationalem, quam hoc etiam nomine insignit, exponens ait: *Est & alia quoque etiam Spiritus Sancti gratia, quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, impetrata autem a Patre secundum meritum eorum, qui capaces efficiuntur.*

Et c. 7. Jeremiæ ipsius sanctificationem præcedentibus meritis collatam decernit, hancque suæ assertionis rationem profert: *Ne forte non judicio, nec pro meritis replere aliquem Deus videatur Spiritu Sancto, & sanctificare merito.* Alioqui fore Deum personarum acceptorem comminiscitur: *Et quomodo*, inquit, *effugiemus illam vocem, quæ ait: Numquid injustitia est apud Deum? Absit.* Hinc parvulos ipsos vasa in honorem, vel in contumeliam effici ait propter merita præcedentia: *Itaque*, inquit, *concludent, quia prius gestorum uniuscujusque causa precedit, & pro meritis suis unusquisque a Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ. Unumquodque igitur vas, ut vel ad honorem a Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit Conditori.*

Et l. 3. περὶ ἀρχῶν, c. 1. *Quod si justa hæc videtur assertio*, inquit, *sicut est certe justa, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus causis unumquodque vas vel ad honorem a Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur absurdum eodem ordine, atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores causas, eadem etiam de animarum ratione sentire; & hoc esse in causa, quod Jacob dilectus est etiam, dum adhuc inventre matris haberetur.*

Probatur secundo. Qui initium fidei in nobis asseruit esse ex nobis, perfectionem vero ejus, & augmentum a Deo, Semipelagianorum errori prolusit: atqui Origenes id asseruit: ergo prolusit Semipelagianorum errori.

Probatur minor ipsius verbis, l. 9. in Epistolam ad Romanos, ad illa verba Apostoli: *Habentes donationes, unusquisque secundum mensuram fidei*: quæ sic exponit: *Quod autem dixit, secundum rationem, vel mensuram fidei, puto jam plene in superioribus expositum, quæ sit fides, quæ a nobis requiritur, & quæ sit quæ a Deo per gratiam datur, secundum hoc quod idem Apostolus dicit: Alii fides in eodem Spiritu: & item ubi ad Dominum dicunt: Auge nobis fidem. Quod fides quidem quæ speret, & credat, & absque ulla dubitatione confidat, in nobis est, ratio vero fidei ipsius & scientia, & perfectus eorum intellectus quæ credimus, donatur a Deo . . . . . Ut ergo in nobis tanta fides inveniatur, quantam possit sublimior gratia promereri, nostri operis videtur, & studii.*

Probatur tertio. Qui solam possibilitatis gratiam a Pelagio assertam, a S. Augustino reprobatam prædicavit, Pelagianorum præformavit errorem, sed Origenes solam possibilitatis gratiam prædicavit; Pelagianorum itaque præformavit errores.

Probatur minor ipsius verbis, l. 3. περὶ ἀρχῶν, c. 2. *A Deo datur*, inquit, *non ut sustineamus, alioquin nullum jam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus: Ea autem virtute, quæ nobis data est ut vincere possimus, secundum liberi arbitrii facultatem, aut industrie utimur & vincimus, aut segniter, & superamur. Si enim totum nobis hoc detur ut omni genere superemus, & nullo modo vincamur, quæ jam superest causa certandi ei, qui vinci non potest? Aut quod palmæ meritum, ubi repugnandi adimitur, vincendique facultas? Si vero æque quidem omnibus nobis vincendi possibilitas præbeatur, in nostra autem posita sit potestate, quomodo hac possibilitate uti debeamus, id est, vel industrie, vel segniter, justa erit vel victi culpa, vel palma victoris.*

Probatur quarto. Qui vocationem secundum propositum Dei non agnovit, sed secundum propositum hominis, vel secundum propositum Dei religiosam mentem, & salutis desiderium in hominibus prævidentis, ille merito fons Pelagiani erroris asseritur: atqui Origenes ita sentit de vocatione: fons igitur Pelagiani erroris merito asseritur.

Probatur minor ipsius verbis, l. 7. Commentarii in Epistolam ad Romanos: *Videtur mihi*, inquit, *esse quædam vocationis differentia; quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum bonum & bonam voluntatem, quam circa Dei cultum gerunt,*

gerunt, vocantur. Ipsi sunt qui secundum propositum vocati dicuntur, & isti sunt qui vocati, justificati sunt. Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio . . . Quos ergo vocavit, id est, quos secundum propositum vocavit boni, illos & justificavit. Quod si secundum propositum ad Deum referatur, hoc est, ut secundum Dei propositum qui sciens in eis religiosam mentem, & salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videtur his quæ exposuimus, etiam hoc esse contrarium.

Objicies: Origenes gratiæ necessitatem ad implenda Christianæ pietatis opera magnifice commendavit, naturæ semper prædicavit impotentiam: ergo immerito dicitur Pelagianorum errorem delineasse.

Probatur antecedens ipsius verbis Homilia 4. in Psalmum 36. *Vides ergo*, inquit, *quia Domini semper auxilio indigemus, primo ne cadamus, tum deinde, etiamsi ceciderimus, ut resurgamus.*

Et in Psalmum 126. exponens illa verba: *Nisi Dominus ædificaverit domum, frustra laborant qui ædificant eam: & Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*; hæc habet: *Ædificat domum quicumque proficit, custodit civitatem quicumque perfectus: vanum autem opus ædificantis, & vana custodia servantis, nisi Dominus ædificaverit, & Dominus custodierit. Extra liberam voluntatem nostram fuerit bonum, virtus Domini, quæ ædificantis ædificationem adjuvat, & ei opitulatur, unaque cum eo ædificat, qui ædificationem per se consummare non potest.*

Et infra: *Non solum igitur ad id ut honestus & bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra, & divina ope conspirante, quæ quantum ad nos arbitraria non est, sed ad id etiam, ut qui honestus & bonus evasit, in virtute perseveret: quod nimirum in ruinam delapsurus sit etiam perfectus, si in honestate fuerit elatus, & sibi hujus causam arroget, nec debitam gloriam referat ei, qui multo plus ad acquirendam & retinendam contulit.* Quibus certe ad gratiæ necessitatem commendandam luculentius, magnificentiusque nihil dici potest.

Et Tractatu 35. in Matthæum, ubi de lapsu S. Petri locutus est, hæc habet: *Per hoc instruimur, ut numquam sine consideratione aliquid promittamus, super habitudinem nostram humanam; quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis, aut aliquod præceptorum Dei.*

Respondeo, distinguo antecedens. Origenes gratiæ necessitatem, & naturæ impotentiam ad pietatis opera perficienda prædicavit, esto: ad eadem inchoanda, nego. Nec aliud probant mox laudata testimonia, si ad veritatis trutinam expendantur, & conferantur cum aliis quæ in probationibus protuli.

Distinguo secundo antecedens. Gratiæ generalis, seu generalis auxilii, quod improprie gratia dicitur, necessitatem commendavit, concedo; gratiæ Christi seu peculiaris auxilii voluntate intus moventis, & convertentis, nego. Itaque Origenes eatenus dixit nos aliquod præceptorum Dei implere non posse ex nobis, & ædificationem spiritalem per se consummare posse neminem, & Dei semper auxilio nos indigere, quatenus generale auxilium necessarium existimavit ad pietatis opera; quia scilicet actus singulos voluntatis a Deo habemus, qui volendi facultatem tribuit perenni ad singulas volitiones concursu. Ita exponit illud S. Pauli ad Philippenses 2. *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Cum enim ex hoc loco concluderent nonnulli, libero nos arbitrio carere, siquidem velle & agere a Deo est, sic respondet Origenes: *Non dicit Apostolus, velle mala, aut velle bona ex Deo esse, neque item meliora vel pejora facere; sed & universe velle, & universe currere. Ut enim a Deo habemus ut animalia simus, & homines, ita & universe velle, & universe (ut ita dicam) moveri. Quemadmodum igitur, etsi habeamus a Deo ut animalia simus & moveamur, ut hæc vel illa membra, manus, aut pedes moveamus, non tamen jure dixerimus, speciem hanc motus, ut moveamur ad cædendum, aut interficiendum, aut aliena rapienda ex Deo habere, sed motum in universum a Deo accepimus: sed motu ad meliora, vel deteriora utimur: ita & vim agendi, qua animalia sumus, & velle ab Opifice accepimus: Nos autem qua homines, voluntate ad honesta, vel ad contraria, quemadmodum & agendi virtute utimur.*

Sic

Sic Origenis mentem exponit Sanctus Thomas III. contra Gentes, c. 89. Merito igitur S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, vocat Pelagianam Hæresim, *Ramusculum Origenis*.

Qui plura volet, legat Episcopum Iprensem Jansenium l. 6. de Hæresi Pelagiana, c. 13. & sequentibus usque ad decimum octavum, & eruditissimum Huetium, l. 2. Origenianorum, c. 2. Quæst. 7. ubi & Jansenium in multis merito reprehendit, sed in eo sapientissime ac doctissime quod indifferentiam, exclusionemque necessitatis ad utrumlibet, essentialem esse humani arbitrii libertati, Pelagii capitalem errorem esse dixerit: huncque Origenem præformasse. Enimvero hanc libertatis notionem Concilia, & S. Patres tradiderunt, quam Origenes protulit, & eam Sanctus Augustinus amplexus est; qui nusquam a Pelagianis de liberi arbitrii natura dissentire se leviter innuit, vel ipsorum verba, quibus in utriuslibet eligendi potestate illud positum esse contendebat, usquam hanc ob causam reprehendit. Cum ergo Jansenius Origeni adscribit errorem fictitium, ipse meditatur ac molitur errorem verum, & damnatæ propositionis fundamenta jacit: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

ARTICULUS IV.

Utrum Origenes de Eucharistiæ Sacramento recte senserit.

MUlta ex Origene testimonia proferunt Heterodoxi contra realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & contra fidem Transubstantiationis. Primum & celeberrimum occurrit Tomo 2. in Matthæum, p. 253. Huetianæ Editionis; ubi quemdam sibi objicit dicentem: *Quemadmodum non quod intrat in os coinquinat hominem, etiamsi existimetur a Judæis impurum; ita quod ingreditur in os non sanctificat hominem, etiamsi a simplicioribus existimetur sanctificare, id quod Domini Panis appellatur.* Respondet Origenes: *Quemadmodum non cibus, sed conscientia ejus qui cum dubitatione comedit, comedentem inquinat; & quemadmodum inquinato & incredulo nihil purum est, non quidem per se, sed propter illius contaminationem & incredulitatem; ita id quod sanctificatum est per Verbum Dei & orationem, non ex se utentem sanctificat; nam si id ita esset, sanctificaret & illum qui indigne Domino comedit . . . . Ac proinde in Pane Domini utilitas est ei qui utitur, cum intemerata mente & pura conscientia Panis fit particeps. Sic autem neque bono aliquo privamur ex eo quod non comedamus de Pane per Verbum Dei & Orationem consecrato, nempe propter ipsam ab esu abstinentiam: neque ex eo quod comedamus, bono aliquo abundamus. Nam causa privationis malitia est & peccata, & abundantiæ causa justitia est & recte facta: ut tale sit id quod a Paulo dicitur his verbis: Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus. Quod si vero id omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur; & cibus ipse per Verbum Dei & Orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum quod materia constat, in ventrem abit, & in secessum ejicitur; secundum orationem autem quæ illi accessit juxta propositionem fidei, utilis fit, efficitque ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod prodest; nec Panis materia, sed super eum prolata oratio, ea est quæ illum juvat qui non indigne Deo hunc comedit. Et hæc quidem de typico & symbolico corpore.*

Tres propositiones præcipuas loco isto contineri dicunt Heterodoxi, quæ realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia & Transubstantiationis fidem vehementer pulsant. 1. Quod neque abstinendo ab hoc pane, aliquo bono fraudamur, nec eumdem comedendo aliquo bono augemur. 2. Quod Panis consecratus, secundum quod materia constat, in ventrem vadit, & secessum emittitur, vulgarium instar ciborum. 3. Quod Panis ille typicum & symbolicum Christi Corpus est.

Verum hic locus causam Sacramentariorum nequaquam juvat. Primæ enim propositionis sensus est, Corpus Christi non ex se solum & simpliciter edenti Sanctitatem conferre, sed si a suscipiente certa fides & purus animus adhibeantur. Qui enim crimini-

bus pollutus ad ſacram Menſam accedit, judicium ſibi manducat & bibit. Similiter homo hoc abſtinens Sacramento, quia ſibi nondum ſatis probatus, vel alicujus noxæ lethalis ſibi conſcius eſt bono aliquo non privatur: immo magnum in ſe arceſſeret malum, ſi eo in ſtatu poſitus ſumeret Corpus Chriſti, quia mortem animæ ſuæ conſciſceret.

Secundæ propoſitionis ſenſus eſt, accidentia quæ ex materia Panis ſuperſunt, & ipſius ſunt propria, corrupta a ſtomacho in receſſum abire, orationem vero ſuper Panem prolatam, id eſt, myſtica verba quibus Panis conſecratur, illum comedentibus utilem efficere, tranſmutando utique illud in Corpus Chriſti.

Tertiæ Propoſitionis ſenſus eſt, Corpus Chriſti in Euchariſtia, typo & ſpecie Panis eſſe involutum, non vero nudum, & propterea typicum & ſymbolicum ab Origene appellatur, quod ſub ſpecie & ſymbolo Panis deliteſcat. Vel, Euchariſticum Panem vocat Corpus typicum & ſymbolicum, non quod Corporis abſentis ſit typus & ſymbolum, ut Heterodoxi contendunt: ſed quia, cum reipſa ſit Corpus Chriſti, aliarum rerum typus & ſymbolum eſt, puta ſui ipſius extra Sacramentum, ut fuit olim in Cruce, & ut nunc eſt in cœlo; vel reſurrectionis noſtræ; vel myſtici Corporis, ſcilicet Eccleſiæ. Hanc expoſitionem ſimilibus locutionibus Origenis illuſtrat & confirmat Vir clariſſimus & doctiſſimus Daniel Huetius, lib. 2. Origenianorum, Quæſt. 14. Sæpe enim res quaſdam ſymbolicas appellat Origenes, vel ſymbolice tales; non quod revera ipſis non conveniant quæ de ipſis dicuntur, ſed quia rerum inſuper aliarum ſymbola ſunt. Exempli gratia Tomo 32. in Joannem, p. 405. ait, Joannem ſymbolice recubuiſſe in ſinu Chriſti: non quod revera in ſinu Chriſti non recubuerit; ſed quod recubitus ille propenſiſſimi amoris, quo in Chriſtum affectus erat Joannes, ſymbolum eſſet. Ibidem pag. 412. ait ſymbolice noctem fuiſſe, cum Judas e Cœna exiit Chriſtum proditurus; non quod revera nox non eſſet; ſed quod nox illa ſymbolum eſſet noctis alterius, quæ Judæ animo incubabat. Tom. 14. in Matthæum ait S. Paulum juſſiſſe ut Epiſcopus Presbyter & Diaconus ſymbolice monogami eſſent; non quod revera monogamos non eſſe velit, ſed quod monogamia illa ſymbolum ſit munditiei animæ, quam ſervare debent, qui ſacris Miniſteriis ſunt præpoſiti. Denique Tomo 16. in Matthæum, Summum Judæorum Sacerdotem ſymbolicum appellat, non quod Sacerdos revera non eſſet, ſed quod ſymbolum eſſet veri Sacerdotis, Chriſti: & Sacrificia Legis Moſaicæ ſymbolica appellat; non quod revera Sacrificia non eſſent; ſed quod ſymbola eſſent Sacrificii Chriſti. Pari modo igitur, cum Corpus Chriſti appellat ſymbolicum, non negat eſſe reipſa præſens in Euchariſtia; ſed quatenus ibi præſens eſt, typum & ſymbolum eſſe vult aliarum rerum, puta ſui ipſius extra Sacramentum. Id quod ſatis indicat Origenes, cum proxime ſubjunxit: *Multa autem de ipſo verbo dici poſſent; quod Caro factum eſt veruſque cibus*, &c. ubi loquitur de Corpore Chriſti extra Sacramentum.

Secundus locus eſt ex Tractatu 35. in Matthæum. *Panis iſte*, inquit, *quem Deus Verbum Corpus ſuum eſſe fatetur, Verbum eſt nutritorium animarum, Verbum de Deo Verbo procedens, & Panis de Pane cœleſti*. Sed neque hic locus, qui totus in allegoria poſitus eſt, favet Calviniſtis. Nam ſi juxta literam id intelligendum eſt, quomodo Panis ille, ſecundum id quod ex materia concretum habet, in ventrem abit, & in receſſum ejicitur, ut ex Origene objiciunt? Id certe non convenit pani, qui Verbum tantum eſt nutritorium animarum. Nec movere nos debet, quod Corpus Chriſti panem vocet Origenes. Ideo enim ſic illud appellat, quia panis fuit, & nunc quoque cum Chriſti Corpus eſt, panis ſpeciem gerit.

Tertius locus eſt ex Homilia 7. in Leviticum. *Eſt*, inquit, *& in Novo Teſtamento litera, quę occidit eum, qui non ſpiritaliter quę dicuntur, advertit. Si enim ſecundum literam ſequaris hoc ipſum quod dictum eſt: Niſi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum; occidit hæc litera.* Secundum literam comedere, eſt realiter comedere: cum itaque neget Origenes Corpus Chriſti comedi ſecundum literam, illud re ipſa comedi negat.

Sed hunc locum in alienum plane ſenſum torquent Heterodoxi. Corpus Chriſti ſecun-

cunduin literam comedere, eſt illud comedere ut vulgares cibos, terendo & comminuendo dentibus, in ventriculo concoquendo, & in corporis alimentum diſtribuendo. Proinde merito negat Origenes hæc verba, *Niſi manducaveritis Carnem meam*, ſecundum literam eſſe intelligenda: quia Sacramentaliter Carnem ſuam manducari juſſit Chriſtus, non materiali illo & carnali modo quo Capharnaitæ intelligebant.

Quartus locus eſt ex Homilia 9. in Leviticum. *Ritus quidem*, inquit, *apud Veteres propitiationis pro hominibus qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit: ſed tu qui ad Chriſtum veniſti Pontificem verum, qui Sanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit te Patri, non hæreas in Sanguine carnis, ſed diſce potius Sanguinem Verbi, & audi ipſum tibi dicentem: quia hic Sanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si non eſt hærendum in Sanguine carnis, non eſt exiſtimandum Sanguinem Chriſti in Euchariſtia eſſe præſentem.

Nebulas offundunt clariſſimo loco Novatores. Planiſſimus eſt verborum ſenſus. Agitur ibi de Sacrificiis Moſaicis, quæ figura erant mortis Chriſti; ideo non hærendum eſſe ait Origenes in Sanguine carnis, id eſt, in Sacrificiis Veteris Teſtamenti, ſed mentem ad Sanguinem Chriſti, & Sacrificium novæ Legis erigendam.

Quintus locus eſt ex Homilia 7. in Leviticum. Ibi exponit Origenes præceptum Aaroni & Sacerdotibus traditum, ne ad Altare acceſſuri, vinum biberent. Chriſtum per hunc Pontificem, Apoſtolos per Sacerdotes ait adumbrari; & Chriſtum quidem cum ad Altare, ſcilicet ad Crucem eſſet acceſſurus, vinum non bibiſſe, Apoſtolos vero bibiſſe vinum, quia nondum ad Altare Crucis erant acceſſuri. „ Venerat, *inquit*, „ in hunc mundum Salvator, ut pro peccatis noſtris Carnem ſuam offerret hoſtiam „ Deo. Hanc priuſquam offerret, inter diſpenſationum moras vinum bibebat: denique „ dicebatur homo vorax & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum: ubi „ vero tempus advenit Crucis ſuæ: Accipiens, *inquit*, Calicem benedixit & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, quia non acceſsuri eſtis ad Altare. Ipſe autem tamquam acceſſurus ad Altare, dicit de ſe: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis hujus, uſquequo bibam illud „ vobiſcum novum in regno Patris mei. “ Ex hoc loco Heterodoxi colligunt, Apoſtolos merum vinum in ultima Cœna bibiſſe, quemadmodum Aaron & Sacerdotes ad Altare non acceſſuri merum vinum bibebant.

At ex totius loci ſerie & ſcopo Origenis patet, ipſum non aſſerere ſimilitudinem omnimodam inter vinum Aaronis & Sacerdotum, & vinum Chriſti ac Diſcipulorum; ſed in hoc dumtaxat, quod ſicut Pontifici & Sacerdotibus ad Altare acceſſuris vino interdicebatur, ſecundum vetus illud Levitici præceptum, ita Chriſtus ad Altare Crucis acceſſurus vino abſtinuit, ut ille quidem putat; Apoſtoli vero qui nondum ad Altare acceſſuri erant, id eſt, nondum paſſuri Martyrium, vinum biberunt.

Sextus locus depromptus eſt ex Homilia 16. in Numeros, *Bibere dicimus Sanguinem Chriſti*, inquit, *non ſolum Sacramentorum ritu, ſed & cum ſermones ejus recipimus, in quibus vita conſiſtit, ſicut & ipſe dicit: Verba quæ locutus ſum, ſpiritus & vita eſt.* At Catholicæ cauſæ favet potius quam noceat iſte locus. Diſtinguit enim Origenes Sacramentalem Sanguinis Chriſti in Euchariſtia potationem ab alia, qua ſpiritaliter bibitur, cum ſermones ejus recipiuntur.

Verum offula Judæ a Chriſto porrecta eſſet Euchariſtia?

Septimus locus habetur Tom. 32. in Joannem p. 411. Editionis Huetianæ, ubi de offula Judæ a Chriſto porrecta diſſerens, vim quamdam ei a Servatore inditam fuiſſe ait, ex qua Judas adjumentum perciperet, niſi anticipaſſet Satanas offulæ uſum. Id gemino illuſtrat exemplo Origenes: primo Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ in iis qui digne ſumunt, bonum, in iis qui indigne, condemnationem operantur: altero panis illius communis quo alimur, quique pro comedentis habitu, vel ſanitatem confuet ac vigorem, ſi valenti corpore, vel morbum, ſi febriculoſo ac infirmo ſumatur. *Sic*, inquit Origenes, *offulam Judæ a Jeſu datam ejuſdem generis fuiſſe cum ea quam dedit, cæteris Apoſtolis, dum diceret: Accipite & comedite; ſed illis quidem ad ſalutem; Judæ vero ad condemnationem, ita ut poſt offulam ingrederetur in illum Satanas.* Ex quibus ſic colligunt Heterodoxi: Offula Judæ porrecta ejuſdem erat generis ac Eucha-

charisticus Panis, ex Origene; atqui offula illa merus fuit panis. Ergo & Eucharistia merus Panis est.

Ad id respondeo primo, existimasse videri Origenem, quod offula illa Judæa a Christo porrecta, fuerit panis ipse Eucharisticus: quam sententiam & Sanctus Cyrillus Alexandrinus in 6. Joannis, & Anastasius Sinaita Oratione de Synaxi amplexi sunt: quod si ita sit, nego offulam illam in sententia Origenis fuisse merum Panem.

Respondeo secundo, in alia hypothesi, qua offula Judæ porrecta distincta fuisse supponitur a Pane Eucharistico, comparationem ab Origene inter utrumque non institui quoad naturam Panis, sed quoad efficientiam, ac vim juvandi vel nocendi, pro sumentis habitu. Hanc responsionem appositio exemplo illustrat doctissimus Huetius. Fimbria vestis Christi, quæ Hemorrhoissam sanavit, ex contactu sacri Corporis Christi virtutem contraxerat, sicut offula a Jesu Judæ porrecta. Fimbriæ contactus, pro tangentis pietate vel nequitia utilis esse poterat, vel noxius. Pari ergo jure fimbriæ contactum cum Panis Eucharistici esu comparare potuit Origenes. Utraque enim in eo conveniebant, quod pro tangentis & edentis habitu salubria vel damnosa esse poterant, in aliis discrepabant. Id si feciſſet, utraque dicere potuisset similia; non quidem quoad naturam, sed quoad vim illam & efficientiam. Idem de offula Pani Eucharistico assimilata dicendum est. Alioqui si quoad omnia convenientia illa ac similitudo intelligenda esset, sequeretur, eadem virtute pollere panem nostrum, quo quotidie vescimur, ac offulam illam, cui vim singularem contactu suo Christus indidit: quia offulam Judæ porrectam pani illi quo vitam sustinemus, dixit esse similem. At id absurdissimum est. In eo namque posita est dumtaxat Origenis comparatio, quod sicut panis noster corpori, pro comedentis habitu, robur conciliare potest, vel morbum; ita offula Judæ porrecta, ipsi pro varia dispositione animi poterat esse salubris, vel noxia.

Octavus locus petitur ex Prologo in Cantica. *Est*, inquit, *materialis hujus hominis, qui & exterior appellatur, cibus potusque naturæ suæ cognatus, corporeus iste scilicet & terrenus. Similiter autem & Spiritalis hominis ipsius, qui & interior dicitur, est proprius cibus, ut Panis ille vivus qui de cœlo descendit. Sed & potus ille est ex illa aqua quam promittit Jesus dicens: Quicumque biberit ex hac aqua, quam ego do, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quidem vocabulorum secundum utrumque hominem ponitur; rerum vero proprietas unicuique discreta, & corruptibilia corruptibilia præbentur: incorruptibili vero incorruptibilia proponuntur. Unde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quæ sint, quæ in Scripturis divinis interiori homini, quæ vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsi, ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerint, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum, non solum ex illa vite vera & vivente in sæcula, verum & ex his vitibus ligni.* Cibus hominis interioris, ex Origene, spiritalis & incorporeus est: non ergo sumitur & manducatur ore corporis, sed fide tantum apprehenditur.

Respondeo, Origenem eo loci non loqui de quocumque cibo interioris hominis, sed de aliquo tantum. Duplex enim cibus, duplex esus interioris hominis potest intelligi: unus Sacramentalis, cum Christi Corpus ore recipimus; alter, cum Verbum carnem factum fide apprehendimus & comedimus. Uterque 6. Joannis capite exponitur, posterior a versu 31. ad hæc verba versus 52. *Et Panis quem ego dabo*; Prior vero ab his ad versum 59. Si esus ille spiritalis hominis, quo de loquitur Origenes, intelligatur ille quo Verbum carnem factum fide comedimus, nihil inde lucrantur heterodoxi. Quis enim neget Verbum carnem factum, quatenus fide apprehenditur, cibum esse animæ proprium, non corporis? Et hic quidem esse videtur istius loci sensus. Si vero esus sacramentalis Panis illius vivi qui de cœlo descendit, significetur, suo gladio confodiuntur Hæretici, qui hunc Origenis locum nobis objectant. Illum namque cibum vocabulo tantum cum cibis reliquis convenire ait Origenes, suam vero unumquemque proprietatem servare: illos corrumpi, hunc integrum manere: sic nos Panem Eucharisticum cum aliis panibus vocabulo convenire dicimus, reipsa discrepare; hos corrumpi,

pi, Corpus vero Christi corruptis accidentibus, incorruptum manere. Illos in corporum nostrorum substantiam mutari; illum animæ, interiori scilicet homini ac spirituali alimoniam submministrare. Quæ exponendi ratio verbis Origenis mire concinit. At Heterodoxorum dogma planem & a verbis & a sensu Origenis alienum est. Ille enim Panem Eucharisticum solo nomine cum panibus reliquis convenire asserit; illi reipsa convenire dicunt: hunc animæ cibum esse docet Origenes; illos corporis tantum esse pabulum fatentur Heterodoxi: hos corporeos & terrenos Origenes vocat, ut ab illo distinguat, qui spiritalis est & Sacramentalis; Heterodoxi vero & hunc & illos pariter corporeos esse & terrenos contendunt.

Ultimus locus sumptus est ex libro 8. contra Celsum. *Nos*, inquit, *qui rerum omnium Conditori placere studemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, Corpus jam per precationem factos sanctum quoddam, & sanctificans utentes eo cum sano proposito.* At hic locus jugulum petit Heterodoxorum. Quid est enim panes oblatos per precationem fieri sanctum quoddam Corpus, & Sanctos faciens, qui cum sano proposito eo utuntur, nisi eos per mystica verba & consecratoria effici Corpus Christi?

Cæterum Origenem de Sacramento Eucharistiæ idem sensisse quod Catholica, Apostolica & Romana nunc docet Ecclesia, duobus ejus testimoniis evidentissime ostenditur. Primus petitur ex Homilia 13. in Exodum, ubi Auditores ad retinendum corde verbum Dei adhortatur: „ *Volo*, inquit, *vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis, qui divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, & recte creditis si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa Corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & merito utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quam Corpus ejus?* Panem Eucharisticum ter Corpus Domini in hoc brevissimo loco vocat Origenes. An ita vocarent Calviniani Ministri, cum in suis Templis concionantur? Panis ille munus erat in sacris Mysteriis consecratum. Idne convenit Pani quem in sua Cœna distribuunt? Summa religione cavebant Fideles, ne aliquid Eucharistici Panis in terram decideret, ac se reos existimabant, si id sua contingeret negligentia. Nullo vero ejusmodi scrupulo Calvinistæ laborant. Credebant scilicet veteres illi Christiani Eucharistiam esse verum Corpus Domini, Calvinistæ meram figuram ipsius hanc esse arbitrantur.

Alter locus depromptus est ex Homilia 7. in Numeros: ubi in veteri Lege figuras tantum & ænigmata præcessisse ait earum rerum, quarum specie & veritate in Lege nova fruimur. „ Nunc, *inquit*, in specie petra Christus est. Nunc enim os ad os lo„ quitur per Legem Deus. Antea in ænigmate fuit Baptismus in nube & in mari; „ nunc autem in specie regeneratio est in aqua & Spiritu Sancto. Tunc in ænigmate „ erat manna cibus; nunc autem in specie Caro Verbi Dei est verus cibus, sicut & „ ipse dicit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus." Ineptum plane sensum involverent hæc verba, si secundum Calvinianos intelligenda essent. Sensus enim illorum esset: In veteri Lege manna cibus erat in ænigmate, quatenus scilicet Carnem Christi significabat: in nova autem Lege Panis est figura Carnis Christi. At secundum Catholicam sententiam, præclara est Origenis antithesis. Manna enim ait figuram fuisse: nunc autem Carnem Christi verum esse cibum per manna adumbratum, & veterem illam Legis Mosaicæ figuram adimplentem.

Laudat & alium locum Bellarminus ex Homilia 5. in diversos. Sed cum eam, aliasque Origenis non esse viri eruditi fateantur, causæ Catholicæ præsidium ex illa mutuari nolim.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, & ad pag. 598. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Panis Judæ a Christo porrectus, non fuit Eucharistia.*

R. Non ita scripsi: *De offula Judæ a Christo porrecta* loquor, de qua variæ cum fue-

fuerint Patrum ſententiæ, quibuſdam aſſerentibus offulam illam panem ipſum Euchariſticum fuiſſe, ſcilicet Origene, S. Cyrillo Alexandrino & Anaſtaſio Sinaita: aliis affirmantibus fuiſſe ab Euchariſtia diſtinctam: Secundum utramque ſententiam dilui Objectionem Hæreticorum contra realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, petitam ex *Origenis* teſtimonio Tom. 32. in Joannem, & *Origenem*, quoad hoc fidei caput, ab errore vindicavi. Quæſtionem autem illam non expendi (quia ut expenderem neceſſe non erat) utrum offula ſeu bucella Judæ a Chriſto porrecta, de qua *Joannis XIII.* fuerit Panis Euchariſticus. Id nec aſſerui, nec negavi. Verumtamen longe probabilior eſt illa ſententia, quam mihi tribuunt Reverendi Cenſores, & quam ipſis notare placuit: *Offulam* ſcilicet *Judæ a Chriſto porrectam Panem Euchariſticum non fuiſſe.* Jam enim Cœna facta fuerat, jam Apoſtolis ſuis ſimul & ipſi Judæ Corpus, & Sanguinem ſuum Jeſus porrexerat, cum intinctum Panem Judæ ſeorſum dedit, utillum proditorem eſſe Joanni ſupra pectus ſuum recumbenti indicaret, ut habetur Joannis 13. *Reſpondit Jeſus: Ille eſt cui ego intinctum Panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas .... Cum ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuo.* Bucella intincta in paropſide, unique Judæ ſeorſim porrecta, Euchariſtia certe non fuit. Id *S. Auguſtinus* confirmat Tractatu 72. in Joannem: „ Non autem, *inquit*, ut putant quidam „ negligenter legentes, tunc Judas Chriſti Corpus accepit. Intelligendum eſt enim „ quod jam omnibus eis diſtribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis „ ſui, ubi & ipſe Judas erat, ſicut Sanctus Lucas evidentiſſime narrat: Ac deinde ad „ hoc ventum eſt ubi ſecundum narrationem Joannis apertiſſime Dominus per bucellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit Traditorem, fortaſſis per panis tinctionem illius ſignificans fictionem. *Idem confirmat S.* Thomas *in cap. 13.* S. Joannis, „ *Lectione 4. hæc verba.* Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ, *explicans.* Aliqui „ dicunt, *inquit*, panem fuiſſe Corpus Chriſti conſecratum. Sed hoc ſecundum Auguſtinum non eſt verum. Nam ſicut ex aliis Evangeliis habetur, Dominus cum cœnaret, Diſcipulis Corpus ſuum dedit: & ideo patet quod Judas cum aliis Diſcipulis ſimul Corpus Chriſti accepit in Cœna. Chriſtus autem poſtquam aliquantulum „ in Cœna proceſſerat, ſurrexit a Cœna, & lavit pedes Diſcipulorum, quibus lotis „ reſedit, & poſtmodum panem tinctum Judæ tradidit. Unde patet quod non erat „ Corpus Chriſti.

Luc. 22. & 21.

DISSERTATIO XVII.

De Origenis Defenſoribus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum omnes Origenis Defenſores de ſuſpicione hæreſeos fuerint periclitati?

PRænotandum eſt, tribus modis errorum Auctores defendi poſſe. Primo, cum non Auctoris dumtaxat, ſed etiam erroris ſuſcipitur patrocinium. Secundo, cum error damnatur, & ab eo vindicatur Auctor. Tertio cum damnare quis recuſat Auctorem, & verbis ita æquivocis, & obſcuris ſuam de errore ſententiam exponit, illum ut propugnare præſumatur. His tribus modis ſuſcepta eſt a pluribus Origenis defenſio. Patrocinatus eſt Origeni, & ejus circa Sacroſanctam Trinitatem erroribus, Euſebius Cæſarienſis. Ejuſdem errores & auctoritatem ſectatus eſt, quoad alia capita ab Eccleſia damnata, Didymus. Eumdem vindicavit ab erroribus circa Trinitatem perſpicaciſſimus ille Cœtus, erroreſque ipſi adſcriptos execratus eſt. Denique Rufinus non Origenem tantum, ſed & ejus errores palam & diſerte damnare recuſavit, verbis ita æquivocis & involutis ſuam exprimens ſententiam; in iis controverſiis quæ Origenis errores ſpectabant, ut eos tueri merito præſumeretur.

PRO-

PROPOSITIO I.

Damnati ſunt ut Hæretici ab Eccleſia, qui ita defenderunt Origenem, ut ejus errores ſectarentur.

PRobatur primo, ex Epiſtola Theophili Alexandrini ad S. Hieronymum data in qua hæc habet: „ Non ambigo quin noſtrum ſtudium probes, & in Eccleſiæ victoriæ „ glorieris. Namque Origenis hæreſim in Monaſteriis Nitriæ quidam nequam & furioſi homines ferre & fundere cupientes, Prophetica falce ſucciſi ſunt.

Probatur ſecundo ex S. Epiphanio in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, in qua hæc ſcribit. „ Nihil mihi ſurripuit Origenes; nec in mea generatione fuit, nec „ propter aliquas res mundi, & hæreditatem odium adverſus illum, pugnaſque ſuſcepi; ſed ut ſimpliciter fatear, doleo, & valde doleo, videns plurimos Fratrum, „ & eorum præcipue qui profeſſionem habent non minimam, & in gradum quoque „ Sacerdotii maximum pervenerunt, ejus perſuaſionibus deceptos, & perverſiſſima doctrina cibos factos eſſe diaboli. *Extat inter S. Hieronymi Epiſtolas 19.*

Probatur tertio ex S. Hieronymo in Apologiis contra Rufinum, Epiſtola 61. adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, & Epiſtola 65. ad Pamnachium & Oceanum, „ quo poſteriori loco ita ſcribit: Cæterorum vitia de libris ſuis ad hoc tantum excerpitis (*o Origeniſtæ*) ut hujus defendatis errorem. Origenem ſic fertis in Cœlum, „ ut nihil eum erraſſe dicatis. Quiſquis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo te „ ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Cur poſt „ quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſcivimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Uſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. *Contra omnes hæreticos militat illa S. Hieronymi ſententia.*

Et in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, hunc Antiſtitem de hæreſi ſuſpectum fuiſſe refert quod octo Capita Origenianæ doctrinæ, ſeu octo errores propugnare videretur: & ob id multos tum ex Clero, tum ex Monaſteriis Palæſtinæ, ſeſe ab ejus Communione ſubtraxiſſe. Conquerebatur quidem Joannes Hieroſolymitanus totam illam contra ſe tempeſtatem ab Epiphanio Salaminæ Cypri Epiſcopo, ab Hieronymo, & a Monachis Palæſtinæ excitatam, quod ipſe Pauliniani Ordinationem Epiphanio factam improbaſſet, eique ſacris Miniſteriis interdixiſſet. Sed illi propter ſola Origenis dogmata ſe ab eo diſſidere conteſtabantur, quæ ſi ejuraret, & ab octo capitalium errorum ſe purgaret ſuſpicione, cum eo ſe communionem lubenter inituros ſpondebant. *Quæ hæc eſt tanta arrogantia*, inquit Sanctus Hieronymus, *non reſpondere de fide interrogantibus? Tantam Fratrum multitudinem, & Monachorum turbas, qui tibi in Palæſtina non communicant, quaſi hoſtes publicos æſtimare? Dei Filius propter unam morbidam ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella ſuſtinuit, & ſuis humeris portavit ad cœlos, bajulans & patiens delicatam peccatricem. Tu beatiſſimus Papa, & faſtidioſus Antiſtes, ſolus dives, ſolus ſapiens, ſolus nobilis ac diſertus, Conſervos tuos, & redemptos Sanguine Domini tui, rugata fronte, & obliquis oculis deſpicis? Hoc eſt illud quod Apoſtolo præcipiente didiciſti: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe? Finge nos occaſionem quærere, & ſub prætextu fidei lites ſerere, ſchiſma conficere, jurgia concitare. Tolle occaſionem volentibus, ut poſtquam de fide ſatisfeceris, & omnes nodos, qui contra te nectuntur, abſolveris; tunc liquido omnibus probes, non dogmatum, ſed Ordinationis eſſe certamen .....* Et infra: *Octo tibi ut ſtatim probabo de ſpe fidei Chriſtianæ quæſtionum capita objecta ſunt. Tria tantum tangis, & præteris: in cæteris grande ſilentium eſt.*

Probatur quarto, ex Anaſtaſio Pontifice Maximo, qui Rufinum damnavit, non ob ſuſceptas Origenis vindicias, ſed ob datum ejus erroribus aſſenſum. Ita porro ſcribit ea de re ad Joannem Hieroſolymitanum Anaſtaſius: *Rufinum ſcito, quod propria mente Origenis dicta in Latinum tranſtulit, ac probavit: nec diſſimilis ab eo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum.*

Probatur quinto. Eusebius Cæsareensis Origenem defendens ab errore circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, hæreticus audiit, quia prava Origenis dogmata tuebatur, & hæretica esse nihilominus negabat. Et Didymus Alexandrinus pariter hæreticus habitus est, quod Origenis vindicias ita susciperet, ut ejus errores sectaretur, non quidem circa Trinitatem, sed circa alia Fidei Christianæ capita: ergo damnati sunt ut hæretici, qui ita defenderunt Origenem, ut ejus errores sectarentur.

Probatur antecedens ex Sancto Hieronymo, libro 1. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 2. *Sex libros*, inquit, *Eusebius Cæsareensis Episcopus, Arianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus; & multis testimoniis approbavit Origenem juxta se Catholicum, id est, juxta nos Arianum esse.*

Et libro 2. Apologiæ cap. 4. *Vir*, inquit, *doctissimus Eusebius (doctissimum dixi, non Catholicum) per sex Volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem ostendat suæ fidei, id est, Arianæ perfidiæ; & multa ponit exempla, & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut quæ ille vera profitetur, falsa confingas?*

Et infra: *Hoc dumtaxat de Filio, & Spiritu Sancto. Cæterum in aliis dogmatibus, & Eusebius, & Didymus, apertissime in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobant, Catholice & pie dictum esse defendunt.*

Probatur sexto ex Edicto Justiniani Imperatoris contra Origenem, quod a Quinta Synodo susceptum & probatum est, in quo damnantur quicumque Origenis defendunt dogmata novem damnata Anathematismis ibidem insertis: *Anathema*, inquit, *& Origeni, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, una cum nefaria, atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, & cuivis qui ea sentiat, aut defendat, aut ullo modo prorsus quocumque tempore tueri præsumat.*

PROPOSITIO II.

Non sunt damnati hæreseos, qui nunc Origenem ita ab errore vindicarunt, ut ipsius errores non propugnarent: sed illos ipsi perperam afflictos contenderent, aut ab Hæreticis intrusos.

PRobatur primo. Didymus Origenis doctrinam de Trinitate omnis puram erroris contendebat: atqui nemo hæreseos damnavit Didymum circa Trinitatem: ergo non sunt damnati hæreseos, qui Origenem ita vindicarunt ab errore, ut ipsius errores non propugnarent.

Major & minor probantur testimonio S. Hieronymi libro 2. Apologiæ adversus Rufinum, cap. 4. ubi refellens eorum sententiam, qui libros Origenis in dogmatibus Trinitatis spectantibus Mysterium interpolatos aserebant; ostendit Eusebium hæc ipsa dogmata plane hæretica in iis legisse. Tum occupat eorum responsionem, qui dicerent, Eusebium Arianum hominem in suæ hæreseos patrocinium illa traxisse, quæ Origenis libris ab hæreticis addita fuerant; quod refellit his verbis: *Sed forsan hic ut Arianus ab hæreticis addita in occasionem sui traxit erroris, ne solus male sensisse contra Ecclesiam putaretur. Quid respondebis pro Didymo, qui certe in Trinitate Catholicus est? Cujus etiam nos de Spiritu Sancto librum in Latinam Linguam vertimus. Certe hic in iis, quæ ab hæreticis in Origenis Operibus addita sunt, consentire non potuit. Et in ipsis περὶ ἀρχῶν, quos interpretatus es, libris, breves dictavit Commentariolos, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt; sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur: & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur.* Constat itaque ex Sancto Hieronymo, Didymum Catholicum fuisse circa Trinitatem, quamvis doctrinam Origenis, qua parte hoc Mysterium tractat, erroris penitus expertem contenderet.

Probatur secundo. S. Hieronymus Origenismo, & Origenistis insensissimus, Joannem Hierosolymitanum a suspicione erroris absolvit, modo neget Origenem propugnasse errores, qui ipsi adscribuntur; aut anathemate feriat eorum manifestum Auctorem.

Quid

Quid mihi, inquit, *longo ſermone, & lacinioſis periodis Arianum te non eſſe demonſtras? Aut nega hoc dixiſſe eum qui arguitur: aut ſi locutus eſt talia, damna eum, quia dixerit.* Ergo qui Origenem ita defenderunt ut ipſius errores non propugnarent, non ſunt hæreſeos inſimulati.

Probatur tertio ex judicio Eccleſiæ, quæ poſterioribus ſæculis, nobiles, pios, & eruditos Origenis Defenſores nulla erroris nota inuſſit, quia exploratum erat illos perſonæ dumtaxat, non errorum ſuſcipere vindicias.

PROPOSITIO III.

Qui Origenem ita vindicarunt ab errore, ut verbis apertis prava ejus dogmata non damnarent, nec formulæ Fidei ab Eccleſia contra Origenem editæ ſubſcriberent, ſed verbis æquivocis & obſcuris ſuam circa Fidei capita, quæ violavit Origenes, Fidem exponebant, habiti ſunt ut Hæretici.

PRobatur primo ex Sancto Hieronymo Epiſt. 61. adverſus errores Joannis Hieroſolymiani, ubi ipſum diſerte hæreſeos accuſat, atque hæreticum eſſe probat, quod verbis obſcuris & involutis Fidem exponat ſuam, & quæ in Origenis patrocinium, non minus quam in ejus damnationem trahi poſſint: „ Oramus, *inquit*, petimus, obſe„ cramus, ut aut ſimpliciter noſtra fateatur, aut aperte defendat aliena. Nolo ver„ borum ambiguitates: noſo mihi dici, quod & aliter poſſit intelligi. Revelata fa„ cie gloriam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Iſraeliticus populus in „ utroque pede: ſed Elias, qui interpretatur fortis Domini: Uſquequo, ait, clau„ dicatis in utroque veſtigio? Si Dominus eſt Deus, ambulate poſt eum: ſi autem „ Baal, ſequimini eum..... Certe ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, ut cupio & credo: „ cur non verbis meis meum ſenſum loquitur? Quam ille ſimplicitatem vocat, ego „ malitiam interpretor. Per ſuadere mihi vult quod pure credat. Pure ergo & lo„ quatur. Et ſi quidem unum verbum, vel unus ſenſus eſſet ambiguus, ſi duo, ſi „ tres, ignorantiæ veniam tribuerem, nec ea quæ aut obſcura, vel dubia ſunt, de „ certis & perſpicuis exiſtimarem: nunc vero quæ iſta ſimplicitas eſt, quaſi ſuper ova „ & ariſtas inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere ubique dubium, ubique „ ſuſpectum? Putes eum non expoſitionem Fidei, ſed figuratam controverſiam ſcribere.

Et infra: „ Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem: ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur; licet ſuperfluum ſit „ ejus præſentiam quærere, & extorque re ſilentium, cujus apud te literas teneas „ .... Do conſilium ut aperte aut Fidem Eccleſiæ prædices, aut loquaris ut credis. „ Diſpenſatio etenim ac liberatio iſta prudens verborum, indoctos decipere poteſt: cau„ tus Auditor & Lector cito deprehendet inſidias, & cuniculos quibus veritas ſubver„ titur, aperte in luce demonſtrabit. Et Ariani, quos optime noſti, multo tempo„ re, propter ſcandalum nominis, ὁμοούσιον ſe damnare ſimulabant, venenaque erroris „ circumliniebant melle verborum. Sed tandem Coluber ſe tortuoſus aperuit, & no„ xium caput, & quod ſpiris totius corporis tegebatur, ſpiritali mucrone confoſſum „ eſt.... Eadem nunc in veteri, & in nova hæreſi conſuetudo ſervatur, ut aliud „ populi audiant, aliud prædicent Sacerdotes.

Et infra: „ Sed dicis: Epiſtolam meam probavit Alexandrinus Epiſcopus. Quid pro„ bavit? Contra Arium, contra Photinum, contra Manichæum bene locutum. Quis „ enim te hoc tempore arguit Arianum? Quis tibi nunc Photini, Manichæique crimen „ impingit? Olim iſta emendata ſunt, atque concuſſa. Non eras tam ſtultus, ut aper„ te defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere. Noveras te, ſi hoc feciſ„ ſes, ſtatim loco movendum; & ſolii tui delicias ſuſpirabas: ſic ſententiam tempe„ raſti, ut nec ſimplicibus diſpliceres, nec tuos offenderes. Bene ſcripſiſti, ſed nihil „ ad cauſam pertinens.

Et rurſus. „ Objicitur tibi quod Magiſter tuus (*Origenes*) quem Catholicum vo„ cas, quem defendis obnixe, dixerit: Filius non videt Patrem, & Filium non vi„ det.

„ det Spiritus Sanctus: & tu mihi dicis: Invisibilis Pater, invisibilis Filius, invisibilis „ Spiritus Sanctus; quasi non Angeli, & Cherubim & Seraphim, secundum naturam „ suam oculis *nostris* invisibiles sint ..... In laudes cæteras evagaris: peroras in his „ quæ nullus *inquirit*? Auditorem aliorsum trahis, ut quod quærimus, non loquaris.

Præterea, ejusdem Joannis Hierosolymitani, & aliorum Origenistarum strophas circa secundum errorum, qui ipsis objiciebantur, caput detegit. „ Hoc nunc rogo, *inquit*, „ qui tanta loqueris, ut respondeas scisscitantibus brevem absolutamque sententiam. „ Quando plasmavit Deus hominem ex limo, & per gratiam propriæ insufflationis ei „ animam tribuit: utrum illa anima fuerit ante, & subsstiterit, & ubi versata sit, quæ „ Dei postea insufflatione donata est? An sexto die, quando corpus ex limo formatum „ est, & esse, & vivere, Dei potestate susceperit? De hoc taces: & quid quæratur, „ scire dissimulans, in superfluis quæstionibus occuparis. Origenem relinquis intactum, „ & contra Marcionem, Apollinarem, Eunomium, Arium, Manichæum, cæterorum- „ que Hæreticorum ineptias debaccharis. Manum peteris, & pedem porrigis; & ta- „ men dogma quod retines latenter insinuas; sic nos rusticos placas, ut tuis penitus „ non displiceas. Dicis ex Angelis dæmones potius quam animas fieri: quasi non & „ ipsi dæmones, juxta Origenem animæ sint aerei corporis: & ex dæmonibus postea, „ si respuerint, humanæ animæ sint futuri. Angelos scribis esse mutabiles, & sub eo „ quod pium est, illud quod impium est, introducis, ut multis periodis animæ fiant, „ non ex Angelis, sed ex iis vocabulis, in quæ sunt prius Angeli mutati.

Et infra: „ Non pudet Christianos, & Sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris aga- „ tur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare sententias, quibus loquens magis, „ quam audiens decipitur. Unus ex Choro vestro, cum a me teneretur, ut diceret „ quid sentiret de anima, fuisset ne ante carnem, annon fuisset? Fuisse respondit si- „ mul & corpus & animam. Sciebam hominem hæreticum laqueos in sermone quæ- „ rere; tandem reperi eum, ex quo corpus animasset, ex tunc eam dicere animam „ nuncupatam, quæ prius vel dæmon, vel Angelus Satanæ, vel spiritus fornicatio- „ nis, aut in parte contraria, Dominatio, Potestas, Administrator spiritus, aut Nun- „ cius, appellata sit.

Denique Joannis Hierosolymitani, & Symmistarum circa fidem resurrectionis ludificationes aperit c. 7. dum observat ipsum novies usum esse nomine corporis, exponendo suam de hominum resurrectione sententiam, ne semel quidem nomine carnis: ut nos quidem in eodem corpore, sed non eadem in carne resurrecturos innueret. „ Pa- „ tet, *inquit*, quare corporis, & non carnis resurrectionem dixeris: scilicet ut nos ru- „ des carnem te dicere putaremus in corpore: & hi, qui perfecti sunt, intelligerent „ carnem in corpore dene gari..... In Symbolo Fidei, & Spei nostræ, quod ab Apo- „ stolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnali- „ bus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ omne Christiani dogmatis „ Sacramentum, carnis resurrectione concluditur. Et tu in tantum in corporis, & ite- „ rum corporis, & tertio corporis, & usque novies corporis, vel sermone, vel nume- „ ro immoraris: nec semel nominas carnem: quod illi semper nominant carnem, corpus „ vero tacent.

Constat igitur Joannem Hierosolymitanum hæreseos suspicione maculatum fuisse, quod verbis ambiguis suam circa Origeniana dogmata sententiam ac fidem exponeret, nec aperte damnaret ejus errores. Quamobrem S. Hieronymus ab ipso postulat ut clare & absque mora, percellat anathemate illorum octo capitum, quisquis sit, „ Auctorem: „ Tu mihi, *inquit*, ut crimen extenues, & dissimulato nomine crimi- „ nosi, quasi secura sint omnia, & nullus in blasphemiis arguatur, erosam fidem ar- „ tificii sermone contexis. Dic statim, & Epistola tua hoc habeat exordium: Ana- „ thema ei qui talia ausus est scribere. Fides pura moram non patitur: ut apparue- „ rit Scorpius, illico conterendus est.

Probatur secundo Propositio auctoritate S. Hieronymi Epistola 65. ad Pammachium „ & Oceanum, ubi de Origenistis ita scribit: „ Hoc enim vel maxime cavent, ne „ quando contra Auctorem suum eorum scripta teneantur. Facile dicunt cum juramen-

„ to

„ to, quod postea alio solvant perjurio. At subscriptionem tergiversantur, quæruntque „ suffugia. Alius: Non possum, *inquit*, damnare quod nemo damnavit. Alius: Nihil „ super hoc a Patribus statutum est: ut dum totius orbis provocatur auctoritas, sub„ scribendi necessitas differatur. Quidam constantius: Quomodo, *inquit*, damnabimus, „ quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnasset utique & „ Origenem, si illius dogmata reprobasset .... Quod si quando urgeri cœperint, & „ aut subscribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia: miras strophas videas. „ Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut ali„ ter Hæreticus, aliter Catholicus audiat..... Exempli causa pauca subjiciam. Cre„ dimus, *inquiunt*, resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura „ Confessio est. Sed quia corpora sunt cœlestia & terrestria, & aer iste, & aura te„ nuis juxta naturam suam corpora nominantur; corpus ponunt, non carnem, ut Or„ thodoxus corpus audiens, carnem putet, Hæreticus spiritum recognoscat. Hæc est „ eorum prima decipula, quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos, & inno„ centiam simulant, & malitiosos nos vocant, & quasi simpliciter credentes, ajunt: „ Credimus resurrectionem carnis. Hoc vero cum dixerint, vulgus indoctum putat „ sibi sufficere, maxime quia idipsum & in Symbolo creditur..... Singula membra „ negant; & corpus quod constat ex membris, dicunt non resurgere". Ex quibus colligitur, eos hæreseos nota inustos fuisse, qui ita patrocinati sunt Origeni, ut prava ejus dogmata disertis verbis non damnarent: nec subscriberent Formulæ Fidei contra ejus errores ab Ecclesia editæ, sed verbis æquivocis, & obscuris, sententiam suam involverent, ac Fidelibus ludificarentur.

Objic. in 2. Propositionem. Rufinus errores Origenis damnavit, contenditque solum ab Hæreticis violatos ejus libros. Ideoque aliqua expunxit, alia addidit illorum interpretationi, ut ipse in Præfat. illorum librorum περὶ ἀρχῶν testatur: & si qui sint errores, eos negat sibi adscribendos, qui meri Interpretis functus sit officio. *Si aliquod est*, inquiebat, *quod displiceat in Auctore, quare ad Interpretem detorqueatur*? Sed nihilominus Rufinus ab Anastasio Pontifice Maximo damnatus est ut hæreticus, eumque isto nomine Sanctus Hieronymus insectatus est: ergo quicumque Origenem ab errore vindicarunt, etiamsi ab ejus erroribus essent alieni, damnati sunt ab Ecclesia.

Resp. nego majorem, & distinguo min. Et damnatus est Rufinus, quod Origenis errores probare ac propugnare præsumeretur, concedo: & damnatus est, quod errores illos falso Origeni adscriptos contenderet, nego. Itaque Anastasius Pontifex Maximus non damnavit Rufinum, quod Origenem ab errore vindicaret; sed quod libros περὶ ἀρχῶν latinitate donans, ex iis errores dumtaxat contra Trinitatem expunxisset, quasi ab Hæreticis insertos, & alia prava dogmata intacta reliquisset, quæ non inficiabatur Origeniana esse; & quæ in Præfatione sua se probare testatus est: siquidem ea solum a se resecata scripsit, quæ erronea erant, & spongia digna. Id testatur Anastasius ipse in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum. *Rufinum scito*, inquit, *quod propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit ac probavit; nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiis præstat assensum.*

Id etiam testatur S. Hieronymus, l. 2. Apologiæ adv. Rufinum: „ Præfatio tua, *in„ quit*, quam nominas, & in qua me miris ordinas laudibus, te reum pessimæ trans„ lationis facit: dicis enim quod de Græco multa decideris; licet taceas, quod addi„ deris. Quæ decidisti, mala erant, an bona? Utique mala. Quæ reservasti, bona, „ an mala? Utique bona: neque enim mala transferre poteras. Ergo mala amputasti, „ & reliquisti bona. Nulli dubium est. Probantur autem, quæ translata sunt, pene „ omnia mala: quidquid igitur in translatione monstravero, tibi imputabitur, qui il„ lud pro bono transtulisti. Aliud est, si iniquus Censor, ejusdem criminis reus, alios „ de Senatu pellis, alios in Curia retines. Sed dicis: Omnia mutare non poteram, „ sed ea tantum quæ addita ab hæreticis arbitrabar, mihi amputanda credidi. Pul„ chre. Si amputasti, quæ addita ab hæreticis existimabas: ergo quæ reliquisti, ejus „ sunt, quem interpretabaris. Si ejus sunt quem interpretatus es; responde utrum bo„ na, an mala sint? Mala transferre non poteras. Semel enim, quæ ab hæreticis ad-

„ dita

„ dita fuerant, amputasti. Nisi forte hæreticorum mala amputare debueris; & Ori-
„ genis errores in Latinum integros vertere. Dic ergo quare Origenis mala in Lati-
„ num verteris; ut auctorem mali proderes, an ut laudares? Si prodis, in Præfatio-
„ ne cur laudas? Si laudas, hæreticus approbaris. Restat, ut quasi bona protuleris.
„ Si hæc omnia probantur mala; igitur unius & Auctor, & Interpres, rei criminis
„ erunt: & implebitur illa sen tentia: Videbas furem & currebas cum eo; & cum
„ adulteris portionem tuam ponebas.

Denique Rufinus ideo hæreticus habitus est, quod verbis ambiguis, & obscuris errorem tegeret, nec Origenis dogmata, etiam ejus tacito nomine damnare palam & claris, absolutisque verbis vellet. Unde S. Hieronymus ipsum urgens ut suam de tempore quo anima Christi creata est, sententiam aperiat, hæc habet, Apologiæ adversus
„ Rufinum lib. 2. „ Anima ista quam suscepit Jesus, eratne antequam nasceretur ex
„ Maria? An in origine virginali, qua de Spiritu Sancto nasceretur, cum corpore si-
„ mul creata est: vel jam in utero corpore figurato, statim facta, & missa est de cœ-
„ lo? E tribus unum quid sentias, scire desidero ... Fatere simpliciter, & nos scrupu-
„ lo libera. Nihil horum loqueris: sed occupatus in aliis, simplicitate nostra abuteris,
„ & præstigiis pompaque verborum, hærere nos non finis quæstioni.

Et l. 3. Apol. c. 9. eumdem Rufinum carpit, quod ad quæstionem de Animarum præexistentia nihil *responderet*, sed sub silentio, & ad alia argumenta diversione, palam significaret se nolle damnare pravum Origenis dogma. „ Et iterum clamitas, *inquit*,
„ & Aquilejæ, atque Alexandriæ, te didicisse jactas, quod sit Deus & animarum, &
„ corporum Creator. De hoc scilicet quæstio ventilatur, utrum Deus, an Diabolus ani-
„ mas fecerit: & non, utrum animæ ante corpora fuerint, quod vult Origenes; &
„ egerint aliquid propter quod sint crassis corporibus alligatæ: an in morem glirium
„ torpentes, consopitæque dormierint? Hæc taces, quæ omnes flagitant: & ad illa
„ respondes quæ nullus inquirit.

Cæterum stat Rufini sacramento S. Hieronymus, si Origenismi suspicionem hac via diluere velit. *Et tu*, inquit, *si non es Origenistes, vel non fuisti, credo juranti: si fuisti, suscipio Pœnitentem*, (l. 1. Apol. c. 2.)

Objicitur secundo. Monachi Nitriæ damnati sunt ut Hæretici: sed illi non propugnabant errores Origenis, unique ejus personæ favebant, ut testatur Posthumianus in primo Dialogo Severi Sulpitii: ergo damnati sunt hæreseos, qui patrocinati sunt Origeni, quamvis errores ipsi adscriptos damnarent.

Minor etiam constat ex facto S. Joannis Chrysostomi, qui Fratres Longos a Theophilo damnatos ob Origenis defensionem, Communione donavit, nusquam id facturus, si Origenis errores sectati fuissent.

Respondeo primo, distinguo majorem. Damnati sunt ut hæretici, judicio Ecclesiæ Alexandrinæ, concedo: judicio omnium Ecclesiarum, nego. Illos enim S. Chrysostomus hæreticos non judicavit, siquidem ipsos admisit ad Communionem precum, etsi noluerit eos admittere ad Communionem Sacramentorum, propter reverentiam Theophili, & ne contra Canones peccaret. Certe si universa Ecclesia Græca illos hæreticos existimasset, aliquos ex illis inter Sanctos suo non inscripsisset Menologio.

Distinguo etiam minorem. Non propugnabant errores Origenis; sed tamen ita se gerebant, eos ut tueri merito præsumerentur, esto; nec eos propugnabant revera, nec merito præsumebantur defendere, nego. Nam eorum in Origenis libros obstinatum studium, in iisque retinendis, ac legendis, insuper habita Episcoporum prohibitione, pertinacia, de Origenianorum errorum patrocinio merito efficiebat suspectos. Id constat ex Posthumiani laudati narratione. „ Properoque cursu, *inquit*, septimo die
„ Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Episcopos atque Monachos certamina ge-
„ rebantur ex ea occasione, quia congregati sæpius in unum Sacerdotes frequentibus
„ decrevisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui Tra-
„ ctator Sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris
„ ipsius insanius scripta memorabant, quæ assertores ejus defendere non ausi, ab Hæ-
„ reticis potius fraudulenter inserta dicebant; & ideo non propter illa, quæ in repre-

„ hen-

„ henſionem merito vocarentur, etiam reliqua eſſe damnanda, cum legentium fides
„ facile poſſet habere diſcrimen, ne falſata ſequeretur, & tamen Catholice diſputata
„ teneret .... Adverſum hæc Epiſcopi obſtinatius renitentes, pro poteſtate cogebant
„ recta etiam univerſa cum pravis, & cum ipſo Auctore damnare, (*id eſt, omnium*
„ *lectione interdicebant*) quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet:
„ reſpuendam eſſe penitus lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus, quam ſa-
„ pientibus profutura. Mihi autem ex illius libris quædam curioſius indaganti, ad-
„ modum multa placuerunt: ſed nonnulla deprehendi, in quibus illum prava ſenſiſſe
„ non dubium eſt, quæ defenſores ejus falſata contendunt. Ego miror, unum eum-
„ demque hominem tam diverſum a ſe eſſe potuiſſe, ut in ea parte qua probatur, ne-
„ minem poſt Apoſtolos habeat æqualem, in ea vero, quæ jure reprehenditur, nemo
„ deformius doceatur erraſſe. Nam cum ab Epiſcopis excerpta in libris illius multa
„ legerentur, quæ contra Catholicam Fidem ſcripta conſtaret, locus ille vel maxi-
„ mam parabat invidiam, in quo editum legebatur: Quia Dominus Jeſus, ſicut pro
„ redemptione hominis in carne veniſſet, & Crucem pro hominis ſalute perpeſſus,
„ mortem pro hominis æternitate guſtaſſet: ita eſſet eodem ordine Paſſionis etiam
„ diabolos redempturus. Cum hæc atque alia ejuſmodi ab Epiſcopis proderentur, ex
„ ſtudiis partium orta eſt ſeditio. Quæ cum reprimi Sacerdotum auctoritate non poſ-
„ ſet, ſævo exemplo ad regendam Eccleſiæ Diſciplinam Præfectus aſſumitur: cujus ter-
„ rore diſperſi Fratres, ac per diverſas oras Monachi ſunt fugati; ita ut propoſitis
„ Edictis, in nulla conſiſtere ſede ſinerentur. Illud me admodum permovebat, quod
„ Hieronymus vir maxime Catholicus, & ſacræ Legis peritiſſimus, Origenem ſecu-
„ tus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipue, vel omnia illius ſcripta
„ damnaret. Nec vero auſus ſum de quoquam temere judicare: præſtantiſſimi tamen
„ viri, & doctiſſimi ferebantur in hoc certamine diſſidere. Sed tamen, ſive illud er-
„ ror eſt, ut ſentio, ſive hæreſis, ut putatur, non ſolum reprimi non potuit mul-
„ tis animadverſionibus Sacerdotum; ſed nequaquam tam late ſe potuiſſet effundere,
„ niſi contentione creviſſet. Iſtiuſmodi ergo turbatione, cum veni Alexandriam, flu-
„ ctuabat. Me quidem Epiſcopus illius civitatis benigne admodum excepit, & ſecum
„ tenere tentavit. Sed non fuit animus ibi conſiſtere, ubi recens fraternæ cladis fer-
„ vebat invidia. Nam etſi fortaſſe videantur Epiſcopis parere debuiſſe, non ob hanc
„ tamen cauſam multitudinem tantam ſub Chriſti confeſſione viventem præſertim ab
„ Epiſcopis, oportuiſſet affligi.

Præterea S. Hieronymus Ep. 78. teſtatur, Nitriæ Monachos palam quidem profeſſos fuiſſe Eccleſiæ fidem, ſed ſimulate & fraudulenter, ita ut ſibi non conſtarent, & aliud literis, aliud voce proferrent. Secundo, ipſos Pontificibus obtrectaſſe, & adverſus eos calumnias evomuiſſe. Tandem eo ſe recepiſſe, ut Origenis dogmata non defenderent, ſed ab hæreticis contenderent omnes, qui ipſi tribuebantur errores fuiſſe in illius O-pera intruſos. Primum conſtat ex illis verbis: „ Utinam Serpentina generatio, aut ſim-
„ pliciter noſtra fateatur, aut conſtanter defendat ſua, ut ſcire valeamus, qui nobis
„ amandi ſint, qui cavendi. Nunc autem, novum Pœnitentiæ genus! oderunt nos quaſi
„ hoſtes, quorum fidem publice negare non audent .... Soli ſunt hujus hæreſeos Se-
„ ctatores, qui cum Eccleſiaſticis non valent fœderari: quia quod Sermone coguntur
„ dicere, mente condemnant. Et ſi quando aperta blaſphemia publicis auribus fuerit
„ revelata, & viderint contra ſe audientium turbam circum fremere: tunc ſimulata
„ ſimplicitate dicunt audiſſe ſe primum, quæ Magiſtrum dicere ante neſcierint. Cum-
„ que eorum ſcripta teneantur, voce negant, quod literis confitentur.

Secundum conſtat ex illis verbis: „ Quid neceſſe eſt obſidere Propontidem, muta-
„ reloca, diverſas luſtrare regiones, & clariſſimum Pontificem Chriſti ejuſque Diſci-
„ pulos, rabido ore diſcerpere? ſi vera loquimini, priſtinum erroris ardorem ardore fi-
„ dei commutate. Quid maledictorum pannos hinc inde conſuitis, & eorum carpitis
„ vitam, quorum fidei reſiſtere non valetis? Num idcirco non eſtis vos hæretici,
„ ſi nos quidam aſſertione veſtra crediderint peccatores?

Tertium denique conſtat ex iſtis verbis: *En Papa Theophilus tota Origenem arguit liber-*

libertate hæreticum esse : nec illi dicta defendunt , sed fingunt ab Hæreticis immutata :: multorumque dicunt libros similiter depravatos ; ut illum non sua fide , sed aliorum tueantur erroribus. Cum itaque tot strophæ, tanta pervicacia, tantaque & tam impudens maledicentia in Episcopos, hæretici characteres sint animi ; Monachi Nitriæ merito præsumebantur hæretici, & Origenis non tantum defensores, verumetiam Sectatores Origenianorum dogmatum.

DISSERTATIO XVIII.

De Canone undecimo Epistolæ Canonicæ S. Gregorii Neocæsareensis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum undecimus ille Canon subditititius sit ?

CAnon ille undecimus his verbis conceptus est : *Fletus seu luctus est extra portam Oratorii : ubi Peccatorem stantem oportet Fideles ingredientes orare , ut pro se precentur. Auditio est intra portam , in Porticu , ubi oportet eum , qui peccavit , stare , usque ad Catechumenos , & illinc egredi. Audiens enim , inquit , Scripturas , & doctrinam , ejiciatur , & precatione indignus censeatur. Subjectio autem , seu substratio , est , ut intra Templi portam stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio , seu Consistentia est , ut cum Fidelibus consistat , & cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio Sacramentorum*.

Hunc Canonem addititium esse contendit vir eruditus Joannes Morinus lib. 6. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 1. quem alii viri docti sequuntur. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Canon ultimus Epistolæ Canonicæ S. Gregorii Neocæsareensis , non est addititius.

PRobatur primo ex fide antiquissimorum MSS. quæ penes se habuit Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui hanc Epistolam Commentariis suis illustravit. Hæc enim vero ultimum illum Canonem etiam repræsentabant. Unde & illum expositit ceu Sancti Gregorii genuinum ille Patriarcha in re Canonica peritissimus. Nec ullus ante Morinum ejus fidem sollicitavit.

Probatur secundo : Si postremus ille Canon esset suppositititius , tota Epistola Sancto Gregorio Neocæsareensi suppositа esset . Id porro nemo dixerit eruditus ; ergo nec postremus ille Canon addititius est.

Probatur major. Alii namque Canones eosdem Pœnitentiæ gradus enumerant. Canon nonus Substrationis meminit & Consistentiæ. *Eos* , inquit , *qui in campo aliquid invenerunt , vel in suis ædibus a Barbaris , relictum , si accusati quidem , convicti fuerint , sint similiter in iis qui substernuntur. Sin autem seipsos nuntiaverint , & reddiderint , etiam precibus digni habeantur*. Canon octavus Auditionis meminit , & Fletum insinuat. Substrationem etiam recenset. *Eos* , inquit , *qui alienas domos invaserint , si accusati quidem convicti fuerint , nec auditione dignos existimare. Sin autem seipsos enuntiarint , & reddiderint , in eorum qui convertuntur , ordinem substerni*.

Denique Canon septimus decernit, eos qui inter Barbaros nomen dederunt , & vias vel domos Christianorum ipsis ostenderunt , *etiam ab Auditione arcere oportere , donec de iis , congregatis Sanctis aliquid communiter visum fuerit , & ante eos Sancto Spiritui*. Cum itaque hos Canones nemo suppositionis arguat , immerito Canon postremus , qui gradus illos paulo clarius explicat , a nonnullis addititius censetur.

Probatur secundo ex Concilio Ancyrano , quod annis circiter 40. aut 50. post illius con-

scri-

ſcriptionem Epiſtolæ celebratum eſt, in quo illi Pœnitentiæ gradus ut jam ab antiquo ſtatuti recenſentur, & variorum criminum reis aſſignantur. Cum itaque iſtius Synodi Canones nemo ſuppoſititios eſſe ſomniaverit, non eſt cur ultimus Canon Epiſtolæ Canonicæ Sancti Gregorii Neocæſareenſis additicius cenſeatur.

Probatur antecedens ex Canone 4. illius Concilii, qui ſic habet: *De his qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnaverunt in Idolio, quicumque eorum, cum ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus uſi ſunt, & præparatæ cœnæ indifferentes participes extiterunt: placuit, eos inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio: tunc ad Perfectionis gratiam pervenire.* Eorumdem graduum diſtincte meminit Canon quintus. Canon vero octavus ſic decernit: *Quotquot autem non ſolum ipſi deviarunt, ſed etiam inſurrexerunt, & compulerunt Fratres, & cauſas præbuerunt ut cogerentur: hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud vero ſexennium, Pœnitentiæ ſubjiciantur acriori, & alio Communionem ſine oblatione percipiant, ut Perfectionem expleto decennio conſequantur.*

Tertio. Concilium Nicænum Canone 11. & 12. gradus etiam Auditionis, Subſtrationis, & Conſiſtentiæ, velut rem antiquam memorat. Canone enim 11. de Laicis, qui perſecutionis tempore fidem negaverunt, ita decernit. *Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis Fideles inter audientes habeantur, & ſex annis omni ſe contritione dejiciant, duobus autem annis, ſine oblatione, populo in oratione communicent.*

Canon vero duodecimus decernit, ut qui depoſito militiæ cingulo, militiam poſtmodum repetiverunt, *Decem annis, poſt triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propoſitum, & ſpeciem Pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent.*

Quarto Sanctus Baſilius in Epiſtola 3. Canonica ad Amphilochium, Canone 58. diſerte meminit quatuor illorum Pœnitentiæ graduum. *Qui adulteravit*, inquit, *quindecim annis Sacramentis non communicabit. Hi autem anni quindecim ſic diſpenſabuntur: quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor ſubſtratus, in duobus conſiſtens ſine Communione.*

Et Canone 59. *Fornicator, ſeptem annis Sanctis non communicabit: duobus deflens, & duobus audiens, & duobus ſubſtratus, uno ſolo conſiſtens, octavo autem ad Communionem admittetur.*

Quinto, Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum Epiſcopum, Canone tertio, eoſdem Pœnitentiæ gradus præſcribit fornicatoribus decurrendos: *Qui fornicatione polluti ſunt*, inquit, *in tribus annis ab oratione omnino expellantur: in tribus ſint ſolius auditionis participes, in tribus aliis, cum iis qui in converſione ſubſternuntur, precentur, & tunc ſint Sacramentorum participes.* Ex quibus omnibus colligitur, gradus illos Pœnitentiæ, poſt Sancti Gregorii Neocæſareenſis tempora inſtitutos non fuiſſe, adeoque illos incœpiſſe ante ejus ætatem, & de illis velut de re jam in Eccleſia recepta, & diuturno uſu firmata, fuiſſe locutum. Unde immerito, propter illorum enumerationem, & expoſitionem graduum, ipſi ab eruditis quibuſdam viris abjudicatur poſtremus Epiſtolæ illius Canon.

Objicitur primo. Hunc Canonem additicium eſſe conſtat ex verborum tenore. Manifeſtum eſt enim ex ſermonis contextu, non eſſe Canonem, ſed Commentarium, verba quibus Sanctus Gregorius Neocæſareenſis uſus erat, explicantem. Is enim ſtationibus & earum nominibus uſus erat, ut vulgatis, & ab omnibus cognitis, ut & Sanctus Baſilius, & Concilium Ancyranum, &c. nec in ipſorum mentem venit, utpote rem omnibus cognitam, eas interpretari. Ergo poſtremus ille Canon additicius eſt.

Reſpondeo, Sanctum Gregorium Neocæſareenſem operæ pretium duxiſſe illam Pœnitentialis Diſciplinæ partem clarius & accuratius explicare, tum quia nondum forte in illa Eccleſia, cujus ad Epiſcopum ſcribebat, canonico ordine percurrebantur illi gradus

dus; vel certe incurſionibus Barbarorum peſſumdata, & obſoleta erat Diſciplina; tum quia poſteritatis ad memoriam illorum graduum expoſitionem tranſmittere ipſi neceſſarium viſum eſt: ne in eorum intelligentia fruſtra poſteri ſudarent. Sane multa Patres ſcripſerunt, quæ ipſis explicare placuit. Quæ tamen ipſis ſuppoſita temere dicerentur: & Chriſtus ipſe ſuas expoſuit quandoque parabolas; nec ideo tamen illam expoſitionem verbis Chriſti addititia ſuſpicamur.

Contra. Hæc verba: *Audiens enim, inquit, Scripturas, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur:* ad alium aliquem referuntur ab Auctore iſtius Epiſtolæ, vel Canonis; puta ad Sanctum Baſilium, cujus ad Canonem 58. hæc interpretatio ſpectare videtur. Hic itaque poſtremus Canon addititius eſt Epiſtolæ Sancti Gregorii Neocæſareenſis.

Reſpondeo, hanc vocem, *inquit*, quæ ſenſum perturbat, videri irreptitiam, adeoque expungendam. Vel forte verbum, φημὶ Typographorum oſcitantia ſubſtitutum eſſe pro, φημι ut ſit ſenſus: *Dico enim Audiens Scripturas & doctrinam ejiciatur, &c.* vel τὸ *inquit*, refertur ad Eccleſiæ decretum, quod tunc vigebat.

Objicitur ſecundo. Nartheeis vocabulum antiquis Auctoribus incognitum eſt, qui Eccleſias in duas tantum partes diſtinxerunt, in Aulam ſcilicet ſive Atrium Laicorum, & Sanctuarium, in quo conſiſtere Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis tantum licebat. Uſurpari cepit νάρθηξ in Euchologiis poſt annos a Chriſto nato quingentos. Tum enim Orientales Monachi cœperunt Eccleſias in tres partes dividere, ἱερατεῖον, ναὸν, καὶ νάρθηκα .... ἱερατεῖον, ſive Sanctuarium pertinebat ad Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos: ibi erat Altare, ibi liturgia celebrabatur; ναὸς ſive Templum ad cæteros Clericos, & Monachos. Ibi ſedebant, & cantabant Monachi, & præcipua Officia celebrabant; nonnulla enim peragebant in Narthece. Narthex autem reliquam Eccleſiæ partem, ad portas uſque exteriores complectebatur. Cum itaque Auditionem definiat ille Canon, ἐν τῷ νάρθηκι quod Interpres vertit, in Porticu, non videtur ad tempora S. Gregorii Neocæſareenſis pertinere.

Reſpondeo, Vocabulum Narthecis non fuiſſe excogitatum, aut uſurpari cœptum quinto Sæculo, ſed tam antiquum eſſe, quam ſint antiquæ in Eccleſia Porticus. Satis ejus vetuſtatem probat S. Gregorius Thaumaturgus, quem illud uſurpaſſe contendimus. Integro & amplius ſæculo recentius doctiſſimus Morinus dicit, ſed non probat.

Objicitur tertio. Antiquiſſima Græcorum Canonum Collectio a Gregorio Patriarcha Conſtantinopolitano ante octingentos annos elaborata, quam in Bibliotheca illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii Petri Seguerii ſe legiſſe teſtatur Morinus, cæteros Sancti Gregorii Neocæſareenſis Canones, præter undecimum, complectebatur. Itaque Canon ille ipſius Epiſtolæ aſſutus eſt.

Reſpondeo, unius exemplaris fidem omnibus MSS. Orientalis Eccleſiæ, quorum plura Balſamoni videre, & expendere licuit, non eſſe anteponendam. Videtur itaque mutilus fuiſſe illuſtriſſimi Seguerii Codex.

Objicitur quarto. Ante Novatiani hæreſim, immo ſub illius tempora, nulla quatuor Pœnitentiæ graduum apud Auctores Eccleſiaſticos memoria occurrit, quamvis de Pœnitentia prolixe egerint; omnemque illius deſcripſerint Diſciplinam. Non illorum meminit Tertullianus in libro de Pœnitentia; non Sanctus Cyprianus in libro de Lapſis, aut illis in Epiſtolis, quibus agendæ pœnitentiæ rationem modumque præſcribit. Concilium etiam Illiberitanum, licet ſeveriſſimas Pœnitentiæ leges tulerit, illas quatuor ſtationes altiſſimo premit ſilentio. Ergo S. Gregorius Neocæſareenſis non videtur quatuor laudatos Pœnitentiæ gradus enumeraſſe, & expoſuiſſe, adeoque videtur addititius Epiſtolæ illius Canonicæ poſtremus Canon.

Reſpondeo graduum illorum, & ſtationum Pœnitentialium diſtinctam enumerationem, etiam poſt Novatianam hæreſim, non occurrere in Paræneticis Patrum Operibus, ſed ſolum in Epiſtolis Canonicis, vel in ſanctionibus Conciliorum. Namque nec apud S. Pacianum, nec apud Sanctum Ambroſium, nec apud Sanctum Auguſtinum, nec apud Sanctos Chryſoſtomum & Hieronymum qui luculentos & elegantes de Pœnitentia libros, vel Homilias ſcripſerunt, ullam invenies illorum graduum, ſeu ſtationum

diſſer-

diſertam mentionem. Nec tamen inficiaberis illorum Patrum ætate gradus illos inſtitutos fuiſſe. Quamvis igitur illorum diſerte non meminerint priſci Patres, qui ante Novatianæ hæreſeos ortum ſcripſere, non ſequitur quod tunc inſtituti non fuerint.

Certe ſubſtrationis Tertullianus meminit libro de Pœnitentia, cap. 9. *Hujus Pœnitentiæ*, inquit, *ſecundæ, & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt... Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis Diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ ilicem. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, animum mœroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies, noctesque ad Dominum Deum ſuum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.*

Et cap. 39. Apologetici, exponit quod tribus primis Pœnitentiæ gradibus commune eſt, ſcilicet expulſionem ab Eccleſia, & relegationem a Communione orationum. *Summum*, inquit, *futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione Orationis, & Conventus & omnis Sancti Commercii relegetur.*

Sanctus Cyprianus diligentem, laborioſam, diuturnam Pœnitentiam deſcribit, ac præcipit; in qua proſtrati Pœnitentes, cineri adhæreant, in cilicio & ſordibus volutentur, in luctu dies, noctesque tranſigant. Præſcribit Pœnitentiam, quæ juſto tempore agatur, & ſecundum Diſciplinæ ordinem, & qua peracta jus Communionis per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri, Pœnitentes accipiant. Nonne vero hæc verba ſignificant generatim Pœnitentiæ publicæ gradus, & ſtationes, quæ ritu ſolemni a peccatoribus decurrebantur? Quamvis fatear in illas nondum lato Canone diſtributam fuiſſe Pœnitentiæ actionem, ſed in arbitrio Epiſcoporum totam illam verſatam fuiſſe Diſciplinam. En porro verba Sancti Cypriani Epiſtola 10. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum Diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant; & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communionis accipiant; nunc crudo tempore ... nondum Pœnitentia acta, nondum Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Porro manus ab Epiſcopo & Clero Pœnitentibus in gradu ſubſtrationis imponebantur: quem ſolum diſerte S. Cyprianus commemorat, quia in eo dumtaxat laborioſis Pœnitentiæ operibus caſtigabantur peccatores.

Et libro de Lapſis: *Quam magna deliquimus*, inquit, *tam granditer defleamus: Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit, pœnitentia crimine minor non ſit..... Orare oportet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo, adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari.* Certe his verbis, & fletus & ſubſtratio diſerte ſignificantur.

Concilium Illiberitanum Canone 3. Flaminibus qui munus dediſſent pro Sacrificiis Idolorum, vel qui dato munere, funeſtam Idolis immolandi neceſſitatem redemiſſent, decernit in fine dari Communionem, *Acta tamen legitima pœnitentia.*

Et Canone 31. Dominæ, quæ ancillam ſuam flagris verberando occiderit, *Si voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu, poſt quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia*, tribui decernit Communionem. Eorum qui ad hæreſim defecerint, pœnitentia decem annorum ſpatio definitur Canone 22. Porro legitima pœnitentia ea erat, quæ fiebat juxta Eccleſiæ leges, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſeveritatem, & in qua percurrebantur gradus omnes, qui cum noti eſſent, ſinguli propriis vocabulis non exprimuntur in antiquis Canonibus; quamvis & temporis prolixitas, & legitimæ Pœnitentiæ nomen ſatis illos indicent.

Denique peccatorum quorumdam reos illa Synodus ſola Communionis Euchariſticæ privatione mulctat, ut Canone 21. *Si quis in Civitate poſitus, tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.*

Et Canone 79. *Si quis Fidelis alea luſerit, placuit eum abſtineri; Et ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit reconciliari Communioni.* Sane illa Communionis privatio

cum laboriosis Pœnitentiæ operibus conjuncta non erat, immo diserte illam distinguunt a Pœnitentia Illiberitani Patres (ut constat ex specie Canonis decimiquarti) *Virgines*, inquit, *quæ Virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt.* Illa itaque privatio Communionis, erat Consistentiæ gradus, cujus Illiberitanum Concilium meminit, quamvis non sub ipso Consistentiæ vocabulo.

Ex his colligitur, quatuor Pœnitentiæ gradus seu stationes, ante Novatianam hæresim institutas fuisse & usurpatas. Unde Joannes Abbas Raithu, in Scholiis ad Scalam Sancti Joannis Climaci, varios illos Pœnitentium ordines & gradus Apostolicam Traditionem vocat. „ Et Apostolica Traditio, *inquit*, de divisione, & ordinatione Pœ„ nitentium, purgandorum, & Catechumenorum. Sunt vero Pœnitentium quinque lo„ ci. Locus Plorantium, cum Pœnitens stat extra ambitum Ecclesiæ, & procidens cum „ fletu ab ingredientibus postulat orationem, ante ipsorum pedes prostratus. Locus „ qui dicitur Audientium, ante portas quæ Basilicæ dicuntur, ad audiendum Officium, „ ubi Pœnitentes divinum Officium audiunt. Subsistratio, quæ est statio Ecclesiæ, in„ tra ambitum Ecclesiæ, in posteriori parte Ambonis. Unde & qui ibi est, in excla„ matione, quæ fit ad egressuros, & ipse cum eis egreditur. Consistorium illis statui„ tur, qui usque ad complementum Sacri Mysterii perseverant. Statio vero cum Fi„ delibus fit participatio vivifici Panis, & communicatio & libatio Calicis Domini.

Respondeo secundo: Dato quod ante Novatiani hæresim celebres illæ Pœnitentium stationes institutæ nondum essent in Ecclesia, consequens non esse, ut commemorari non potuerint a S. Gregorio Neocæsareensi, qui Canonicam Epistolam suam decem & amplius annis post Novatiani Schisma conscripsit. Factus namque est Antipapa Novatianus anno Christi 251. aut 254. Scripsit vero Epistolam suam Canonicam S. Gregorius post annum Christi 263. quo Gothi & Boradi per Pontum, & alias Græciæ Provincias grassati sunt.

DISSERTATIO XIX.

De Sententia Sancti Dionysii Alexandrini circa Mysterium Trinitatis.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum S. Dionysius Alexandrinus Arianis faverit, eorumque hæresim præformaverit?

SAnctum Dionysium Alexandrinum contra Sabellii ad huc spirantis hæresim dimicasse, in Synopsi diximus: sed cum in illam vehementius obniteretur, & personas accuratius distinguere curaret adorandæ Trinitatis, contrariam in partem inflecti visum esse, quasi divinas Personas ab invicem non tantum distingueret, verumetiam divideret. Hinc Pentapolitani eum tamquam violatæ fidei reum ad Dionysii Romani Pontificis Tribunal detulerunt, qui Concilium ea de causa Romæ coegit. Ex eo Concilio Romanus Pontifex, aliique Episcopi, Alexandrinum Antistitem monuerunt, ut de fide sua accuratam redderet rationem.

Hujus rei testis locupletissimus est S. Athanasius in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, ubi sic historiam ab origine repetit. „ In Pentapoli, *in*„ *quit*, Libyæ superioris, quidam Episcoporum sententias Sabellii amplectebantur, tan„ tumque eorum commenta invaluerant, ut ulterius Filius Dei vix in Ecclesiis prædi„ caretur. Re cognita, Dionysius, ad cujus curam eæ Ecclesiæ pertinebant, Lega„ tos misit, qui Auctores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis „ autem de stultitia sua non remittentibus, impudentiusque in impietate pergentibus, „ coactus est ad illorum improbitatem retundendam, istiusmodi Epistolam scribere (ad „ Euphranorem & Ammonium) & humanitatem Christi ex Evangeliis commonstra„ re, ut illis audacius Filium Dei abnegantibus, & humana ejus Patri imputantibus,

„ com-

„ commonſtrata rei veritate, non Patrem, ſed Filium pro nobis hominem eſſe geni-
„ tum, rudibus illis & inſcitis hominibus Patrem non eſſe Filium perſuaderet, & pau-
„ latim ad veram Filii deitatem credendam, & Patris cognitionem evehere poſſet.

Quod vero S. Dionyſius Alexandrinus in ſuſpicionem Arianæ impietatis, id eſt ejus erroris, quem Arius poſtea propugnavit, adductus ſit coram Dionyſio Romano Pontifice, idem Sanctus Athanaſius teſtatur in librode Synodis. „ Cæterum, *inquit*, affir-
„ mant Epiſcopos, qui Samoſatenſem condemnarunt, dixiſſe Filium non eſſe Patri con-
„ ſubſtantialem, ac jam deinde ipſos ob reverentiam, honoremque eorum, qui ita lo-
„ cuti ſunt, ab hac voce abhorrere, rectum fuerit reverenter cum iis de ea re diſce-
„ ptationes facere. Nam arietare cum illis prorſus indecorum eſt, eo quod omnes
„ Patres ſint. Rurſus dijudicare iſtos bene, illos male dixiſſe, nequaquam ſanctum eſt.
„ Quapropter neque contentioſius agendum eſt, neque numerus eorum, qui congrega-
„ ti fuere, in comparationem mittendus, ne videantur trecenti illi Nicæenſes, eos
„ qui pauciores ſunt, perſtringere; neque tempora metienda ſunt, ne videantur prio-
„ res poſteriores exauctorare. Omnes enim iſti, (quemadmodum dixi) Patres ſunt.
„ Sed tamen neque iſti, quaſi novum aliquid ſapientes, id in ſcripta retulerunt; ne-
„ que ſui fiducia voces in Scriptura non ſolemnes defendunt: ſed a Patribus incitati,
„ eorum vocabulis uti voluerunt. Duo enim Dionyſii diu ante eos ſeptuaginta fuere,
„ qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præſul erat.
„ Ibi cum quidam Alexandrinum Epiſcopum apud Romanum accuſarent, quaſi qui
„ Filium opus, & non conſubſtantialem Patri diceret; & Synodus Romæ coacta in-
„ digne tulit, & Romanus ad cognominem ſibi Epiſcopum omnium ſententiam per-
„ ſcripſit, ac jam inde ille ſe ad defenſionem parans, libello ſuo titulum Refutatio-
„ nis, & Apologiæ indidit, & hæc verba ad Romanum ſcripſit, &c. " His præno-
tatis, ſit

PROPOSITIO.

Sanctus Dionyſius Alexandrinus neutiquam Arianis favit, aut Arii præformavit errorem.

PRobatur primo ex Apologia quam edidit, ut illius erroris ſuſpicionem a ſe penitus amoliretur. Qui enim ſe ab aliqua opinione purgat velut a flagitio, is certe ipſa ſui excuſatione oſtendit ab illa ſe eſſe alienum. Atqui S. Dionyſius Alexandrinus, cum accuſaretur a Pentapolitanis quibuſdam, quod plures deitate diſpares, & eſſentia diſtinctas in Deo perſonas admitteret, ab ea ſe opinione, edita Apologia purgavit, quam ad Romanum tranſmiſit Pontificem. Fuit igitur omnino ab eo errore alienus.

Hoc argumento vindicat Dionyſium Alexandrinum ab errore S. Athanaſius, in Epiſtola de ejus ſententia contra Arianos. *Cum igitur*, inquit, *Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus certior factus de Pentapolitanis, zelo religionis hanc Epiſtolam contra hæreſim Sabellii ad Ammonium, & Euphranorem ſcripſiſſet: quidam ex Eccleſia, recte quidem ſentientes, ſed tamen ignari ejus cauſæ, cur ita ab eo ſcriptum eſſet, Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium ejuſdem nominis Romanum Præſulem accuſarunt. Re comperta, Alexandrinus ſimul & contra Sabellii Sectatores, & Arii dogmata, volumen compoſuit: ubi æquales, ſed tamen contrarias hæreſes eſſe docet in Sabellii dogmatibus, & blaſphemiis eorum, qui dicunt, Dei Verbum opus, vel creaturam eſſe; poſtulavitque a Romano Præſule, ut objecta ſibi indicaret. Quibus acceptis, Opus edidit ſub nomine Elenchi & Apologiæ, ubi ſceleratam officinam Chriſti rebellium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipſum excitarint, demonſtrat.*

Et paulo poſt ſubjungit: *Quod autem ad Præſulem Alexandrinum attinet, ex Apologia ejus ſatis apparet, eum non illius eſſe ſententiæ, cujus iſti dicunt fuiſſe, aut quidquam pravarum opinionum Arii accepiſſe. Immo potius Scripta illius efficaciter demonſtrant, calumnias eſſe, quibus vulgo impetitus ſit. Nec enim rixandi animo, ſed ſui purgandi, Apologiam ſcripſit. Certe qui ſuam innocentiam purgat, quid aliud facit,*

culas aucupari, & veritatem, & fidem rerum, quę ex aliis Epistolis elucet, prætermittere.

Respondeo secundo, S. Dionysium hæc scripsisse quadam œconomia & accommodatione, ut Sabellii dogma perversum elideret, qui personæ sicut & naturæ unitatem asserebat. Quamobrem personam Filii a persona Patris reipsa distinctam probare studens, ea selegit de Scripturis testimonia, quæ ad assumptæ carnis imbecillitatem referuntur, & quæ sine controversia Filio conveniunt. Ita respondet S. Athanasius, loco supra laudato: *Agricola*, inquit, *qui alias atque alias arbores pro subjecti soli ratione curat, minime culpari debet, quod hanc amputet, illam inserat, istam plantet, aliam rursus evellat; sed potius ob multiplicem solertiam, in admiratione esse. Quapropter, si non obiter & perfunctorie ejus viri Scripta legerint, indicent mihi quale argumentum, scopumque Epistolę secutus sit. Si id fecerint calumniam suam, animique pravitatem in lucem proferent.*

Et infra: *Rursus si idem se de Epistola sua ad Ammonium unde suspicio nata est, adhibito remedio, excusarit, neque post excusationem de sententia orthodoxa decessit; certum est eum, ea quæ suspecta fuere, ex usu rerum, pro negotii conditione conscripsisse; neque istiusmodi Scripta, quæ negotiis attemperata sunt, oportuit maligne, odioseque interpretari, aut ad cujuslibet libidinem, studiumque torqueri.*

Id illustrat variis exemplis S. Athanasius Primo exemplo Medici, qui remedia morbis curandis congrua adhibet, quæ tamen contraria videntur artis ignaris. Secundo, exemplo optimi præceptoris, qui præcepta sua ingenio & moribus discipulorum accommodat. Ita Sabellianam hæresim refellens Dionysius Alexandrinus, ea scripsit, quæ ad personarum divinarum persuadendam distinctionem apta erant, licet contra essentiæ unitatem pugnare in speciem viderentur.

Tertio. Beatum Dionysium Alexandrinum defendit S. Athanasius Apostolorum exemplo, quos nullus Ariani erroris fundamenta jecisse dixerit, quia Christum hominem e Nazareth oriundum, & patibilem esse prædicarunt. „ An quia ita isti calumniantur, „ suspicandum est Apostolos his verbis utentes Christum tantummodo hominem esse „ existimavisse, neque quidquam sublimius de eo cogitasse? Absit ut hoc cuiquam in „ mentem veniat. Illi ut architectones periti, & dispensatores Mysteriorum Dei, „ non sine justa ratione rem ita temperarunt. Judæi enim ejus temporis, partim ipsi „ errantes, partim Ethnicos in errorem abducentes, Jesum nudum & merum dumtaxat hominem ex semine Davidis prodiisse credebant. Hac de causa beati Apostoli „ prudenter admodum humana Salvatoris primum Judæis attulere, ut eos jam Chri„ stum venisse, signis, miraculisque persuasos, paulatim ad credendam ejus divinitatem „ perducerent; demonstrantes certissimis rationibus, istiusmodi opera non hominis sed „ Dei esse. Certe Petrus, cum diceret hominem patibilem Christum, statim adjunxit: Hic auctor vitæ est. Idemque & in Evangelio fatetur, dum inquit: Tu es Chri„ stus Filius Dei vivi. Et in Epistola eum Episcopum animarum, & Dominum suum, „ & Angelorum, & Potestatum pronuntiat. Ita quoque & Paulus, qui dicit Christum „ virum ex semine David oriundum esse, in Epistola ad Hebræos vocat eum Splen„ dorem gloriæ, & figuram substantiæ ejus . . . Idem igitur Dionysius ab Apostolis edoctus fecit, coactus ob Sabellii hæresim, quæ jam irrepserat, istiusmodi Epi„ stolam scribere; verbaque quæ humanitus, & serviliter de Servatore sonant, objicere, ut rebus humanitatis ejus intersepirentur, quominus Filium Patrem esse di„ cerent, faciliorem illis viam ad credendam divinitatem Filii strueret in illis Epistolis, ubi ex Sacris Scripturis Verbum eum esse, sapientiam, virtutem, vaporem, „ splendoremque Patris esse demonstrat. Certe in scriptis suæ Apologiæ propalam & „ ingenue piam Fidem in Christum profitetur. Ut igitur Apostoli culpandi non sunt, „ sed potius, ob doctrinam pro tempore dispensatam, admirationi esse debent: ita „ Dionysius quoque, ob Epistolam Euphranori & Ammonio contra Sabellium scriptam, „ culpandus non est. Quod enim verbis humilibus, & exemplis usus est, id Evangelio, unde illa accepta sunt, debet; simulque ejus rei causam præbuit Salvatoris in „ carnem adventus.

Res-

Reſpondeo tertio, Dionyſium Alexandrinum verba in argumento laudata ſcribentem, ſpectaſſe Filium Dei ratione humanitatis aſſumptæ, non ratione divinitatis, aut divinæ Hypoſtaſeos. „ Agricola namque, *inquit S. Athanaſius ibidem*, quantum ad „ ſubſtantiam vitis attinet, natura ab ea externus, & alienus cenſeri debet: palmites „ contra congeneres cum vite indiviſimque cohærentes, & ipſi interim eamdem natu„ ram & parem cum vite poſſident. Si igitur Filium ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ eſſe „ velitis, eamdemque naturam poſſidere, ſit igitur ſecundum hoc alienus a ſubſtantia „ Patris, eo modo quo vitis ab Agricola. Sin autem Filius aliud eſt, & diverſum a „ nobis, nimirum Verbum, ratioque Patris, nos contra nil niſi terrigenæ, & poſteri „ Adæ; certum eſt illud dictum de vite & Agricola non referri ad deitatem Verbi, „ ſed ad ejus humanitatem; cum ad iſtum modum Dominus ſua verba temperarit: „ Ego ſum vitis, & vos palmites: Pater vero meus Agricola eſt. Nos enim reſpectu „ corporis noſtri, Domini cognati ſumus, ac proinde ab illo dictum eſt: Annuntiabo „ nomen tuum fratribus meis. Et ut palmites ex vite ſunt, eique conſubſtantiales ha„ bentur, ita & nos cognata cum Domino corpora ſortiti, incrementum ex ejus ple„ nitudine accepimus, ejuſque radice ad reſurrectionem, & ſalutem nitimur. Pater „ vero Agricolæ nomen meretur, eo quod ipſe per Verbum, vitem, quæ eſt huma„ nitas Salvatoris, condiderit; atque ideo nemo ad Dominum venire poteſt, niſi Pa„ ter eo illum traxerit. Cum igitur iſte ſit hujus ſententiæ intellectus, opportuniſſi„ me ea de hac vite ſcribuntur, Fidelem eum fuiſſe illi, qui ipſum fecerat, & tan„ to præſtantiorem Angelis factum: necnon & illud, Dominus creavit me. Quo enim „ tempore illud acceperat quod pro nobis oblaturus erat, corpus ſcilicet ſuum ſacro„ ſanctum ex Maria Virgine natum, eo nimirum tempore de illo ſcriptum oportuit, „ ipſum conditum & creatum fuiſſe, ſiquidem hujuſmodi dicta hominibus congruunt, „ & attemperata ſunt, neque poſt corpus aſſumptum Angelis præſtantior factus eſt, „ ne antea illis minor, aut par fuiſſe videatur.

Certe hanc vitis, & agricolæ comparationem, & appellationem operis, & creaturæ, non eſſe relatas a S. Dionyſio ad perſonam Filii ſecundum ſe, ſed tantum ratione humanitatis aſſumptæ, conſtat ex illius verbis quæ refert S. Athanaſius. „ Tametſi „ meum dictum ſit, quod non invenerim hanc vocem conſubſtantialitatis in Literis „ ſacris, rem tamen ipſam inibi deprehendi, cognovique Filium, qui Verbum eſt, non „ alienum a Patris ſubſtantia eſſe.

Addit inferius: Quia maligne objectum erat Sancto Dionyſio, quod *Deum* dixiſſet „ factorem Chriſti, multiplici ratione ad ſe defendendum uſus eſt. Dicit, ne ita qui„ dem ſuum ſermonem reprehendi debere; reſpectu enim carnis creatitiæ, quam Ver„ bum aſſumpſit, Deum Chriſti factorem appellaſſe. Quod ſi de Verbo quiſquam hoc „ dictum eſſe ſuſpicetur, modo benigne audiat, intelliget me nequaquam ſentire Ver„ bum creaturam eſſe; cum Deum ejus, non conditorem, ſed Patrem appellem. Nam „ tametſi obiter a me Deus Filii ſui creator nominetur, tamen vel ita quoque res non „ caruerit ſua defenſione. Nam Græci ſapientes ſeſe ſuorum verborum, quo rum pa„ rentes, genitoreſque ſint, factores nuncupant. Quin etiam Sacra Scriptura motuum „ noſtrorum ex noſtro corde prodeuntium factores nos appellat; factoreſque item le„ gis judicii, & juſtitiæ; adeo ut undecumque appareat, magnum illum Filium nec „ creaturam, nec opus eſſe; ac proinde ſe alienum eſſe ab Arianica pravitate.

Objicitur ſecundo Auctoritas Sancti Baſilii, qui a Maximo Philoſopho rogatus quid de Dionyſio Alexandrino ſentiret, aſſerit ipſum, dum vehementius obluctari Sabellio cuperet, in contrarium errorem inflexum eſſe. Ita enim habet Epiſtola 41. „ Quæ „ de rebus Dionyſii ſciſcitaris, venerunt quidem ad nos admodum illius multa. Libri „ vero nondum adſunt; atque adeo nihil dum miſimus. Eſt autem hæc noſtra de illo „ ſententia. Non omnia viri hujus laudamus: ſunt quæ prorſus etiam damnamus. Ipſe „ propemodum quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis iſtius Anomæanæ, „ quæ jam paſſim obſtrepit, ſeminaria præbuit. Cauſam vero hujus non puto animi „ malitiam eſſe, ſed quod vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum ſi-

„ milem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus aversionem, ita
„ immoderate illam retorquet, ut a medio abhorreat & ad contrarium latus ramulum
„ adducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impie-
„ tati Afri illius se opponit acriore impetu, minus prudenter sibi prospiciens, in ma-
„ lum huic oppositum præceps abiit; & quidem nimio contendendi studio. Satis enim
„ huic fuit, si argumentis doceret, Patrem & Filium non idem esse subjecto persona-
„ li, ac palmarium hoc præsumptæ victoriæ ex hoste blasphemo nimirum Sabellio re-
„ portaret. Atqui is Dionysius, quod unum expetebat, perspicue admodum obtinuit,
„ sed ex superfluo. Nam non solum diversitatem; τῶν ὑποστάσεων, sed & τῆς οὐσίας dif-
„ ferentiam constituit, potentiam Filii imminuit, & ipsius gloriam immutat ac maje-
„ statem. Hinc adeo contigit ut malum permutaret malo, atque aberravit a scopo re-
„ ctissimæ & sincerioris doctrinæ, quo factum est, ut varius sit deprehensus, & incon-
„ stans in conscriptionibus suis: & quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον per ea quibus in re-
„ cta hypostasum constitutione minus recte usus est: nunc contra admittit, dum resc-
„ pondet sibi Cognomini. Nec his contentus, & de Spiritu Sancto voces edidit, quæ
„ nulla prorsus sui parte competunt Sancto Spiritui, divinam illi atque adorandam adi-
„ mens majestatem, & eumdem ad hæc inferiora devexum, creatæ adnumerat, ac
„ servili naturæ. " Hanc Sancti Basilii de Dionysio Alexandrino sententiam refert Pho-
tius inter Gobati Excerpta, Bibliothecæ Codice 232. Constat itaque ex Sancto Basilio, Dionysium Alexandrinum eum in errorem incaute abreptum esse, qui Arianorum postea palmaris fuit.

Respondeo primo, Sanctum Dionysium Alexandrinum meliorem sui esse interpretem, quam sit S. Basilius: & rursus Sanctum Athanasium Alexandrinum etiam Episcopum res & sensa Dionysii melius nosse. Cum itaque Sanctus Dionysius mentem suam aperuerit & fidem exposuerit editis Apologiis, quæque a se paulo durius dicta videbantur, Catholico sensu a se conscripta demonstraverit; cum insuper Sanctus Athanasius Alexandrinus Antistes ipsum vindicaverit ab errore, singulari edito libro, maxima cum veneratione hæc in causa deferendus est Sanctus Basilius.

Respondeo secundo, Sanctum Basilium, cum hæc de Sancto Dionysio Alexandrino scripsit, quatuor Apologeticos libros ab illo ad Dionysium Romanum Pontificem pro sui purgatione conscriptos, minime compertos habuisse, quod & ipse innuere videtur cum ait: *Venerunt quidem ad nos admodum multa, libri vero nondum adsunt*. Librorum autem nomine intelligi debere Commentarios ad Dionysium Romanum Pontificem datos, satis aperte declarat Eusebius libro 7. cap. 21. *Quatuor item Libros*, inquit, *de eodem argumento nempe contra Sabellii hæresim composuit, quos gentili suo Dionysio, qui Romanus erat Episcopus, dedicavit*. Cum igitur constet, nec S. Basilium omnia ab eo scripta hoc de argumento comperta tunc habuisse, nec insuper Apologeticum librum pro eodem a S. Athanasio editum ei tunc innotuisse, non mirum si paulo severius de ipso Dionysio Alexandrino tulerit judicium. Sed his omnibus demum inspectis, & expensis, tantum abest ut eum violatæ Spiritus Sancti majestatis amplius accusaverit: quin potius, quæ ab illo scripta essent eo argumento, in sui defensionem adduxerit. Sic enim habet in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 29. *Ceterum cum apud me reputo si quis veterum ac BB. virorum his, quibus nunc reclamatur, vocibus usus sit, multos reperio, quibus antiquitas fidem conciliat, qui juxta exactam eruditionem, non juxta horum temporum homines, quorum alii præpositione, alii conjunctione, in Glorificatione sermonem copulant, statuerunt nihil referre sane quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam. Irenæus ille, & Clemens Romanus, & Alexandrinus Dionysius, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi Cognominem Epistola de accusatione, ac defensione, hunc in modum finit sermonem: Transcribam autem vobis ipsa hominis verba: His, inquit, congruenter & nos etiam, forma, regulaque a Senioribus, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam vobis scribere desinemus. Deo autem Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu, gloria & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.* Porro cum S. Basilius impugna-

gnaretur ab æmulis quasi violatæ majestatis Spiritus Sancti reus; non laudasset Dionysium Alexandrinum ut suæ testem locupletissimum fidei, si in ejusdem criminis suspicionem adduci merito eum posse existimasset.

Objicitur tertio, ex Gennadio, libro de Dogmatibus Ecclesiasticis, scribente: *Nihil creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius fons Arii.*

Respondeo, hæc a Gennadio inconsulto scripta esse: quem verisimile est omnes S. Dionysii Alexandrini lucubrationes, & S. Athanasii pro eo Apologiam non legisse, cum hæc scripsit.

Ex his constat deceptum fuisse Rufinum, cum errores in Dionysii Scriptis esse effutiit; quamquam ab Arianis intrusos causaretur. Namque nihil hujusmodi a S. Athanasio scriptum est: quinimo ejus Opera integra & illibata servata fuisse innuit, quibus ejus Orthodoxia innotesceret, Arianaque hæresis debellaretur.

DISSERTATIO XX.

De Lapsu Marcellini Romani Pontificis, & de Sinuessana Synodo.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum Marcellinus thus Idolis adoleverit, ob idque in Sinuessana Synodo fuerit damnatus?

PROPOSITIO I.

Marcellini lapsus commentitius est.

PRobatur primo ex Silentio veterum Historiæ Ecclesiasticæ Scriptorum, qui lapsum, & thurificationem Marcellini nullatenus noverunt. Eusebius libro 7. cap. 32. Pontificatus ejus meminit, non thurificationis, & Theodoretus lib. 1. cap. 3. vocat Marcellinum *Virum persecutionis temporibus magna gloria nobilitatum*. Lapsus ejus ne per umbram quidem meminit.

Probatur secundo ex S. Augustino, lib. de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 16. ubi Donatistam illum refellens, qui plures Ecclesiæ Romanæ Episcopos Traditionis sacrorum Codicum, & thurificationis arguebat, hæc habet: *Quid ergo jam opus est ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis infectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus & Sylvester, Traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Porro qua ratione quod in medio Urbis, in Idolorum templo, coram Imperatore, a tali præsertim, tantoque viro supponitur admissum facinus, unum præteriisset Augustinum, qui etiam Romæ tamdiu versatus est, quique hoc factum, importunis Donatistarum Objectionibus coactus accurate discussit? Quod si id soli sciverint Donatistæ, cur tanti rem momenti absque aliqua testificatione prodiderunt? Cum præsertim thurificationis atque damnationis Marcellini Acta illa Sinuessanæ Synodi, ut fingitur, suppeterent.

Tandem cur Donatistæ, qui omnem verterunt lapidem in tot Conciliis, & Collationibus, ut unum Cæcilianum traditionis arguerent, Marcellini Romani Pontificis lapsum ac thurificationem sæpius non prôdiderunt, ac probaverunt? Certe in celeberrima illa, mandato Imperatoris, facta Collatione Carthagine inter Catholicos & Donatistas Episcopos, cum sese paratos jactitarent Hæretici ad convincendum traditionis Melchiadem Roman. Pontificem, & prolixa admodum Acta legi petivissent, nihil in iis, quo reus probaretur, penitus inventum est, ut refert S. Augustinus in Breviculo Collationis

diei

diei tertiæ, cap. 18. & libro post Collationem edito, cap. 12. & 13. At si vere lapsus esset Marcellinus, ibi lapsum ejus objicere non omisissent ad facessendum negotium Melchiadi, qui ejus Presbyter fuerat: sicut ex persona Felicis Aptungitani Cæciliano moverunt quæstionem, quod ab eo, qui fuerat sacrorum librorum traditor, ipse fuisset ordinatus.

PROPOSITIO II.

Concilium Sinuessanum suppositititium est, ac plane fictitium.

PRobatur primo. Incredibile est quod sæviente persecutione Diocletiani, omnium scilicet crudelissima, trecentorum Episcoporum cogi potuerit Conventus, eo scilicet paulo minor, qui in maxima Ecclesiæ pace, totis viribus adnitente Constantino Imp. Nicææ in Bythinia fuit postea congregatus: ergo fictitia est Sinuessana Synodus 300. Episcoporum, quæ an. Christi 303. fuerit congregata ad Marcellinum Pontificem condemnandum.

Probatur secundo. Nulla apud quosvis Scriptores, sive profanos, sive Ecclesiasticos, Sinuessanæ Civitatis, & Cleopatrensis Cryptæ, in qua celebratum fingitur istud Concilium, occurrit vel levis memoria. Ficta igitur Civitas est, ficta Crypta, adeoque & commentitia Synodus. Asserere enim cum Baronio & Binio, quod situm, ac nomen loca illa mutarint, divinare est.

Probatur tertio. In Actis istius Concilii Marcellinus dicitur introductus a Diocletiano in Templum Vestæ & Isidis, sacrificasse Herculi, Jovi & Saturno. Istud porro verisimile non est, cum cuique Numini proprio in Templo nuncupata fuisse vota, & oblata Sacrificia, omnia Antiquitatis monumenta testentur.

Probatur quarto. Ferunt istiusmodi Acta Marcellini condemnationem ad Diocletianum esse perlatam, cum esset in bello Persarum: quod apertæ convincitur falsitatis: cum eo ipso anno, Imperii nempe sui vigesimo, sese Imperio abdicaverit Diocletianus, & ante biennium de Persis profligatis cum Maximiano Collega suo Romæ triumphum egerit. Illius igitur Synodi Acta, ut & Synodus ipsa, exsufflanda sunt. Respondent Baronius & Binius, verba illa esse appendicem Actorum, non partem; sed divinantibus quis facile credat?

Probatur quinto. In Actis illis habetur, multitudinem Christianorum ad Templum Idolorum perrexisse, ut de rumore qui sparsus erat contra Marcellinum certiores fierent, & testimonium contra ipsum ferre possent, si eum viderent Idolis sacrificantem; ipsos vero vidisse eum thus falsis Numinibus adolentem. At in ista narratione multa sunt quæ veri speciem nullam habent. Primo, quod tempore persecutionis, quo Fidei Christianæ professores delitescebant, tot Christiani catervatim prodierint in publicum. Secundo, quod ad Templum Idolorum accesserint, Sacrificii, aut Thurificationis sacrilegæ futuri testes, quibus impia Sacrificia, & quosvis Gentilitiæ superstitionis ritus spectare nullatenus licebat, ut constat ex Tertulliano passim in libro de spectaculis, sed maxime cap. 13. ubi postquam præmisit Christianos ab Idolothytis abstinere ex horrore Idololatriæ, hæc addit: *Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, oculos & aures ab Idolothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu & anima digeruntur: quorum munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum?* Et certe si spectacula adire Christianis licitum non erat, quia ex Idololatria constabat universa spectaculorum paratura, ut ait Tertullianus, quanto magis ipsis erat illicitum Sacrificia ipsa falsis exhibita Numinibus spectare?

Probatur sexto. Acta illa referunt 72. testes adductos fuisse mediam in Synodum, qui Marcellinum sacrilegæ Thurificationis convincerent, & nihilominus dixisse ipsi universam Synodum: *Tu eris Judex; ex te enim damnaberis, & ex te justificaberis; tamen in nostra præsentia.* Et post depositionem, dicitur *Ore suo condemnatus. Nemo enim*, inquit aliquis ex fictitiis illis Patribus, *unquam judicavit Pontificem, nec Præsul*

Sacer-

Sacerdotem ſuum, quoniam prima Sedes non judicabitur a quoquam. Quæ ſi vera eſſent, quam ob cauſam tot prolata eſſent adverſus Marcellinum teſtimonia? Quorſum neceſſarii teſtes ad convictionem rei, qui judicari a nemine mortalium poteſt, & cujus ſtandum eſt judicio in propria cauſa? Acta igitur illa inepta ſunt, & ſecum pugnantia: quæ maxima eſt nota ſuppoſitionis.

Septimo. Ad quid myſticus ille ſeptuaginta duorum teſtium numerus? Numquid *In ore duorum vel trium* non *ſtat omne verbum?*

Octavo. Quam bella libræ occiduæ 72. ſolidis conſtantis ad numerum 72. teſtium alluſio, quam nitida elocutio; *Quoniam in ſeptuaginta duorum libra occidua in reparationem reſurgit annus*! Ænigma certe quod nullus Œdipus ſolveret.

Nono. Quam congruum primævæ Eccleſiæ moribus, ut ad teſtimonium ferendum contra Pontificem admitteretur publicus adulter! Quod tamen factum fuiſſe in Actis illis legitur.

Decimo. Veriſimile non eſt quod Marcellinus, qui palam in Templo, tanta ſpectante multitudine, thus adoleviſſe fingitur Herculi, Jovi & Saturno, a ſe admiſſum in totius Romanæ Civitatis luce facinus inficiari auſus eſſet. Quod tamen Acta illa teſtantur.

Undecimo. Pontificem Romanum illo ævo purpura fuiſſe indutum, nemo ſibi facile perſuadebit, quo nullus adhuc irrepſerat in Eccleſiam faſtus, & Apoſtolica ſimplicitas in Epiſcopis fulgebat. Porro id ſupponunt Acta Sinueſſana, in quibus unus teſtium quærenti Marcellino, quo die ipſum thurificantem vidiſſet, reſpondiſſe fertur: *Quo die exuiſti purpuram, & induiſti coccum, & gaudebat ſuper te Diocletianus, & quos paula ante negabas, & ante ejus tribunal eis thurificabas.*

Duodecimo. Ab Eccleſiæ ſenſu aliena ſemper fuit iſta propoſitio: *Prima Sedes non judicabitur a quoquam*: in ea ſpecie cui applicatur in Actis Sinueſſanis. Nam hæreticum Pontificem judicari poſſe cenſuit ac damnari, ut revera damnavit Honorium Sexta Synodus Œcumenica. Idem conſtat ex Canone *Si Papa*, Diſtinct. 40. qui ex Sancti Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi & Martyris verbis contextus eſt, in quo dicitur Papam a nemine eſſe judicandum, *Niſi fuerit a Fide devius*. Quod ſi Pontificem Romanum in hæreſim lapſum judicari poſſe a Concilio ſemper exiſtimavit Eccleſia, multo magis lapſum in Idololatriam.

Ultimo. Quotquot nominantur illis in Actis Epiſcopi, incogniti ſunt, nec cujus loci Epiſcopi fuerint, indicatur: quod a perpetuo Synodorum more, & Synodalium Actorum ſtylo penitus alienum eſt. Argumento eſt itaque, fictitios eſſe Epiſcopos, & Acta fictitia.

Objicitur auctoritas Nicolai I. in Epiſtola ad Michaelem Græcorum Imperatorem, in quaut probet non poſſe quemquam ab his, qui inferioris dignitatis ſunt, judicari, iſtam de lapſu & damnatione Marcellini refert hiſtoriam his verbis: *Tempore Diocletiani & Maximiani Auguſtorum, Marcellinus Epiſcopus Urbis Romæ, qui poſtea inſignis Martyr effectus eſt, adeo compulſus eſt a Paganis, ut in Templum eorum ingreſſus, grana thuris ſuper prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numeroſorum Concilio Epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc ſe idem Pontifex egiſſe confeſſus eſt. Nullus tamen eorum proferre in eum ſententiam auſus eſt, cum ei ſæpiſſime omnes perhiberent: Tuo ore judica cauſam tuam, non noſtro judicio. Et iterum: Noli, ajunt, audiri in noſtro judicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam; & iterum dicunt: Prima Sedes non judicabitur a quoquam.* Ergo vere lapſus eſt Marcellinus in idololatriam, & in Sinueſſana Synodo damnatus.

Confirmatur. Romanum Breviarium thurificationis Marcellini meminit: Romana igitur Eccleſia illius lapſus hiſtoriam probat.

Reſpondeo, Nicolaum I. falſis Concilii Sinueſſani Actis deceptum eſſe, atque illam retuliſſe de lapſu Marcellini hiſtoriam, prout vulgo ferebatur apud illos, qui commentum emunctiore nari ſubodorati non eſſent. Neque enim certam hiſtoriam facit Romani Pontificis auctoritas, cui in hujuſmodi factis major non debetur fides, quam aliis quibuslibet Auctoribus. Sicut ergo eruditorum nemo crediderit, priſcorum Pontifi-

cum

cum Epiſtolas genuinas eſſe, quia ita ſentit Nicolaus: cum argumentis meridiana luce clarioribus compertum ſit ſuppoſitas eſſe ab impoſtore Iſidoro: ita nemo doctus colliget, Marcellinum thus Idolis adoleviſſe, & in Concilio Sinueſſano fuiſſe damnatum, quia Nicolaus I. id refert. Cum enim vellet ſupremam demonſtrare Sedis Romanæ dignitatem Imperatori Michaeli, undequaque arripuit & congeſſit, quæ cauſam ſuam juvare poſſent, ſingulorum factorum accuratiori neglecto examine. Nec ſuccenſere quis debet, quod Summum Pontificem deceptum in rei geſtæ narratione propugnemus, cum minor ſit injuria Sedis Apoſtolicæ oſcitantia illa, & hallucinatio Nicolai, quam thurificatio Marcellini.

Ad confirmationem reſpondeo, Romani Breviarii auctoritatem efficere non poſſe, ut fabulæ in hiſtorias evadant: nec cenſeri debere exploratæ & inconcuſſæ veritatis, quæcumque Breviario ſunt inſerta, quod multis exemplis probare facile eſſet.

SCHOLION I.

Ad hanc Diſſertationem Religioſi Cenſores hanc notam in Indiculo ſuo appoſuerunt, pag. 654. *Baronius errat circa lapſum Marcellini, & Acta Sinueſſanæ Synodi. Tota*, inquiunt, *Diſſertatio expungatur.*

R. Quamvis erraſſe in his, aliiſque plurimis Hiſtoriæ capitibus Cardinalem *Baronium* nemo doctus diffiteatur; hæc tamen verba, *Baronius errat*, mea non ſunt. *Marcellini* lapſum commentitium, Acta Sinueſſanæ Synodi ſuppoſita, invictis rationibus probo; Sanctum Pontificem ab idololatria vindico. Sententiam meam ſecutus eſt vir eruditus *Daniel Papebrochius*, in Propylæo ad Acta Sanctorum menſis Maji, Diſſertatione S. me etiam appellato, & Acta Sinueſſana his verbis ſugillat: *Hæc autem narrantur cum circumſtantiis & formulis tam peregrinis, ne dicam fatuis, ut nequeam animo comprehendere, qua ratione potuerint iſta Acta in compilationibus Conciliorum abſque debita cenſura tolerari.* Eamdem ſententiam propugnat P. *Antonius Pagi* in Critica Annalium *Baronii*, ad annum 302. Num. 16. meas etiam rationes uſurpans.

SCHOLION II.

Ad eamdem Diſſertationem, & ad pag. 657. Editionis primæ, Religioſi Cenſores in Indiculo ſuo hanc Propoſitionem notant: *Ab Eccleſiæ ſenſu alienum, quod PRIMA SEDES A NEMINE JUDICATUR.*

R. Hanc Propoſitionem ab Eccleſiæ ſenſu abſolute & ſimpliciter alienam non dixi, ſed *alienam in ea ſpecie cui applicatur in Actis Sinueſſanis.* Eccleſia enim (inquiebam) *Hæreticum Pontificem judicari poſſe cenſet ac damnari, ut revera damnavit Honorium Sexta Synodus Oecumenica. Idem conſtat ex Canone SI PAPA*, Diſtinct. 40. *in quo dicitur, PAPAM a nemine eſſe judicandum*, NISI FUERIT A FIDE DEVIUS. *Quod ſi Pontificem Romanum in hæreſim lapſum judicari poſſe a Concilio ſemper exiſtimavit Eccleſia, multo magis lapſum in idololatriam.* Eamdem rationem uſurpat eruditus *Papebrochius*, loco ſupra laudato, Num. 8. *Ego*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ prærogativis additum potius aliquid, ſi poſſit, quam detractum velim; illa tamen, qua hic prætenditur*, PRIMA SEDES NON JUDICARI A QUOQUAM, *eo accepta ſenſu, quaſi perſona Pontificis, qua homo ſingularis eſt, nullius judicio ſubjaceret, non modo falſa eſt, ſed ab ipſamet Eccleſia poſitive rejecta in Canone, Si Papa*, Diſt. 40. *ſumpto ex verbis S. Bonifaci Moguntini Archiepiſcopi & Martyris, ubi ſtatuitur ut* PAPA judicetur a nemine, niſi fuerit a fide devius. *Quis autem magis ab ea devius quam idololatra, qualem nobis faciunt Marcellinum, qui lapſum ejus tuentur?*

SCHOLION III.

Ex fine Diſſertationis ejuſdem, pag. 659. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hæc in Indiculo ſuo notant: *Non quæcumque dicuntur a Pontifice ſunt infallibilis auctoritatis*

talis ..... Nicolaus volens ſupremam Cathedræ auctoritatem oſtendere, undequaque arripuit quæ cauſam ejus juvare poterant .... Auctoritas Breviarii Romani non poteſt efficere ut fabulæ in hiſtoriam evadant, nec ſunt infallibilis auctoritatis quęcumque Breviario ſunt inſerta.

R. Quamvis aliis verbis ſenſum meum, immo communem omnium eruditorum hominum exprimant Cenſorii Indiculi Auctores, hæc tamen omnino vera ſunt. Recte ſcripſi, *Nicolaum I.* falſis Concilii Sinueſſani Actis deceptum, illam retuliſſe de lapſu *Marcellini* hiſtoriam, *prout vulgo ferebatur. Neque enim certam hiſtoriam facit Romani Pontificis auctoritas, cui in hujuſmodi factis major non debetur fides, quam aliis quibuslibet Auctoribus.* Eadem propemodum *Papebrochius* habet me laudato. *Et de Breviario quidem reſpondet* (Alexander): *Non cenſeri debere exploratę & inconcuſſę auctoritatis quęcumque ei ſunt inſerta: quod illius tot locis antehac factę correctiones ſic probant, ut ſpem faciant non diſpliciturum Sacrę Rituum Congregationis Preſidibus, quiſquis bona ductus ratione alia ſubinde ſuggeret. Ad Nicolaum quod attinet, eum bona fide allegantem quę ſuo tempore referebantur ut certo vera, nunc tamen repudiantur ab Eruditis ut certo falſa, non putat commiſiſſe aliquid quod Pontificię Dignitati probro verti magnopere poſſit: Alioquin enim tanto juſtius eidem objiceretur Marcellini thuriſicatio, quanto gravius foret Pontificem aliquem thus obtuliſſe cum idololatris, quam in alicujus rei narratione erraviſſe cum vulgo hominum cęterorum etiam optimorum. Quid autem cunctabimur fateri, in recipiendis Sinueſſani Concilii ſuppoſititiis Actis errare potuiſſe Nicolaum? Cum in eadem Epiſtola ad Michaelem, paulo ante, inveniamus allegata Acta cujuſdam Pſeudo-concilii ſub Sixto III. in cauſa Polychronis Hieroſolymitani Epiſcopi, quem nullum unquam in rerum natura fuiſſe, ad ann. 443. agnoſcit demonſtratque Baronius.* Hæc iiſdem verbis Criticæ ſuæ in Annales *Baronii* inſeruit P. *Antonius Pagi* ad annum 302. N. 18. Quæſtionem de Pontificia infallibilitate non attigi, ſed Summos Pontifices, ut privatæ perſonæ ſunt, infallibiles eſſe nemo eruditorum Theologorum dixit.

Nota.

TAlia ſunt Natalis, Papebrochii, & Antonii Pagi argumenta, quibus Marcellini lapſus commentitius, & Concilium Sinueſſanum ſuppoſititium demonſtratur, ut utroque pollice eiſdem ſe ſubſcribat Franciſcus Pagi in Breviario hiſtorico-chronologico Pontificum Romanorum, ubi Marcellini geſta recenſet. Eorumdem calcat veſtigia F. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi Sinueſſanæ Synodi veritatem examinat.

DISSERTATIO XXI.

De Concilio Illiberitano.

ARTICULUS PRIMUS.

De Concilii Illiberitani Epocha.

ILliberis duplex, una in Gallia Narbonenſi, teſte Ptolomæo, non procul a Ruſcinone, ſeu Perpiniano, in ora Illiberis fluvii, a quo forſan urbi nomen inditum, quod & indicat Strabo lib. 3. de ſitu orbis; de qua * Plinius ait: *Oppida Illiberis, magnę quondam urbis tenue veſtigium.* Alteram Ptolomæus, & idem Plinius ſitam eſſe ſcribunt in Turdulis, non procul ab Acci Baſtitanorum, juxta Bætim fluvium. Antiquæ hujus urbis ſitum retinet * Granata Civitas, regni Granatenſis caput, & juridico totius * Bæticæ Conventu celeberrima. Ab hac Illiberum veterem ſeptimo lapide diſtare, probant rudera dirutæ Civitatis & Eccleſiæ, quæ viſuntur etiamnum in colle, qui vulgo Mons Elbiræ appellatur. Hinc & porta Civitatis per quam ad iſtum collem fit iter, nuncupatur porta de Elbira. Quod etiam probant vetuſtiſſimorum inſcri-

* D'Elvire.

* *Plinius lib. 3. c. 3.*

* *Grenade*

* *L'Andalouſie.*

ſcriptiones monumentorum, quæ Auguſtorum temporibus poſita, hoc ſæculo inventa ſunt Granatæ. In hac *Illiberi* Concilium Illiber. celebratum eſt, non vero in Illiberi Galliæ Narbonenſis, ſeu Ruſcinonenſis Comitatus, quæ hodie Caucoliberis, vulgo *Colioure* appellatur. Nam ea Civitas longe ante Conſtantini ætatem diruta erat, ut Pomponius *Mela* & Plinius teſtantur. In deſertam porro, everſamque Civitatem Epiſcopus Toletanæ, Bæticæ, & Luſitaniæ Provinciæ conveniſſe, haud veriſimile eſt. 2. In Illiberi Galliæ Narbonenſis, ſeu Caucoliberi nuſquam legimus Epiſcopalem Cathedram conſtitutam, ut conſtat ex tribus vetuſtiſſimis Epiſcopatuum Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis Notitiis, quarum prima Conſtantino Imperatori, altera Theodemiro Regi Suevorum, tertia Wambe Regi Gothorum accepta refertur: quod etiam probat altiſſimum Alfonſi Decimi Hiſpaniæ Regis, & Roderici Toletani Archiepiſcopi ſilentium, in rerum Hiſpanicarum, quam ſcripſerunt Hiſtoria. At Illiberis Bætica Sedes Epiſcopalis erat, cujus Antiſtes Flavius Illiberitanæ ſubſcripſit Synodo.

Huic Concilio adfuerunt undeviginti Epiſcopi, quos inter celeberrimi fuere Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, cujus Diaconus fuit S. Vincentius Martyr, & Oſius Cordubenſis, qui Alexandrino, deinde Nicæno, & Sardicenſi Conciliis præfuit. Interfuerunt etiam Illiberitanæ Sinodo triginta ſex Presbyteri. Quatuordecim dumtaxat ſubſcriptiones extant in veteri Codice MS. Eccleſiæ Urgellenſis, in ceteris deſiderantur. Ad fuerunt etiam Diaconi, Antiſtitum, & Presbyterorum comites ac miniſtri. In Eccleſia Illiberitana ſacer iſte Conventus celebratus eſt, & omni plebe Chriſtiana ibidem preſente promulgatus. Hic enim ſenſus eſt iſtorum verborum: *Adſtantibus Diaconibus, & omni plebe*; non quod plebs interfuerit Concilio, & in eo ſuffragium dixerit.

His prenotatis, in hujus Synodi epocham accuratius inquirendum eſt. Magdeburgenſes Centuriatores, teſte Arnaldo Pontaco Vaſatenſi Epiſcopo, in Chronographia ad annum Chriſti 794. hujus Concilii tempus ad annum ſeptingenteſimum, tanta impudentia, quanta inſcitia referunt. Angli, ut teſtatur Alanus Coppus & ipſe Anglus * quadringentis abhinc annis vita functos Illiberitanos Patres effutire non erubuerunt. Inter Catholicos Scriptores magna eſt de iſtius Concilii tempore diſſenſio. Ambroſius Morales libro 10. Hiſtoriæ Hiſpaniæ, cap. 31. anno Domini 324. coactum aſſerit, fretus auctoritate duorum exemplarium Toletanorum MSS. Antonius Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum Blancam rerum Aragoniæ Scriptorem, Illiberitanæ Synodi epocham figit anno Chriſti 325. Cardinalis Baronius * Conſtantio & Galerio imperantibus celebratam contendit. Joannes Morinus * ante Novatiani hereſim, & perſecutionem Decii coactam propugnat, id eſt, ante annum 250. Ferdinandus de Mendoza, libro 1. de confirmando Concilio Illiberitano, ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, habitum illud cenſet ante perſecutionem Diocletiani & Maximiani, anno Chriſti 300 vel 301.

* *Alanus Coppus, Dialog. 4.*

* *Baronius T. 2. Annal. Eccl.*

* *Morinus lib. 19. de Adminiſt. Sacramen. Pœnitent. cap. 19.*

PROPOSITIO I.

Illiberitana Synodus celebrata non fuit anno Chriſti 324. aut 325. neque poſt Nicæni Concilii tempora.

PRobatur prima pars. Oſius interfuit, ſubſcripſitque Illiberitano Concilio, idemque Nicæno præfuit: ſed non potuit adeſſe Illiberitano Concilio anno Chriſti 324. aut 325. anno ſcilicet uno vel duobus ante Nicænum: hoc itaque tempore celebrata non fuit Illiberitana Synodus.

Probatur minor. Ante Nicænam Synodum, & ante Arianæ ortum hæreſeos, Oſius Cordubenſis erat in comitatu Conſtantini Magni (ut teſtatur Socrates * lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 4.) Ergo ante illud tempus Oſius aberat ab Hiſpania, proindeque Concilium Illiberitanum, cui ipſum adfuiſſe certum eſt, celebratum non fuit anno Chriſti 324. aut 325.

* *Socrates l. 5. cap. 4. Sozomen. l. 3. c. 15.*

Præterea. Anno Domini 317. miſſus eſt Oſius Alexandriam a Conſtantino, tum ad ſedandam contentionem, quæ inter Arium & Alexandrum de æqualitate Filii cum Patre

Patre nuper excitata fuerat, tum ad finiendam controverſiam, quę inter Orientales orta fuerat de celebratione Paſchatis, ut Socrates & Sozomenus teſtantur. Ante annum igitur 317. Oſius feceſſerat ab Hiſpaniis, nec ante Nicęnum Concilium illuc reverſum eſſe, ulla vel leviſſima conjectura probat: cum igitur Illiberitano Concilio adfuerit, conſequens eſt illius epocham figi non poſſe anno Domini 324. aut 325.

Tertio. Cum Donatus a Caſis Nigris, ſchiſmatis & hęreſeos Auctor, cauſam Cęciliani, poſt Arelatenſis Concilii judicium, ad Conſtantinum detulit, jam Conſtantino Magno a comitatu & conſiliis erat Oſius. Conqueſtus eſt namque Parmenianus, ab eo pręceptum eſſe, quod *victi apud Eccleſiaſticos Judices, nec apud ipſum, quæ dicebant, probare potuiſſent, ad campum, hoc eſt ad ſupplicium ducerentur: hoc enim eum tamquam immaniter juſſiſſe, Hiſpano Oſio ſuggerente, criminabatur* (inquit S. Auguſtinus l. 1. contra Parmenianum, cap. 8.) Qui & addit, ab eodem Oſio perſuaſum Imperatorem, leniorem in Donatiſtas quam mererentur, dixiſſe ſententiam. *Quaſi vero*, inquit, *non humanius ac probabilius alius crediderit, Oſio tamquam Epiſcopo ſuggerente, potius factum ut in leniorem coercitionem, quamvis immaniſſimi ſceleris, id eſt, ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator*. Hæc autem Conſtantini ſententia lata eſt 4. Idus Novemb. Sabino & Rufino Coſſ. (ut S. Auguſtinus teſtatur in lib. ad Donatiſtas poſt Collationem, c. 33.) Horum autem Conſulatus incidit in annum 316. teſte Onufrio: ante hunc igitur annum Oſius ex Hiſpaniis receſſerat. Concilium itaque Illiberitanum ante hoc tempus fuerat celebratum.

Denique, antequam Donatus cauſam Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi ad Conſtantinum primum deferret, Oſius erat in Imperatoris comitatu, ut conſtat ex illius Conſtitutione ad Cæcilianum data, qua curam illi commiſit diſtribuendi munera certis quibuſdam Catholicæ Religionis Miniſtris per Provincias omnes Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ; quam Conſtitutionem refert Nicephorus l. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 42. Porro Cæciliani cauſam a Donato primum delatam ad Imperatorem, anno Chriſti 313. colligitur ex Optato Milevitano, lib. 1. contra Parmenianum: ante annum igitur 313. Oſius Hiſpanos deſeruerat; celebrataque jam tum fuerat Illiberitana Synodus. Falſo itaque ſcripſit Onufrius in Faſtis Pontificum & Imperatorum, anno 313. eodem anno hanc Synodum habitam fuiſſe.

Probatur ſecunda pars. Concilium Illiberitanum celebratum eſt nondum reddita Eccleſiæ pace, nondum ſedata perſecutione, ut ipſius Canones probant, in quibus de flaminibus Ethnicorum, de coronis Sacerdotum, de literis Martyrum & Confeſſorum, quibus lapſos in Communionem recipi rogabant, de domeſticis Laribus, & de his qui confringentes Idola Gentium occiderentur, ſpeciatim decernitur: igitur ante Conſtantini & Conſtantii ætatem, & multo ante Nicænum Concilium habitum eſt.

Præterea. In hoc Concilio nihil de Ariana hæreſi, aliiſque hæreſibus jam enatis decretum eſt: nihil de Nicænæ Synodi memoria dictum vel inſinuatum: argumento eſt itaque ante Nicænam Synodum celebratum fuiſſe.

Tertio. Oſius poſt Concilium Nicænum profectus eſt in Paphlagoniam, ut adeſſet Concilio Gangrenſi (ut conſtat ex Epiſtola Synodica illius Concilii ad Epiſcopos Armeniæ,) nec in Hiſpaniam reverſus eſt ante Conſtantini obitum, ut colligitur ex S. Athanaſio in Epiſtola ad Solitariam Vitam agentes: Concilium igitur Illiberitanum celebratum non fuit poſt Nicænum, imperante Conſtantino: ſed nec poſt Conſtantini tempora illud habitum fuiſſe aliquis ſomniavit præter Magdeburgenſes, & Anglos Novatores, de quibus diximus.

PROPOSITIO II.

Celebrata non fuit Illiberitana Synodus ante Novatianam Hæreſim, & perſecutionem Decii.

PRobatur. Oſius Cordubenſis, & Valerius Cæſarauguſtanus, Illiberitano Concilio interfuerunt, & ſubſcripſerunt. At Oſius qui Concilio Nicæno præfuit, & Sirmien-

de Arium. ſter. tor. b. par. 15.

mienſis Concilii tempore adhuc erat ſuperſtes, id eſt, anno Chriſti 357. Epiſcopus eſſe non potuit ante annum Chriſti 252. quo Deciana cœpit graſſari perſecutio. Ponamus enim quod anno ætatis trigeſimo factus eſſet Epiſcopus, quod illis temporibus vix crediderim contigiſſe, (cum nec Presbyterum ante annos triginta ordinari, etiamſi eximia ipſi merita ſuffragentur, decernant vetera Concilia Neocæſareenſe Canone 11. Agatenſe Canone 17. Arelatenſe 3. Canone 1. & alia.) Ponamus, inquam, quod Oſius anno ætatis ſuæ trigeſimo Epiſcopales inſulas adeptus ſit; ſequeretur ipſum egiſſe annum 137. ætatis tempore Sirmienſis Concilii, & tam gravi ætate fuiſſe in Hiſpaniam poſtea reverſum: quod ſane incredibile eſt. Illiberitana igitur Synodus, cui Oſius interfuit, non eſt habita ante annum Chriſti 252. & ante Decii perſecutionem, hæreſimque Novatianam. Nec enim alium Oſium his temporibus florentem vel levis ſuggerit conjectura, cum Hiſpanienſis Eccleſiæ monumenta alium ejuſdem nominis Cordubenſem Epiſcopum nuſquam meminerint. De Valerio Cæſarauguſtano Epiſcopo idem dicendum eſt, qui cum vexillum confeſſionis erexerit ſæviente in Chriſtianos Daciano Hiſpaniarum Præſide, a quo illius Diaconus Vincentius immani Martyrio affectus eſt, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, anno Chriſti 303. ante Novatiani hæreſim & perſecutionem Decii Epiſcopus fuiſſe non videtur. Nec alter Valerius obtrudendus eſt; Nam etſi alter fuerit Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, non tamen his temporibus vixit, ſed tempore Concilii Cæſarauguſtani Primi, cui ſubſcripſiſſe legitur, id eſt, anno Chriſti 381. Nec ſanctitate celebris fuiſſe proditur, ſicut hic noſter Valerius.

Reſpondet Morinus, infirmum eſſe quod a ſubſcriptionibus petitur, argumentum. Quod verum eſſe conceſſerim, ſi ex oppoſito militent argumenta invictiſſima, quæ cum ſubſcriptionibus conciliari non poſſint. At nulla hujuſmodi profert vir eruditus.

At, inquit ille, Oſii præſentia Illiberitano Concilio repugnat: Canone enim 13. Concilii Nicæni, cui præfuit, ſtatuitur, vel potius confirmatur mos, qui dicitur antiquus, Ut *ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario Viatico minime privetur*. Quod Decretum e diametro pugnat cum Concilii Illiberitani Canonibus, quibus Communio etiam in fine vitæ denegatur certorum criminum reis. An probabile eſt Oſium, Concilii Nicæni Præſidem hunc Canonem ita abſolute pronuntiaſſe, nulla exceptione aut interpretatione addita, ſi tot Canonibus contrariis condendis, cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, adfuiſſet?

Verum contraria non ſunt Nicænæ Synodi & Illiberitanæ Decreta, ut Morinus contendit. Nicæni enim Patres de Abſolutione Sacramentali ſunt intelligendi, quam Viatici neceſſarii nomine ſignificarunt: Illiberitani vero de Euchariſtia, quam certorum criminum reis, nec in vitæ exitu, concedendam ſanxerunt. Nec mirum tamen eſſe deberet, quod contraria in utroque Concilio Decreta Oſius cum aliis Epiſcopis edidiſſet. Nam mutato Eccleſiæ ſtatu, nonnihil mutanda erat Diſciplinam, & depulſo metu perſecutionis, inclinatior eſſe debebat erga lapſos, quam temporis ratio fecerat antea duriorem (ut ſcribit Innocentius Primus ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum.) Etenim Eccleſiæ diſciplina temporum habet rationem, in eoque diſtinguitur a fide, quæ immutabilis eſt, nec temporum eſt, ſed Evangeliorum.

PROPOSITIO III.

Illiberitana Synodus, imminente Diocletiani & Maximiani perſecutione, celebrata eſt.

PRobatur. Ante celebrata eſt illa Synodus, quam Oſius ob confeſſionem Fidei ſtigmatibus inureretur, & quam Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus amandaretur in exilium ob Chriſti confeſſionem: & tamen habita eſt cum alterius perſecutionis metus ſubeſſet, ut Canones oſtendunt: atqui Oſius & Sanctus Valerius in perſecutione Diocletiani Confeſſorum nomen & gloriam conſecuti ſunt, Daciano in Hiſpaniis ſæviente; tunc Sanctus Vincentius Valerii Diaconus illuſtri martyrio Fidem confirmavit. Igitur paulo ante Diocletiani perſecutionem Illiberitana Synodus celebrata eſt.

Minor evidens eſt de Sancto Valerio, cujus exilio cum dura illa & inſolens conditio

tio etiam adjecta sit, * ut in oppidis plusquam viginti domos habentibus nec morari posset, nec illa ingredi, sequitur ipsum postea, nec Cæsaraugustam, nec Illiberim ingredi potuisse; adeoque nec Illiberitanam Synodum, cui interfuit, postea fuisse celebratam. Osii vero confessionem ad ejusdem persecutionis referendam tempora, probat ejus Epistola ad Constantium Imperatorem, quam refert Sanctus Athanasius in sua ad Solitariam Vitam agentes, in qua sic Arianum Principem alloquitur: *Ego confessionis munus explevi, primum cum persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano: quod si tu quoque persecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potius sustinendum paratus sum* ... Certe magnum illum Osium sexagesimum circiter annum a confessione sua egisse tempore Sirmiensis Concilii, ex eodem Sancto Athanasio constat ibidem dicente: *Tantis ac talibus sceleribus factis nihil omnino se adhuc fecisse arbitrabantur* (Ariani) *quandiu Magnus ille Osius eorum malitiam expertus non esset: nam in eum talem tantumque virum suam rabiem protendere studuerunt; neque quod Pater esset Episcoporum reveriti sunt; neque quod Confessor erat, pudore moti sunt; neque quod sexagesimum annum, & eo amplius, a confessione agebat, respexerunt.* At secundum illam temporum rationem, necesse est ut Osii confessio in Diocletiani persecutionem inciderit. Illius itaque confessionis Epoca tempore istius persecutionis figenda est. Cum igitur non multo post secesserit ex Hispaniis, sequitur Illiberitanam Synodum ante illam persecutionem habitam fuisse.

* *Vide Antonium. Beuter. Histor. Hisp. par. 1. c. 15.*

Propositionem secundam his argumentis impugnatus Morinus. Illiberitani Patres homicidis & idololatris Communionem negant: præcesserunt igitur Novatianam hæresim, & Decii persecutionem. Quis enim credat tam Sanctos Patres hæresim notoriam, a Sede Apostolica, a tot Conciliis, ab universo orbe damnatam, amplecti voluisse?

Præterea. Celebrata est Illiberitana Synodus ante persecutionem, quæ in Hispanias grassata sit: atqui Diocletiani persecutio non pervenit in Hispanias, uti nec in Galliam, & Angliam: Igitur illa Synodus non fuit celebrata sub tempus persecutionis Diocletiani, sed ante persecutionem Decii.

Probatur minor. Tunc enim illæ Provinciæ a Constantio Imperatore, Constantini Magni patre regebantur, qui Christianis favebat. De quo testatur Eusebius lib. 1. de Vita Constantini, c. 2. cum Imperatores Diocletianus & Maximianus cruentum antea in Christianos tulissent edictum, Constantium Aulicis suis proposuisse, ut vel idolis sacrificarent, quo facto dignitate sua & officio fruerentur, aut id si renuerent, ipsis interdiceretur Aula: eos vero, qui Christum ejurassent, a regali suo domicilio amandavit: alios autem suos Stipatores, & Imperii Custodes constituit. Cujus hoc tunc temporis præclare dictum memoriæ proditum est: *Quomodo fidem erga Imperatorem servare poterunt inviolatam, qui adversus Deum Optimum Maximum perfidi esse manifeste convincuntur?* Idem testantur Donatistæ, apud Optatum Milevitanum, lib. 1. ubi sic alloquuntur Constantinum Imperatorem: *Rogamus te, o Constantine Imperator, quoniam de genere justo es, cujus Pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit*, &c. Cum itaque Diocletiano imperante, & persecutionem adversus Christianos movente, Constantius Hispanias moderaretur, Diocletiani persecutio illuc non permeavit.

Respondeo ad primum, ex falsa hypothesi procedere Morini argumentum. Supponit scilicet, quod absolutionem ac veniam certorum criminum reis Illiberitani Patres in perpetuum negaverint: sed istud falsum esse, Dissertatione 7. probavimus; solamque Eucharistiam illos subtraxisse Lapsis in scelera graviora. Sed esto, absolutionem capitalium criminum reis omnino negassent, non sequeretur eos Novatianam in hæresim impegisse, quia id non præstitissent *desperatione Indulgentiæ, sed rigore Disciplinæ*. Et Novatiani potestatem in Ecclesia non agnoscebant remittendi peccata mortalia post Baptismum commissa, disputabantque contra claves illi a Christo datas: at Illiberitani Patres eam agnoscebant, exercebantque erga mortalium criminum reos potestatem; quamvis ex severitate disciplinæ ea utendum non esse decerneret erga quorumdam criminum reos, ut viri quidam eruditi contendunt, quibus hac in re non assentior.

Respondeo ad secundum, nego minorem. Nonne enimvero de mandato Diocletiani

& Maximiani perſecutionem movebat in Hiſpania Dacianus Præſes, cum S. Vincentius Diaconus celebre Martyrium ſubiit, cum S. Valerius ejus Epiſcopus confeſſione conſpicuus fuit, cum Oſius Cordubenſis vexillum pariter confeſſionis erexit? Nonne S. Ruffina Martyr Hiſpalenſis in eadem perſecutione paſſa eſt; cujus corpus Daciani juſſu tunc in amphitheatro combuſtum, a Sabino ejuſdem Civitatis Epiſcopo, qui Synodo Illiberitanæ ſubſcripſit, in cœmeterio ſuburbii Hiſpalenſis ſepultum memorat Breviarium Eborenſe? Nonne S. Leocadia eadem perſecutione paſsa eſt Toleti, Melanthio Epiſcopo, qui & unus ex Illiberitanis Patribus fuit, Eccleſiam, Toletanam gubernante? Hallucinatus eſt igitur Morinus, cum nullam Hiſpanias graſſatam perſecutionem imperante Diocletiano affirmavit, quia tunc regebat Occidentem Conſtantius Conſtantini Magni pater. Nam Diocletianus regendi onus Imperii in Conſtantium non transtulit, niſi anno 2. perſecutionis in Chriſtianos motæ, Imperii ſui 20. ut teſtatur Euſebius in Chronico, & l. 8. Hiſtoriæ, c. 29. unde ſolido ferme biennio perſecutio Diocletiani & Maximiani in Hiſpaniis deſæviit.

Lib. 1. de Confirmando Concilio Illiberitano.

Propoſitio tertia impugnatur ex S. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 6. Ethymolog. c. 15. ita ſcribente: *Canones Conciliorum a temporibus Conſtantini Imperatoris cœperunt: nam in præcedentibus annis, perſecutione ferveute, docendarum plebium minime dabatur facultas.* Ante Nicænum igitur Concilium nulla Synodus celebrata eſt, adeoque nec Illiberitana.

Reſpondeo, diſtinguo Propoſitionem. Canones Conciliorum Generalium a temporibus Conſtantini cœperunt, concedo: Canones Conciliorum Provincialium, vel Nationalium, nego. De generalibus autem Conciliis intelligendum eſſe S. Iſidorum conſtat, tum ex MSS. exemplaribus, in quibus ſic habetur, *Canones generalium Conciliorum*, &c. ut notat vir clariſſimus & doctiſſimus Ferdinandus Mendoza: tum ex ſubſequentibus ejuſdem Iſidori verbis: *Sub hoc enim*, Conſtantino ſcilicet, *Sancti Patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem Evangelicam, & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos Symbolum tradiderunt. Inter cætera autem Concilia, quatuor ſunt venerabiles Synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quaſi quatuor Evangelia, vel totidem Paradiſi flumina: harum prior Synodus Nicæna 318. Epiſcoporum Conſtantino Auguſto imperante peracta.* Nec ibi alias memorat Synodos, quam priores quatuor Œcumenicas. Cum igitur Canones Conciliorum a temporibus Conſtantini cœpiſſe ſcripſit, generalium Conciliorum Canones intellexit. Dionyſius Exiguus in Præfatione Collectionis ſuæ ad Stephanum Salonitanum Epiſcopum, aliqua Concilia ante Nicænum celebrata agnoſcit, quorum Canones ſe de Græco tranſtuliſſe ait: *Deinde*, inquit, *Regulas Nicænæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ antea, ſeu quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt, a primo Capitulo uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habentur in Græca auctoritate, digeſſimus.*

Eadem Propoſitio impugnatur ex Codicibus MSS. S. Laurentii, & aliis duobus Toletanæ Eccleſiæ, in quibus Illiberitana Synodus dicitur habita eodem tempore, quo Nicæna, Ea 362. Igitur Conſtantino dumtaxat imperante celebrata eſt.

Reſpondeo, iis Codicibus, quoad temporis notam fidem adhibendam non eſſe, quia non ex rerum geſtarum veteri memoria exarata eſt, ſed Gothorum, ſeu Longobardorum exſcriptorum arbitratu addita, quorum characteribus ea exemplaria tranſcripta ſunt, ut probat vir eruditus Ferdinandus de Mendoza, qui hos Codices legit & expendit. Enimvero eam temporis notam ab ipſis Illiberitani Concilii Notariis appoſitam non fuiſſe, ex eo conſtat, quod illa ætate, & multo poſt, in Provinciis quæ Romanorum parebant Imperio, anni a Conſulibus, non ab Imperatoribus numerari ſolerent. Unde Nicæni ipſius Concilii Epocha Paulini & Juliani Conſulatu deſignata eſt, & in aliis Conciliis Œcumenicis, aut Nationalibus, vel Provincialibus Orientis, necnon in Carthaginenſibus, Milevitano, & reliquis Africanis, Conſulum nomina præfixa ſunt, non Imperatorum. Igitur ſi Patribus Illiberitanis viſum eſſet, tempus quo illa Synodus habita eſt, in Actis notare, Conſulum nomina expreſſiſſent, vel certe annos Conſtan-

ſtantini Imperatoris diſtincte indicaſſent ; ut ratio temporum poſteris comperta eſſet : non autem ſcribi juſſiſſent indefinite , celebratam fuiſſe eodem tempore quo Nicæna Synodus. Adde quod Toletana MSS. illud Concilium habitum dicunt poſt Nicænum , Era 362. at Nicænum anno ſequenti, Era ſcilicet 363. quæ cum anno Chriſti 324. & Paulini ac Juliani Conſulatu concurrit, celebratum in omnibus Codicibus legitur . Ea itaque temporis nota ab exſcriptoribus inſcite adjecta eſt , ac ſuppoſita ; quod etiam Oſii eo tempore ab Hiſpaniis abſentia , & S. Valerii exilium , & obitus demonſtrant. Denique veriſimile non eſt , Illiberitanos Patres Nicæni Concilii nomen ſuæ Synodo præfixiſſe, & Concilii Nicæni Symbolum , Decretaque univerſa , altiſſimo obruiſſe ſilentio .

J. O: D. O. M. M. A. N. S. I.

Nota .

NEſcio an admiſſuri ſint docti conjecturam meam , quam olim propoſui de anno, quo Illiberitana hæc ſynodus celebrata eſt, eruta ex die, quæ in actis ſignatur . Porro habita dicitur *die Iduum Majarum* . Conſtat autem antiquam obtinuiſſe conſuetudinem , ut dies incœpti Concilii Dominica eſſet ; id vero quarto etiam ſæculo incipiente valuiſſe probatur ex Concilio Nicæno , quod diem Dominicam præfert . Igitur cum dies Iduum Majarum anno 309. in Dominicam incidiſſet , quid prohibet , quominus hunc ipſum annum Concilio ſtatuamus ? Sæviebat tunc adhuc Diocletiani perſecutio ; quare fieri poterat , ut poſt Concilium illud Sanctus Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus , qui Synodo interfuit , eo celebrato durum illud exilium toleraret , quo in nullo Hiſpaniæ oppido conſiſtere permittebatur . Potuit etiam poſt illud Concilium Oſius illuſtrem illam fidei confeſſionem ante Paganos Præfectos edere , de qua hic P. Natalis .

Ne vero cogar novam adnotationem dare ad ea quæ in ſequenti articulo tradit P. Alexander : ſingulos Illiberitanos Canones expendens , quædam hic adjiciam ad eoſdem articulos pertinentia .

Cenſet P. Alexander ea , quæ leguntur in Canone XIV. Concilii Sardicenſis indicare Illiberitanum Canonem XXI. Ait enim in eo Sardicenſi Canone Oſius : *Memini ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe , ut ſi quis Laicus in ea , in qua commoratur , Civitate , tres Dominicas dies &c. non celebraſſet conventum , Communione privaretur* . Reipſa quidem in Can. XXI. Illiberitano ſtatutum legitur : *Si quis in Civitate poſitus , tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit , tanto tempore abſtineat , ut correctus eſſe videatur* . Hinc Hiſtoricus noſter infert Illiberitanos Canones in Sardicenſi commemorari . At non deſunt viri docti apud Mendozam (in Opuſc. de confirm. Conc. Illiber.) qui hunc Sardicenſem Canonem non ad Laicos , ſed ad Clericos tantummodo referant , quibus favet vetuſtiſſima Canonum Illiberitanorum Epitomes , quam ego e Lucenſi Codice annorum circiter mille evulgavi in meo ad Concilia ſupplemento Tom. 1. p. 130. ita enim ibi : *Si quis Presbyter tres ſeptimanas non fuerit ad Eccleſiam , corripiatur* . Hæc ſi lectio præferatur , inferendum ex ea eſt Oſium in Sardicenſi Concilio aliam plane Synodum a Sardicenſi diverſam verbis illis ſuis indicaſſe .

Eſt etiam aliquid in vetuſtiſſima illa Epitome Illiberitanorum Canonum , quod animadverſionem meretur . Can. XV. Illiberitanus vulgatus ita legit : *Propter copiam puellarum Gentilibus minime in matrimonium dandæ ſunt Virgines Chriſtianæ , ne ætas in flore tumens in adulterio animæ reſolvatur* . Hunc vero ſic interpretatur a Mendoza ; interdictas ſcilicet eſſe puellarum Chriſtianarum cum Paganis viris nuptias , ne juvencula ætas facile declinet in adulterium animæ , ideſt in Idololatriam . Plane oppoſita eſt lectio noſtri Codicis ; fert enim : *Propter copiam puellarum gentilibus in matrimonium dandæ ſunt virgines , ne ætas in flore tumens in adulteriis lude* (luto) *reſolvatur* . Quæ præferenda ſit lectio , viderint docti ; profecto etiam Concilium Arelatenſe non longe ab his temporibus celebratum conjunctiones Chriſtianorum cum Paganis vetat ; quod validam conjecturam in favorem prioris lectionis præbet .

BIBLIOTECA O. F. M. CAP. MONTEFUSCO (Av)

Demum in eadem Epitome additur Canon ſignatus ibi LXIX. quem fruſtra inter vulgatos Illiberitanos quæras. En illum : *Feminæ ad venationem non vadant*. Idem Canon inter Illiberitanos legit etiam vetuſtiſſimus Codex Veronenſis, teſte Cl. Scipione *Maffejo* in ſua diſſertatione de vetuſtis Codicibus Veronenſibus ad calcem hiſtoriæ de gratia. Interdicti hujus cauſas probabiles ego in meo ſupplemento ad Concilia allegavi.

ARTICULUS II.

De Concilii Illiberitani Canonibus, & auctoritate.

ILliberitani Concilii auctoritatem elevant, erroreſque plurimos ipſi affingunt Bartholomæus Caranza, Melchior Cano lib. 5. de Locis Theologicis, c. 4. in ſexta Concluſione, Baronius Tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. ad annum Chriſti 57. & Bellarminus Tom. 1. Controverſ. 7. lib. 2. c. 9. contra quos ſit

PROPOSITIO.

Veneranda eſt Illiberitanæ Synodi auctoritas, in cujus fide nihil non integrum; in cujus Diſciplina nihil non ſanctum.

Illiberitana Synodi auctoritas veneranda.

PRobatur prima pars ex antiquitate, cui veneratio debetur maxima juxta illud Tertulliani Apologetici c. 19. *Primam inſtrumentis auctoritatem ſumma antiquitas vindicat*. Cum igitur Illiberitana Synodus antiquiſſima ſit, veneranda eſt ejus auctoritas.

2. Probatur ex præſentia virorum ſanctiſſimorum, qui eidem Synodo interfuerunt, Oſii nimirum & Valerii; illius, inquam, Oſii, de quo S. Athanaſius in Apologia de fuga ſua, ait: *De maximo autem, & graviſſimo ætatis viro, eodemque Confeſſore Oſio, qui vere Oſius eſt, id eſt Sanctus, ſuperfluum arbitror mentionem facere*. Illius Valerii, qui in Chriſti Confeſſione exul occubuit, cujus ſub Diſciplina Martyr Vincentius inſtitutus eſt: præter alios Antiſtites, quorum ſanctitatem, & pro ſervanda Eccleſiæ Diſciplina ſtudium Canones ipſi Illiberitani teſtantur.

3. Idem probatur ex Conciliorum ſequentium Decretis, in quibus Illiberitanæ Synodi honorifica mentio. Sardicenſi namque Concilio plurimum valere viſa eſt Sacrorum ageretur, Canone 14. hæc ſummo omnium Patrum excerpta conſenſu adjecit: *Memini autem ſuperiore Concilio Fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis Laicus, in ea, in qua commoratur Civitate, tres Dominicas dies, id eſt, per tres ſeptimanas non celebraſſet Conventum, Communione privaretur: ſi ergo hæc circa Laicos conſtituta ſunt, multo magis Epiſcopo nec licet, nec decet*. Superius autem Concilium, in quo Fratres ſuos, id eſt, Hiſpanos Antiſtites id decreviſſe ait, Illiberitanum eſſe, demonſtratur ex illius Canone 21. quo ita ſtatutum eſt: *Si quis in Civitate poſitus, tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, tanto tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur*.

Hujus etiam Concilii Canones laudarunt Moguntina Synodus ſub Rabano Archiepiſcopo Canone 21. & altera Moguntina ſub Arnulfo, Canone 26. & Concilium Colonienſe ſub Carolo Craſſo Canone 6. & Concilium Sueſſionenſe apud S. Medardum, Actione ſexta. Quanti fecerint Illiberitanam Synodum Martinus Bracarenſis, Burchardus Wormatienſis, Ivo Carnotenſis, & Anſelmus Lucenſis Epiſcopi, & quanto in pretio eorum temporibus apud omnes Eccleſias eſſet, ex eorum Collectionibus conſtat, quibus plurima illius Decreta inſeruerunt.

Illiberitana Synodi fides integra.

Probatur ſecunda pars. Fides ab Apoſtolis, & Viris Apoſtolicis accepta, non poteſt integerrima non cenſeri: atqui fides Illiberitanorum Patrum ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris accepta erat, & in Eccleſiis Apoſtolicis ut ſacerrimum depoſitum ſervata: Accepta, inquam, erat a Sancto Paulo, quem in Hiſpaniis Evangelium prædicaviſſe, Tomo 1. probavimus; a Torquato Sancti Petri Diſcipulo, qui Accitanam fundavit Eccleſiam, quam regebat Felix, qui huic Synodo ſubſcripſit; ab Eugenio Martyre Sancti

Sancti Petri Discipulo, qui Toletanam Ecclesiam instituit, cujus Successor Melanthius huic etiam interfuit, subscripsitque Concilio; a Sancto Mantio Christi Discipulo, qui primus Evangelii lumen Eborensibus intulit, Eborensemque erexit Ecclesiam, cujus Episcopus Quintianus traditionem ab illo per Majores acceptam Illiberitano Concilio repræsentavit: accepta denique erat a Sancto Cæcilio, Discipulo Sancti Petri, cui suam debebat originem Illiberitana Ecclesia, cui hujus Concilii tempore præerat Flavius. Fides itaque Illiberitani Concilii integerrima censeri debet. Sed enim legitimum ad veram fidem dignoscendam criterium est antiquissimarum Ecclesiarum consensus, traditionis testis, quam ab Apostolis, vel Apostolicis Viris acceperunt, a quibus sunt institutæ. Unde Sanctus Irenæus lib. 3. adversus Hæreses, c. 3. ait: *Quid enim, etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?* Hinc & Tertullianus libro de Præscriptionibus Hæreticorum, cap. 31. & 32. ait: *Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis Viris, qui cum Apostolis perseveraverint, habuerit Auctorem & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici.* Cum igitur Episcopi mox nominati testes essent traditionis ab Apostolis & Apostolicis Viris acceptæ, & in suis Ecclesiis ad tempora sua fidelissime conservatæ: fidem Illiberitanæ Synodi, cui interfuerunt, integerrimam esse concludendum est.

Præterea, nullus error huic Synodo rationabiliter objici potest, ut constabit ex responsionibus ad argumenta: nihil igitur est in ejus Decretis, quod fidem integerrimam non sapiat.

Disciplina ab Illiberitana Synodo constituta sanctitas.

Probatur tertia pars, recensendo præcipua Canonum Illiberitanorum argumenta; hæc enim Disciplinæ ea in Synodo sancitæ sanctitatem demonstrabunt. Octoginta sunt illius Concilii legitimi Canones, in quibus quid non religiosum? Quid non sanctum? Quid non ad eradicanda vitia, fovendasque virtutes accommodatum? Christianis in Idolatriam, homicidium & mœchiam lapsis, Communionem in fine denegari decernunt Canon. 1. & 2. Libellaticis, acta legitima pœnitentia, communionem in extremis dari Canon 3. indulget, quam iis penitus negat qui post pœnitentiam fuerint mœchati, *Ne lusisse de Dominica Communione videantur*. Idem statuit Canon 7. Puellarum Christianarum virginitati providet Canon 14. illis quæ stupro consenserint, communione interdicens, anno solido, modo corruptoribus suis nupsissent. Si vero aliorum consortio virorum fuissent fœdatæ, quinquennii pœnitentiæ addixit. Parentes lenocinium in filias exercentes, & quosvis alios corrumpendi pudoris turpissimo commercio maculatos, communione privat in perpetuum Canon 12. Virginum voto sacratarum, si pactum perdiderint virginitatis, & hæserint in impudicitiæ cœno, crimen eadem pœna vindicat Canon 13. Eisdem, si lapsæ ex infirmitate fuerint, & scelus perenni continentia & pœnitentia eluerint, communionem in exitu concedens. Majorum Clericorum incontinentiam eadem pœna coercet Canon 18. Eos qui post Baptismum fuerint mœchati, vel ad Subdiaconatus Ordinem promoveri vetat, Ordinatosque dejicit Canon 30. Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, qui sacram Cœlibatus legem non servarint, depositionis pœnam Canon 31. infligit. Mulierum extranearum contubernium universo Clericorum Ordini prohibet Canon 27. sororibus vero, aut filia-

bus Deo dicatis cohabitare permittit: tunc enim sacræ Virgines in parentum domibus commorabantur, cum ob persecutionum sævitiam Parthenones extrui non possent. Apostatis a fide & ad hæreticos deficientibus, decennii pœnitentiam Canones 22. & 46. indicunt. Canon 63. & 64. in mulieres adulteras animadvertunt, quarum si continuum fuerit cum alienis viris consortium, perpetuam fore decernunt a communione exclusionem; si vero ab eorum consortio discesserint, earum libidinem decennii pœnitentia castigant: nisi fœtus interempti crimen addiderint adulterio: hoc enim in casu, a communione perpetuo arceri jubent. Si vero semel tantum conjugalem castitatem, fidemque violaverint, sive viri, sive mulieres, quinquennii pœnitentiæ subjiciuntur Canone 69. Maritis uxorum lenonibus, sive qui ipsis ad alienum thorum accedentibus tribuerint licentiam, communionem in perpetuum negat Canon 70. quibus si relinquerint adulteras, post decennii pœnitentiam communio conceditur. Clericos, qui adulteras uxores statim e thoro, domoque non abjecerint, communionis perpetua privatione mulctat Canon 65. *Ne ab his qui exemplum bonæ conversationis esse debent, videantur magisteria scelerum procedere.* Quia scilicet uxoris turpitudinem approbare præsumpserunt eum, qui illam retineret, Illiberitani Patres. In viduarum incontinentiam animadvertit Canon 72. quinquennii pœnitentiam viduis mœchis imperans, modo connubium cum suo contraxerint corruptore (quæ exceptio secundas nuptias ab Illiberitana Synodo probatas ex Apostoli doctrina, & Ecclesiæ Traditione, evidenter ostendit;) quod si alteri nupserint, nec in fine dandam eis esse communionem decernit. Stupri nefandi reis hanc pariter gratiam in exitu denegat Canon 71. Eamdem pœnam irrogant delatoribus & falsis testibus, qui exilium aut mortem aliis procurabant, Canones 73. & 74. Falsos majorum Clericorum accusatores eadem censura Canon 74. coercet. Diaconos ea morum integritate & innocentia vult esse præditos Canon 76. ut qui capitale crimen etiam ante Ordinationem commiserint, sponte confessi, pœnitentiam agant solido triennio: detecti vero, post quinquennii pœnitentiam, ad communionem laicam detrudantur. Ab hæresi conversos, ad Clerum promoveri prohibet; ordinatos dejicit Canon 51. Quid his Decretis ad coercenda crimina luculentius?

Cleri disciplina.

Verum quia satis non erat ad Cleri sanctitatem, si a vitiis quæ aliquam infamiam inurunt, immunes essent Viri Ecclesiastici, sed ab avaritia insuper & turpi lucro alienos esse debere judicabant Illiberitani Patres, quæstuosas nundinas Clericis prohibuerunt, Canone 19. Usuras Canone vigesimo, idque sub pœna degradationis, & anathematis, quo Laicos etiam decreverunt feriendos, si ob illarum exactionem correpti, meliorem ad frugem non redierint. Ne vero in Clerum irreperent indigni, statuerunt Canone 24. ut qui peregre fuissent baptizati, alienis in Provinciis ad Clerum minime promoverentur, quod de eorum vitæ integritate, & Catholicæ Religionis professione, certa & constans non haberetur opinio. Canone octogesimo sanxerunt, Libertos, quorum Patroni superstites essent, ad Clerum non esse promovendos: cujus Decreti condendi multiplex fuit ratio; prima, quod Libertos ingratos ad servitutem revocare Patroni possent: secunda, quod operas Patronis præstare Liberti tenerentur: tertia, quod patronum inopem alere, secundum Severi, & Antonini Imperatorum leges deberent: & Liberto, qui plusquam centum aureos haberet, in facultatibus Patronus succederet, ex Ulpiano Leg. *Si Libertus*, de Jure Patronat. & Justiniano in titul. Institut. *De successione Libertorum*.

Illiberitana Synodus ingravatur.

Disciplina circa Sacramentorum administrationem.

Sed quid his sapientius Decretis, quæ administrandorum Disciplinam Sacramentorum sanxerunt? In necessitate quemlibet Fidelem conferre posse Baptismum, Canone 38. statutum est: sed baptizatos ducendos ad Episcopum esse, qui eos per manus impositionem, id est, per Sacramentum Confirmationis perficiat. Neutrum vero Sacramentum Gentilibus illud in extremo periculo postulantibus denegandum esse, Canon 39. edicit. Immo nec meretricibus Ethnicis, modo anteactæ vitæ turpitudinem cum honestate, & pudicitia conjugali commutassent. Alioqui enim ad Baptismum non admittebantur, nisi infamem quæstum abjurassent, ac pœnitentia eluissent pristinæ sordes libidinis. Obmutescentem gravi aliqua ægritudine Catechumenum, suffragante Fidelium, vel unius Clerici testimonium, baptizandum esse decernit Canon 45. etiamsi

ad

ad Eccleſiam per infinita tempora non acceſſerit, Baptiſmum cum aliis Catechumenis petiturus. Catechumenæ, quæ adulterii, & præfocati fœtus crimine tenetur, Baptiſmum ad finem vitæ diſtulerunt Illiberitani Patres Canone 68. Item Flaminibus, qui in Catechumenorum ſtatu poſiti, mechati fuiſſent, Baptiſmi gratiam in triennium differendam cenſuerunt, Canone 4. ut Sacramenti dilatio culpæ ſordes purgaret, & peccantis crimen puniret. Quia vero hæc irrepſerat in Hiſpaniarum Eccleſias conſuetudo, ut baptizandi nummos in concham, id eſt, in vas aquæ Baptiſmalis mitterent, ut ab omni Simoniæ ſpecie caverent Sacerdotes, aliique Clerici, & ne quod gratis acceperant, pretio diſtrahere viderentur, id in poſterum ne fieret, Canone 48. Illiberitanæ Synodi prohibitum eſt. Sacramentum Confirmationis iterum commendat Canon 77. decernens, ut qui a Diacono plebem regente, ſeu curam gerente Parochiæ (quod illis temporibus ob Miniſtrorum paucitatem & perſecutionum anguſtias ſolitum erat) baptizati eſſent, ad Epiſcopum ducerentur, per benedictionem perficiendi, ſeu confirmandi. Energumenos Catechumenos, urgente periculo, baptizandos eſſe, Canon 37. conſtituit: ſi vero Fideles fuerint, ipſis Euchariſtiam dari imperat. Eorum tamen, dum vixerint, nomina ad Altare cum oblatione recitari, illiſque ſacra Miniſteria permitti prohibet Canon 29.

Tantam geſſere curam ſalutis animarum Illiberitani Patres, ut quamvis quorumdam criminum reis Pœnitentiam diuturnam, quibuſdam perpetuam indixiſſent, Pœnitentiumque reconciliationem reſervatam eſſe voluiſſent Epiſcopis; eam tamen, imminente mortis periculo, Presbyteris, vel Diaconis etiam permiſerint Canone 32. Tradit etiam Illiberitana Synodus obſervandam circa matrimonia Diſciplinam: atque in primis eorum fidei & indiſſolubilitati conſulit Canone 8. & 9. Fideles quacumque ex cauſa ſecundum inire matrimonium non poſſe, durante primo, decernens. Aliam Ethnicorum eſſe rationem ſignificat Canone 18. quo mulierem infidelem a Catechumeno dimiſſam ſtatuit admitti poſſe ad Baptiſmum, etiamſi maritum alterum duxerit; ipſa enim nolente cohabitare viro ad fidem converſo, & ab eo diſcedente, prius matrimonium ſolutum fuerat divino jure, ſecundum Apoſtoli Diſciplinam 1. ad Corinthios 7. dicentis: *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*. Sic enim Apoſtoli verba intellexit Eccleſia, ut conſtat ex Sancto Auguſtino, lib. de Fide & Operibus, cap. 16. & Ambroſiaſtro in cap. 7. Epiſtolæ 1. ad Corinthios, & ex Innocentio Can. *Quanto*, de Divortiis. Chriſtianarum puellarum cum Gentilibus, Judæis, Hæreticis, aut Schiſmaticis connubia interdixit eadem Synodus Canone 15. & 16. quæ tamen irrita non declaravit. Parentes vero qui matrimonia hujuſmodi conciliarint, ad quinquennii pœnitentiam damnat. Quos perpetuo mulctat anathemate, Canone 17. ſi Sacerdotibus Ethnicis eas jungerent: quod majus eſſet ſubverſionis illarum periculum.

Matrimonii impedimenta.

Decernit etiam de Matrimonii impedimentis illud Concilium, & prohibitum cum ſorore uxoris Matrimonium ſignificat Canone 61. Nondum tamen impedimentum dirimens in Eccleſia Hiſpanienſi fuiſſe videtur illa affinitas; ſiquidem diſſolutionem illius Matrimonii Canon iſte nequaquam imperat, ſed Pœnitentiam dumtaxat indicit contrahenti, ſolido quinquennio peragendam. Canone 66. Matrimonium Patris cum privigna, id eſt, cum filia vel nepte primæ uxoris, quæ affinitas eſt ſecundi gradus, prohibetur: non tamen decernitur irritum; ſed perpetua Sacræ Communionis privatione punitur contrahentis incontinentia. Ex quibus Canonibus conſtat, Eccleſiæ poteſtatem ad Matrimonii conſtituenda impedimenta extendi, nec jus illud mutuari a Principibus; ſiquidem, Ethnicorum Principum ſervente perſecutione, Hiſpani Epiſcopi Matrimonii impedimenta conſtituunt. Fidelium etiam, vel Catechumenarum feminarum cum viris Scenicis, aut Comicis, id eſt, cum Hiſtrionibus connubia, ſub pœna Anathematis interdicit Canon 67. Illiberitanus. Fidem in Sponſalibus datam inviolatam eſſe jubet Canon 54. & parentes qui filiorum Sponſalia diſſolverint, triennio a communione removet.

Cenſura Eccleſiaſtica.

Eccleſiæ poteſtatem in ferendis cenſuris demonſtrat Canon 53. qui & decernit ab uno Epiſcopo excommunicatos, ab aliis ad communionem recipiendos non eſſe, ut ſua ſingu-

singulis Antistitibus auctoritas honorque conservetur. Excommunicatorum autem oblationes non esse recipiendas, Canon 28. decernit. Dominorum erga servos mores componere curavit Illiberitanum Concilium, in quibus coercendis, ne Christianæ pietatis & mansuetudinis obliviscerentur, Canone 5. dominam quæ zelotypiæ furore accensa, ancillam suam flagellis ita verberasset, ut intra tertium diem efflaret animam, septennii pœnitentiæ, velut homicidam addixit. Quinquennii vero dumtaxat, si casu illam occidisset. Prohibuit etiam dominis, ne servis suis Idola colere permitterent, aut propter eos aliqua suis in ædibus simulacra paterentur; quod si facerent, diris eos omnibus devovit: nisi tanta servorum cohors esset, ut vis ab illis merito timeretur (Canone 41.) Dominis prohibet Canon 40. ne cum rationes ab œconomis suis accipiunt, illis acceptum ferant, quod pro Sacrificiorum sumptibus dederint. A proximis peccandi occasionibus Fideles avocare sategit idem Concilium, ab omnique more qui ritibus Idololatriæ affinis videri posset. Hinc Sacerdotibus Ethnicorum ad fidem conversis coronarum usu interdicit; quas si tulerint, biennio decernit a Communione segregandos, Canone 55. Hinc etiam Magistratus, eo anno quo Duumviratum gerunt, ab Ecclesiæ ingressu & communione prohibet: Sacrificiis enim Idolorum auctoritatem præstare, sumptus ad Idololatriam spectantes procurare, spectaculorum curam gerere, ex ipsa sui muneris ratione hujusmodi Magistratus, Ethnicorum Imperatorum tempore, tenebantur. Unde ipsos in proxima Idololatriæ occasione positos, Ecclesiæ arcendos ingressu; prudenter admodum ac pie judicarunt Illibertiani Patres. Matronis etiam Christianis, earumque viris, sub anathemate prohibuerunt, Canone 57. ne vestes ad ornandam Idolorum pompam, vel ad scenam, ludosque Circenses darent, aut commodarent: ne Idololatriæ ritibus, aut scenæ impudicitiæ, aut insaniæ Circi assensum præstitisse viderentur. Aurigas qui in Ludis Circensibus equos agitabant, & Pantomimos seu Histriones, ad Baptismum non recipi sanxerunt, Canone 62. nisi prius artibus adeo saluti periculosis renuntiassent. Quas si post Baptismum rursus exercerent, projici eos jusserunt ab Ecclesia.

Cleri disciplina.

Muliebri pudicitiæ & verecundiæ, quæ cæterarum Christianæ feminæ virtutum custos est, consulunt Canones 35. & 81. eamque a periculis removent. Prior namque feminis interdicit ne in Cœmeteriis pervigilent, ne specie religionis ac pietatis crimina committant, vel impudicorum Juvenum blanditiis aures commodando, vel furtivæ libidini, tenebris faventibus, indulgendo. Canon vero posterior, ut sollicitatorum audaciæ, & mulierum levitati aditum ad turpitudinem intercludat, prohibet literas, ad nomen solum feminarum, a Laicis scriptas, ab ipsis accipi: vel ab eis, suo potius quam maritorum nomine, rescribi.

Libellorum famosorum Auctores anathemate percellit Canone 52. Ludum aleæ sub eadem pœna prohibet Canon 79. sicque duorum criminum humanæ societati & Christianæ reipublicæ cum primis exitialium radices exscindunt Hispani Antistites. Imprudenti aliquorum zelo frænum adhibet Canon 60. qui falsorum Numinum simulacra frangentes, atrociorem Ethnicorum persecutionem in cæteros Christianos provocabant. Vetat enim, ne qui, idola frangens, fuerit occisus, in Martyrum numerum ritu solemni referatur: *Quia id in Evangelio non est scriptum, nec invenitur ab Apostolis unquam factum.*

Disciplina circa sacramentum a ministris tionem.

Pietatem Christianam in Dominicæ diei celebratione fovet Canon 12. excommunicatione plectens eos, qui tribus Dominicis ad Ecclesiam non accesserint. Celebrationem Pentecostes quinquagesimo a Paschate die, non quadragesimo, ut apud quosdam inoleverat, fieri decernit Canon 43. eos qui sacratissimum illud Festum vel celebrare omiserint, vel die ab Ecclesia secundum Scripturæ Sacræ auctoritatem præscripto non celebraverint, quasi novæ hæreseos Auctores notans.

Quid Jejunii superpositio?

Jejuniorum Disciplinam sanxerunt etiam Illiberitani Patres Canone 26. quo statuerunt omni Sabbati die jejunii superpositionem celebrandam. Ideo autem Sabbati jejunium superpositionem jejunii vocarunt, quod Sextæ Feriæ jejunio superadditum in Hispaniis ex devotione fuisset. Singulis etiam mensibus aliquos jejunii dies ab Episcopis indici jusserunt Canone 23. Julio & Augusto exceptis, quos immodici calores, in Bæ-

tica

tica Provincia febrium æstibus infestos reddunt, aliorumve periculo morborum obnoxios. In his autem omnibus Decretis nihil reperiri non sanctum fatebitur, quisquis Christianæ Legis, Ecclesiasticæ Disciplinæ, & regularum, quibus Cleri, populique Christiani sanctitas formatur ac fovetur, non omnino fuerit ignarus.

Objicitur primo. Illa Synodus, quæ prohibet cultum sacrarum imaginum, non est integræ fidei: sed Illiberitana Synodus prohibet cultum sacrarum imaginum Canone 37. Non est igitur integra illius Synodi fides.

Probatur minor ex verbis illius Canonis: *Placuit Picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

Respondeo, nego minorem: Ad Canonem non una est Catholicorum Theologorum responsio. Quidam respondent, vetitum non fuisse hoc Canone cultum sacrarum imaginum, sed prohibitum esse dumtaxat ne in parietibus pingerentur; tum ne parietum decrustatione, debita sacris imaginibus reverentia subtraheretur; tum ne tempore persecutionis auferri non possent, atque ita cederent in ludibrium Gentilium. Immo supponit Illiberitana Synodus morem fuisse Ecclesiæ, ut cultum sacris Iconibus deferret: siquidem ait: *Ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*. Quæ ratio nulla fuisset, nisi Christiani imagines colere consuevissent. Tunc igitur imagines colebant Christiani, sed in velis & tabellis, non in parietibus depictas. Ita respondent doctissimi Cardinales Perronius, & Bellarminus.

Quo sensu Illiberitana Synodus Imagines prohibuerit?

Verum hæc responsio repugnat & sensui Canonis & ejus rationi. *Placuit*, inquiunt Illiberitani Patres, *Picturas in Ecclesiis esse non debere*. Numquid illud solum est in Ecclesiis, quod est in parietibus? Numquid altare, & pulpitum, & candelabra, & vela & tabellæ in Ecclesiis non sunt? Illud certe dicitur esse in Ecclesiis, quod est sub illarum tecto, & intra illarum parietes: atqui imagines coloribus expressæ, in velis aut in tabulis adumbratæ, sunt sub tectis Ecclesiarum, & intra illarum parietes. Cum itaque generatim prohibeat ille Canon, ne picturæ sint in Ecclesiis, consequens est imagines, quæ in velis, aut tabellis depictæ sunt, æque prohibitas esse ab Illiberitanis Patribus, ac eas quæ in parietibus effictæ essent. Præterea in Concilio Tridentino verbis prorsus contrariis imperatur sacrarum imaginum usus. *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas.* Atqui nemo sanæ mentis asserit Tridentinos Patres jussisse, ut imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum in parietibus tantum depingerentur, non autem in velis, & tabellis: Cum itaque Illiberitani Patres iisdem verbis usi sint, & humano locuti sint modo, imagines non a parietibus tantum, sed ab Ecclesiis prorsus eliminari jussere, ita cum decreverunt: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere.*

Card. Perron. in act. Collat. Fontisb. Bellarm. l. 2. de Imag. c. 9.

Concil. Trid. Sess. 25.

Tertio, ratio Canonis hanc destruit responsionem. Prohibet nempe picturas in Ecclesiis, *Ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*. At si priora verba Canonis significent picturas in parietibus Ecclesiæ esse non debere, Canonis integri hic sensus erit, *Picturas in parietibus esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*. Qui sensus ineptissimus est; siquidem pro ratione Decreti, ipsum Decretum assignatur.

Alii respondent, illo Canone tantum prohiberi imagines invisibilis Dei, ajuntque id significare adjunctam rationem: *Ne quod adoratur, in parietibus depingatur*: Non autem interdici imagines Christi, & Sanctorum, quibus Latriæ cultus non defertur, sed duliæ, nec absolutus, sed analogicus & relativus.

Verum hæc responsio non congruit cum verbis Canonis. Primo, quia Patres Illiberitani generale Decretum edunt de picturis abolendis in templis Christianorum: At imagines etiam Christi & Sanctorum, coloribus adumbratæ, picturarum nomine comprehenduntur: illas itaque absolute prohibent. 2. In parietibus depingi vetant quidquid colitur, aut adoratur. At licet adoratio proprie sumpta soli Deo debita sit, cultus tamen sacer defertur Sanctis, & Beatæ Virgini cultus excellentior illo, qui cæteris Cœlitibus impenditur: igitur imagines Deiparæ & Sanctorum depingi in Ecclesiis prohibet Canon laudatus. Tertio, prohibent depingi, *Quod colitur & adoratur*; sed

Chri-

Christus Dominus *colitur & adoratur*: prohibent itaque absolute depingi imagines Christi in Ecclesiis, *multo magis* imagines Sanctorum.

Alii respondent, hunc Canonem esse suppositititium, & ab aliquo ex Claudii Taurinensis discipulis confictum. Nam si fuisset genuinus Illiberitanæ Synodi partus, inquiunt, Claudius Hispanus Presbyter, & Felicis Urgelitani discipulus, illum adversus imaginum cultum & usum protulisset. Illius etiam auctoritate adversus Ecclesiam pugnassent Iconomachi, si in rerum natura extitisset. Denique Canonum antiquissimi Collectores, Ferrandus Diaconus, Dionysius Exiguus & Cresconius, quantumlibet egregiam navarint operam, ut omnes tam Græcos, quam Latinos Canones colligerent, nullus tamen ipsorum hujusmodi Concilii Illiberitani Canonis, vel saltem nomine tenus meminit. Ita respondet Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad annum Christi 57.

Verum & hæc responsio caduca est, & manifeste falsa. Nam veteres omnes Codices MSS. Concilii Illiberitani hunc Canonem referunt. Illum citat, qui octingentis abhinc annis floruit Agobardus Episcopus Lugdunensis, libro *De picturis & imaginibus*, dicens: *Recte nimirum ob hujusmodi evacuandam superstitionem, ab orthodoxis Patribus definitum est, picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur, aut adoratur, parietibus depingatur*. Nec obstat quod Iconomachi, & Claudius Taurinensis nusquam hunc Canonem adversus imagines protulerint. Vel enim illum suæ causæ inutilem existimarunt, vel illum ignoraverunt. Non omnia legerunt Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta Hæretici: nec sapiens conjector est, sed imprudens ariolus, qui aliqua PP. Conciliorumve loca suppositita esse colligit ex hæreticorum silentio, quorum erroribus in speciem favere videri possunt. Nec etiam obstat quod Ferrandus Diaconus, Dionysius Exiguus, & Cresconius illum Canonem omiserint. Si enim ideo suppositititius esset, quia illum non retulerunt veteres illi Canonum Collectores, concludendum pariter esset universos Illiberitanæ Synodi Canones esse suppositititios, quia nullius omnino meminerunt. Ideo porro de Synodo Illiberitana, ejusque decretis altissimum est apud Auctores illos silentium, quod Græca magis, quam Latina Concilia compilaverint; & si Latina quædam recenseant, omittunt plurima, quæ ad eorum manus forsan pervenire non potuerunt.

Illiberitana Synodus usum duntaxat pro tempore, non cultum Imaginum prohibuit.

His itaque solutionibus prætermissis, respondeo, Patres Illiberitanos prohibuisse revera usum imaginum, non quod colendas eas esse negarent, cum earum cultum supponat potius quam evertat laudatus Canon: sed quod earum usus Christianæ Religioni primis illius Sæculis noxius magis, quam utilis futurus esset, si in omnibus Ecclesiis invaluisset. Existimassent enim Ethnici, Christianos idola potius mutasse, quam reliquisse. Itaque duo accurate distinguenda sunt in imaginum negotio, cultus imaginum, & earum usus. Primum, dogma spectat; alterum, solam disciplinam, quia stare Ecclesia potest, etiamsi nullas SS. imagines habeat, vel eas non veneretur actu, quia nullas habet. Primum immutabile est, fuitque semper ab Ecclesiæ incunabulis; idest, credidit semper Ecclesia honorariam sacris imaginibus adorationem deferendam: secundum obnoxium fuit mutationi, ut cætera disciplinæ capita. Primis enim tribus Ecclesiæ Sæculis infrequens admodum erat apud Christianos imaginum usus; & exceptis calicibus Romanæ Ecclesiæ in quibus depicta erat parabola Boni Pastoris ovem humeris reportantis, quorum Tertullianus meminit libro de Pudicitia, vix ullum invenies imaginum usus in illa Ecclesiæ infantia vestigium.

Tribus primis Ecclesiæ Sæculis usus Imaginum infrequens.

Sed & positivis argumentis probatur istius facti veritas. Primo namque nullas tribus primis Sæculis Christianam Religionem admisisse statuas, constat ex disputationibus Veterum Patrum contra Ethnicos, in quibus iis interdum rationibus pugnant in ipsorum simulacra, quas illi in imagines nostras facile retorsissent. Sic Tertullianus in Apologetico Paganos ob simulacrorum cultum insectatur, quod illorum *Materiæ fotores sint vasculorum, instrumentorumque communium, quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfigurante*. Nonne quæso, Ethnici non reposuissent idem de Christianorum statuis dici posse? Minutius Felix in Octavio, mutorum animalium naturale de falsis Numinibus judicium urget contra Ethnicos his verbis: *Quanta vero de*

Diis

Diis veſtris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non ſentire eos ſciunt, norunt, inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant. Numquid eadem non potuiſſent exprobrare Chriſtianis Ethnici, contra Chriſti, aut Sanctorum ſtatuas, ſi tum aliquæ in Eccleſiis extitiſſent?

Secundo, vix ullum fuiſſe in Eccleſia imaginum uſum tribus primis Eccleſiæ Sæculis filentium Ethnicorum probat. Cum enim inter eos viri eſſent ingenio & eruditione ſingulari præditi, qui omnes Chriſtianæ Religionis ritus explorabant, nihilque omittebant, quod profanarum ſuarum cæremoniarum cauſæ in ſpeciem favere videretur, mira arte & verſutia peſſimam cauſam propugnantes, objeciſſent certe Chriſtianis, illos imagines colere, picturaſque venerari, ſi tunc frequens fuiſſet illarum uſus in Eccleſia, proindeque immerito illos cultum idolorum inſimulare ſuperſtitionis. Scio quidem Chriſtianos illam facile profligaturos objectionem: ſed eam nihilominus neglecturos fuiſſe Ethnicos incredibile eſt, quorum in mentes naturaliter irruiſſet. At nuſquam illos negotium Chriſtianis ob imagines faceſſiviſſe conſtat ex ſilentio S. Juſtini, Minutii Felicis, Tertulliani in Apologetico, & Origenis in libris contra Celſum; in quibus cum præcipuæ Gentilium contra noſtram Religionem objectiones recenſeantur, ac refellantur, nullum eſt illius objectionis vel tenue veſtigium. Immo cum Celſus objeciſſet, Chriſtianos nullas aras, nulla ſimulacra habere, Orig. l. 8. reſpondet: *Simulacra Deo dicanda eſſe, non fabrorum opera, ſed a Verbo Dei dedolata, formataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem Primogeniti totius creaturæ, in quo ſunt juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, ſapientiæ, pietatis, cæterarumque virtutum exempla. Hæ ſunt ſtatuæ Deo dicatæ, in animis juſtitiam, juxta præceptum Dei, & fortitudinem, & pietatem, reliquaſque virtutes exercentium, quibus decenter honorari credimus omnium hujuſmodi ſtatuarum Archetypum primum, imaginem inviſibilis Dei Deum Unigenitum.*

Quod autem Ethnici ſpecioſam objectionem minime neglexiſſent, ex eo probatur, quod obtuſioris ingenii non eſſent, nec aliter affecti prioribus illis ſæculis, quam Ethnici ſæculorum ſequentium. At ſequentibus ſæculis Ethnici uſum ac venerationem imaginum Chriſtianis objecerunt, ut conſtat ex Sermone quodam Joannis Theſſalonicenſis, Actione 5. Septimæ Synodi relato, in quo inducitur Ethnicus dicens: *Vos ergo in Eccleſiis imagines non pingitis Sanctis veſtris, & adoratis illos? Et non ſolum Sanctis? ſed & ipſi Deo veſtro? Sic ergo æſtima & nos ſimulacra circumfoventes, non ea adorare, ſed incorporales virtutes, quæ per illa placantur.* Idem igitur objeciſſent Ethnici trium priorum ſæculorum, ſi tunc frequens fuiſſet in Eccleſia, ſive ſtatuarum, ſive pictarum imaginum uſus.

Tertio idem probatur ex diſputationibus SS. Patrum adverſus Judæos. Nam Judæi imaginum hoſtes infenſiſſimi, uſum illarum objeciſſent Chriſtianis trium priorum ſæculorum, ſi tunc illas habuiſſet Eccleſia. Sed ſive ex Dialogo S. Juſtini contra Tryphonem Judæum, ſive ex libro Tertulliani adverſus Judæos, ſive ex aliis Veterum pp. monumentis, non apparet Judæos uſum Imaginum Chriſtianis exprobraſſe tribus primis Eccleſiæ ſæculis. Nullus igitur, aut certe admodum infrequens tunc erat in Eccleſia ſacrarum imaginum uſus.

Probatur major. Judæi, quo tempore frequentes, in Chriſtianorum Templis fuerunt imagines, Chriſtianis earum uſum venerationemque exprobrarunt: quidni ergo & tribus prioribus ſæculis idem præſtitiſſent?

Probatur antecedens ex Diſputatione Judæi & Chriſtiani, quæ lecta eſt a Stephano Monacho Actione 5. Septimæ Synodi, in qua Judæus dicit: *Credo Crucifixo Jeſu Chriſto, quia eſt Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos, Chriſtiani, quia imagines adoratis. Scriptura quippe ubique præcipit non facere ſibi quemquam ſculptile, vel omnem ſimilitudinem.* Idem conſtat ex Leontii Epiſcopi Neapoleos Cypri, Serm. 5. pro Chriſtianorum Apologia contra Judæos, cujus prolixus locus refertur in Septima Synodo, actione 4.

Denique nullum fuiſſe, in multis ſaltem Eccleſiis imaginum uſum, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, ex eo probatur, quod illorum ſæculorum Patres Sculpturam, Picturam-

cturamque, ut artes Christianis illicitas fugillarint: quod minime feciſſent, ſi Chriſti, aut Sanctorum imagines eſſingere apud Chriſtianos ſolitum fuiſſet.

Antecedens conſtat ex Tertulliano libro contra Hermogenem, c. 1. ubi illius Hæretici vitia perſtringens, illiobjicit aſſiduam Picturam. *Pingit illicite*, inquit, *nubit aſſidue, Legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit.*

Et ex Clemente Alexandrino libro 6. Stromatum, pa. 455. dicente: *Quemadmodum ergo qui aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala merito incidit: ita qui divina opera ſibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem, & dicens ſe eſſe effectorem animantium & plantarum, & ſimiliter qui veram imitantur Philoſophiam, ſunt fures.* Cum itaque ex his omnibus perſpicuum ſit, primis tribus Eccleſiæ ſæculis, nullas, vel admodum raras apud Chriſtianos Imagines fuiſſe, crimini verti non debet Illiberitanis Patribus, quod prohibuerint, ne Imagines in Eccleſiis depingerentur.

Quo ſenſu cereorum accenſionem in cœmeteriis interdiu Synodus Illiberit. prohibuerit.

Objicitur ſecundo: Synodus quæ Vigilantio favet, Cereorum accenſionem ſuper Sanctorum Sepulcra prohibens, ſuſpectæ fidei eſt: ſed Illiberitana Synodus prohibet Cereorum accenſionem ſuper Sepulcra Sanctorum, ſicque favere videtur Vigilantio cultum ſacrarum Reliquiarum damnanti; eſt igitur ſuſpectæ fidei.

Probatur minor ex Can. 34. cujus hæc ſunt verba: *Cereos per diem placuit in Cœmeteriis non incendi: inquietandi enim Spiritus Sanctorum non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ Communione.*

Reſp. diſtinguo majorem. Si prohibeat cereorum accenſionem, abſolute, concedo. Si illam prohibeat certo tempore, & ob certum finem factam, nego. At Illiberitana Synodus prohibuit dumtaxat Cereorum accenſionem factam ad inquietandos Sanctorum Spiritus, id eſt, ad animas evocandas gentilitio & magico ritu. Hunc enim fuiſſe Gentilium morem teſtantur Svetonius in Vita Neronis, & Plinius lib. 3. c. 2. & lib. 28. c. 8. Quod autem inquietandi verbum, quo Synodus utitur, ſolicitationem Animarum Sanctarum ſignificet, evocationemque ſuperſtitioſam ac impiam, indicant verba illa Samuelis ſic evocati ad Saulem, 1. Reg. cap. 28. *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer?*

Alii reſpondent, per Spiritus Sanctorum intelligi Fidelium in terris degentium mentes (ſolemni enim & vulgata Scripturæ phraſi Fideles Sancti nuncupantur). Dicunt itaque prohibuiſſe Patres Illiberitanos ne per diem in Cæmeteriis Cerei accenderentur, ne Chriſtianorum animi frequentia & cura immodica Cereorum ardentium inquietarentur ac perturbarentur in Orationibus ſuis. Ita exponit hunc Canonem Garcias Loayſa Conciliorum Hiſpanienſium Collector.

Alii denique reſpondent, Illiberitanos PP. prohibuiſſe ſolum, ne interdiu cerei in cæmeteriis a piis Fidelibus accenderentur; ne tam inſolito fulgore Ethnici cognoſcerent Martyrum Sepulcra, indeque ſacras illorum Reliquias educerent, projicerent, cremarent, in ventos diſpergerent, & oblivione obruerent: quo ex eventu ſolicitudo maxima, incredibiliſque mœror crearetur Fidelibus; & major forſan perſecutio ab Ethnicis in ipſos excitaretur. Cæterum cereos accendere in honorem Martyrum non prohibuerunt illius Synodi Antiſtites, quod pium ac religioſum eſſe adverſus Vigilantium probat S. Hieronymus: quamvis ſimplicibus dumtaxat & imperitis, necnon a mulieribus devotis interdiu accendi ſuo tempore ſolitos teſtetur. Quod tunc temporis ut obnoxium vel affine ſuperſtitioni, vel ut orantium attentioni incommodum, merito prohibuerunt Illiberitani Patres. En S. Hieronymi verba: *Cereos autem non clara luce accendimus, ut hoc pietatis officio Martyres e tenebris vindicemus, quorum lucerna eſt Agnus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui propter imperitiam & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum feminarum, de quibus vere poſſumus dicere: Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt; quid inde perdis? Cauſabantur quondam Apoſtoli quod perret unguentum, ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus unguento indigebat, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, de-*

votio-

votioque mentis recipitur: & quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem ..... Et abſque Martyrum Reliquiis, per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.

Synodus Illiberitana non favet Novatianis.

Objicitur tertio. Synodus quæ Novatianam hæreſim adſtruit, non eſt integræ fidei: ſed Illiberitana Synodus Novatianam hæreſim adſtruit; ſiquidem certorum criminum reis communionem in exitu negat: non eſt igitur integræ fidei.

Reſp. nego minorem. Nomine enim Communionis Euchariſtiam intellexiſſe Patres Illiberitanos, jam ſupra a nobis probatum eſt Diſſertatione 7. Et quamvis Abſolutionem Sacramentalem negaſſent graviorum criminum reis, multum diſtaret illos inter & Novatianos: quia *Non deſperatione veniæ, ſed rigore Diſciplinæ*, ſanxiſſent denegandam: nec Eccleſiæ claves, ut Novatiani, oppugnaſſent. Et certe ſi S. Cyprianus Epiſtola 52. ad Antonianum, magnum diſcrimen agnoſcit inter Novatianos & quoſdam Africanos Antiſtites Anteceſſores ſuos: *Qui pacem mœchis negarunt, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*, non eſſet aſſingenda Synodo Illiberitanæ Novatiani erroris labes, etſi capitalium criminum reis Abſolutionem, etiam in exitu, denegaſſet.

Illiberitana Synodus prohibuit ne fideles feminæ dimiſſis maritis adulteris, aliis nuberent.

Objicitur quarto. Concilii quod Euchariſtiam concedit feminis, quæ dimiſſo marito adultero, eoque vivente, alterum duxerint, ſancta dici non poteſt Diſciplina: ſed Illiberitana Syn. concedi jubet Euchariſtiam feminis, quæ dimiſſo marito adultero, alterum duxerint: ſancta igitur non eſt illius Concilii Diſciplina.

Probatur minor ex Can. 9. cujus hæc ſunt verba: *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit: prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non prius accipiat Communionem, quam is quem reliquit, de ſæculo exierit: niſi neceſſitas infirmitatis compulerit.*

Matrimonii vinculum indiſſolubile.

Reſp. diſtinguo minorem. Concedi jubet Euchariſtiam illis feminis, ſi in extremo vitæ ſpiritu vera doloris & pœnitentiæ ſigna ediderint, promiſerintque ſe adulterii reatum eſſe deſerturas, & illius viri ſocietatem relicturas, quem primo vivente duxerunt, concedo: ſin minus, nego. Itaque perpetuum conjugii vinculum agnoverunt Illiberitani Patres, nec maritum dimitti poſſe a Fideli femina, etiam ob cauſam adulterii; ſiquidem & illis quæ maritos adulteros dimiſiſſent, ſecundas nuptias illis viventibus prohibuerunt, & Evangelicæ Legis, Decretique ſui prævaricatrices anathemate ferierunt, quo ſolvendæ non eſſent, niſi vel prior maritus defunctus eſſet (quo caſu Eccleſia ſecundum Matrimonium pia quadam œconomia ratum habebat): vel extremum ſpiritum agerent, & pœnitentiæ ſigna ederent, ſeparationemque a ſecundi viri, vel potius adulteri conſortio pollicerentur.

Porro Synodum iſtam ſecundum Matrimonium non permiſiſſe uxori, quæ virum quacumque ex cauſa dimiſiſſet, vel ab eo fuiſſet dimiſſa, conſtat etiam ex Can. 72. *Si qua vidua*, inquit, *fuerit mœchata, & eumdem poſtea habuerit maritum, poſt quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam Communioni reconciliari; ſi alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei eſſe Communionem.*

Contra. Concilium Illiberitanum, in Canone quem laudat Gratianus Diſt. 31. Quæſt. 1. Can. *Si qua mulier*, decernit maritum, cujus vitæ uxor inſidiata fuerit, *poſſe ipſam dimittere, & ſi voluerit, aliam ducere*. Ergo exiſtimavit Matrimonii vinculum diſſolvi poſſe; qui non ſolum error eſt in Diſciplina, ſed & in Fide graviſſimus.

Reſpondeo, hunc Canonem Illiberitani Concilii non eſt, ſed Vermerienſis, quod multis ſæculis poſterius eſt. Et quamquam eſſet Illiberitanæ Synodi, non eſſet propterea inſimulanda erroris contra fidem, quia commodam explicationem patitur ille Canon: cujus nimirum ſenſus eſt, poſſe virum cui uxor mortem machinata eſt, illa defuncta alteram ducere; non poſſe autem illam, viro etiam defuncto alterum ducere, ſed perpetua pœnitentia & Cœlibatu eluere debere admiſſum ſcelus. Erat enim hæc pœna olim in Eccleſia frequentiſſima, ut qui atrox aliquod crimen perpetraſſent, nuptiis impedirentur, ne vel ipſi delicatius viverent, non ut Pœnitentes decet, vel ex ipſorum ſtirpe filii ejuſdem criminis ſuſpicione notabiles procrearentur, ut conſtat

ex

ex Concilio Moguntino, ſub Rabano, Canone 20. ex Concilio Vermerienſi, Can. 4. & ex Triburienſi, Canone 44.

Objicitur *quinto*. Illius Synodi nec integra fides, nec ſancta Diſciplina dici debet, quæ *Baptiſmum* in neceſſitate collatum ab Ethnico, vel a Fideli bigamo cenſet eſſe irritum; atqui id decernit Illiberitana Synodus. Illius itaque Fides integra, & ſancta Diſciplina dici non debet.

Probatur minor ex Canone 38. quo ſtatuitur, *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe Fidelem (qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus) baptizare in neceſſitate*. Arcet igitur ab adminiſtratione Baptiſmi eos, qui lavacrum ſuum integrum non habent, & ſunt bigami.

Reſpondeo, nego minorem. Non enim negant Illiberitani Patres, Baptiſmum ab infidelibus, aut a bigamis neceſſitatis tempore collatum validum eſſe; ſed Fidelem eſſe cupiunt, & Monogamum qui illum adminiſtret; nec infideles, & bigamos, ubi Fideles adſunt & Monogami, volunt licite Baptiſmum conferre, etiam urgente periculo. Et ſi putaſſent infideles, non poſſe conferre Baptiſmum, nemo propter hoc ipſos erroris contra fidem jure inſimularet, cum nec S. Auguſtini tempore adhuc explorata eſſet atque perſpicua illius quæſtionis veritas, ut conſtat ex ipſius libro 2. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 13. *Alia quæſtio eſt*, inquit, *utrum & ab iis qui numquam Chriſtiani fuerunt, poſſit Baptiſmus dari. Nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit*.

Et l. 7. de Bapt. contra Donatiſtas, cap. 53. *Solet etiam quæri*, inquit, *utrum approbandum ſit Baptiſma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, & forte hoc curioſitate aliqua dicit quemadmodum dandum ſit: ſed nobis tutum non eſt in ea progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata ſunt. Id autem ſit cura ſecurę vocis aſſerere, quod in gubernatione Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti univerſalis Eccleſię confeſſione roboratum eſt. Verumtamen ſi quis me forte in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipſe ſentirem, ſi eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptiſmum, qui ubicumque illum verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent*.

Objicitur ſexto. Non eſt ſanctiſſima illius Concilii Diſciplina, quod pœnitentiam graviſſimam infligit propter factum quod nullatenus peccatum eſt: atqui Concilium illud graviſſimam pœnitentiam infligit ob factum quod nullatenus peccatum eſt: illius igitur Diſciplina non eſt uſquequaque ſancta.

Probatur minor. Homicidium caſu admiſſum, peccatum non eſt, cum voluntarium non ſit atque liberum: Actio namque libera caſum non admittit. Unde Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 3. ait: *Quid quod voluntas facti origo eſt? Viderint enim ſi qua caſui, aut neceſſitati, aut ignorantiæ imputantur; quibus exceptis, nonniſi voluntate delinquitur*. Atqui Patres Illiberitani pœnitentiam quinque annorum imponunt pro homicidio non ſponte, ſed caſu admiſſo, ut conſtat ex 5. Canone, quo pœnitentia præſcribitur dominæ quæ ancillam occiderit. *Si voluntate*, inquit, *caſu, poſt quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad Communionem placuit admitti*. Igitur Concilium illud graviſſimam pœnitentiam imponit propter actionem quæ nullatenus peccatum eſt.

Vetus Diſciplina pœnitent. publicam pro factis involuntariis impoſuit, tametſi in illa ignobe. ſi peccata

Reſp. Nego primam majorem, vel eam diſtinguo: Si factum illud nuſquam ſit peccatum, & non ſit natura ſua vitioſum, divinaque lege prohibitum, concedo. Si factum illud ſit natura ſua vitioſum, ſemperque peccatum ſit, quoties abeſt juſta temporis & rationis circumſtantia, nego. Antiquis enim Eccleſiæ moribus receptum fuit, pro his factis, etſi non voluntariis, publicam imponere pœnitentiam, ſi publicum erat facinus, non ob peccatum, quod illa in hypotheſi nullum erat; ſed ob exemplum, ut quos exemplo ſuo rei ad malos quodammodo mores provocaverant, pœnitentiæ teſtimonio ad rectam viam revocarent; & ut proclives ad peccatum hominum animi ſevera hac Eccleſię Diſciplina coercerentur, & a peccato avocarentur. Nec vero ab Illi-

beri-

beritana tantum Synodo ſancita hæc Diſciplina eſt, ſed etiam a Concilio Ancyrano, Can. 22. *Eos vero qui non voluntate, ſed caſu homicidium fecerint, prior quidem regula poſt ſeptem annorum pœnitentiam Communioni ſociavit, ſecundum gradus conſtitutos. Hęc vero humana definitio quinquennii tempus tribuit.*

non eſſent, modo alias & natura ſua vitioſa eſſent, ſecluſis injuſtis circumſtantiis temporis, & rationis.

Idem ſtatuit Concilium Epaonenſe Can. 11. Concilium etiam Nannetenſe eamdem viguiſſe probat Gallicana in Eccleſia Diſciplinam. Siquidem Can. 18. decrevit, ut, *Si quis caſu non volens, homicidium perpetraverit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat: quibus peractis, biennio ab oratione Fidelium ſegregetur; non communicet, nec offerat; poſt biennium in communione Orationis offerat; non tamen communicet: poſt quinquennium ad plenam Communionem recipiatur.* Hanc Diſciplinam probavit S. Baſilius, conſulens iis qui cædes in bello juſto admiſerint, ut triennio a Communione abſtineant, quamvis hujuſmodi cædes peccata non ſint. Sic enim ſtatuit Can. 13. Epiſtolæ Canonicæ ad Amphilochium: *Cædes in bellis factas, Patres pro cædibus non imputaverunt, ut mihi videtur; ignoſcentes eis qui pro pietate, & pudicitia decertant; recte autem forte habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſola trium annorum Communione abſtineant.*

Eamdem ſecuti ſunt Diſciplinam Epiſcopi Provinciæ Remenſis, in Concilio celebrato an. 923. gravem imponentes pœnitentiam iis qui in prælio Sueſſonico * inter Robertum & Carolum Craſſum pugnaverant. Nec enim diſtinguunt inter eos qui ſtabant a partibus Caroli Regis legitimi & Roberti Comitis perduellis. Eſt autem hæc pœnitentia, videlicet, *Ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant pœnitentiam, ita ut prima Quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus Quadrageſimis, ſecunda, quarta & ſexta feria, in pane, ſale & aqua abſtineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante Nativitatem Domini Salvatoris; omni quoque ſexta feria per annum, niſi redemerit, aut Feſtivitas celebris ipſa die acciderit, vel eum infirmitate, ſive militia detentum eſſe contigerit.*

* *Tom. 2. Conc. Gallia.*

Eamdem fuiſſe Anglicanæ Eccleſiæ Diſciplinam, conſtat ex libro Pœnitentiali Bedæ, cap. 3. ubi illis qui caſu, vel in bello publico, aliquem occidiſſent, Pœnitentiam imponit: *Qui caſu*, inquit, *annum unum: Qui bello publico, dies quadraginta.* Et ex Canone Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi quo Pœnitentia imponitur ei, qui in extrema neceſſitate cibum, aut veſtem furatus eſt. *Si quis*, inquit, *propter neceſſitatem furatus fuerit cibaria, vel veſtem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. Et ſi reddiderit, non cogatur jejunare.*

Eamdem ſectata eſt Diſciplinam Eccleſia Germanica, ut conſtat ex Concilio Triburienſi, Can. 34. cujus hæc ſunt verba: *Una cum Interfectis Paganis perempti fuerunt Chriſtiani captivi a Barbaris: qui in impetu belli nequeunt diſtingui. Idcirco juſtum decernentes, ſtatuimus cum interfectoribus miſericordius agendum; ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgentius tranſactis, penes Epiſcopum ſit auctoritas & poteſtas ut perpendat culpam, agat indulgentiam.* Bellum autem juſtum fuiſſe conſtat ex eodem Canone: *Zelo*, inquit, *divinæ æmulationis accenſi Chriſtianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis. Fit Conventus Chriſtianorum & Paganorum; fortiter dimicant iſti pro fide, illi contra fidem.* Cædes autem illa Chriſtianorum inter Paganos exiſtentium & pugnantium, erat involuntaria, ſpectata circumſtantia religionis, quia Chriſtiani milites non intendebant occiſionem Chriſtianorum inter Barbaros captivorum, ſed ſolum Paganorum; nec diſtinguere poterant, in impetu prælii, Chriſtianos ab Ethnicis; & nihilominus militibus omnibus, qui in iſto bello pugnaverant, quadraginta dierum pœnitentia indicitur.

Ex eadem Diſciplina Concilium VVormatienſe, Canone 18. inſanis qui hominem occiderint, pœnitentiam imponit, ſi ad ſanam mentem redierint. *Si quis inſaniens*, inquit, *aliquem occiderit, ſi ad ſanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda eſt, quam ei qui ſana mente tale quid commiſerit; cui quamvis pœnitentia ſit imponenda, quia ipſa infirmitas cauſa peccati fuiſſe creditur, tantum tamen levior, quam qui*

ſanus

ſanus aliquem occi erit, quantum inter ſanum & inſanum; & irrationabile & rationabile conſtat eſſe diſcrimen.

** Pœnitentiale Romanum apud Antonium Auguſtinum.*

Denique Eccleſiæ Romanæ uſu & moribus hæc Diſciplina conſecrata eſt. * Pœnitentiam enim imponit Pœnitentiale Romanum Tit. 4. cap. 16. illis qui ſumma neceſſitate urgente, cibos furati fuerint: *Si feciſti furtum neceſſitatis cauſa*, inquit, *ſic dico, ut non haberes unde viveres, & propter famis penuriam; & tantum furatus es victualia extra Eccleſiam, & non propter conſuetudinem feciſti, redde quod tuliſti, & ſex ferias in pane & aqua pœniteas.*

Sacerdotibus etiam, qui ſine culpa per ignorantiam inebriati fuerint, pœnitentiam imponit, Tit. 5. cap. 3. *Sacerdos quilibet*, inquit, *ſi inebriatur per ignorantiam, ſeptem dies pœniteat in pane & aqua.* Pœnitentiam denique illis præſcribit, qui Sacrificium evomuerint ex infirmitate. *Qui Sacrificium*, inquit, *evomuerint, quadraginta dies pœniteat; ſi infirmitatis cauſa, ſeptem dies.* Cum igitur omnes Eccleſiæ illæ pœnitentiam indixerint, non ſolum pro peccatis, verum etiam pro his omnibus quæ peccati ſpeciem natura ipſa præ ſe ferebant, ad exemplum, ut pœnæ metu Fideles in officio continerentur, iniqua cenſeri non debet Diſciplina quæ ab Illiberitanis Patribus ſancita eſt, ut domina quæ caſu ancillam occidiſſet, quinquennio Pœnitentiæ ſubjaceret. Sine culpa enim, etſi non ſine cauſa, pœna imponi poteſt, ut indicat Regula Juris 23. in 6. Decretal. *Sine culpa*, inquit, *niſi adſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.*

Reſpondeo ſecundo, Patres Illiberitanos pœnitentiam impoſuiſſe pro fortuito homicidio, quod ex peccato ortum haberet, quamvis in ſe ipſo peccatum non eſſet, quatenus fortuitum erat, ſcilicet ex ira impotenti Dominæ, quæ zelotypiæ furore accenſa, jus moderatæ caſtigationis erga ancillam exceſſerat, ipſamque flagellis verberaverat acerbius. Unde pœnitentiam ipſi videntur impoſuiſſe, non propter homicidium dumtaxat, quod caſu contigiſſet, ſed propter zelotypiæ furorem, propter iræ veſaniam, propter inhumanitatem & tyrannidem.

SCHOLION I.

Ad hujus Diſſertationis Articulum 2. & p. 675. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc notam apponunt: *Concilii Illiberitani Fides integra, Diſciplina ſancta, ... Tota Diſſertatio*, inquiunt, *expungatur.*

R. De Eccleſia bene mereri mihi viſus ſum, cum antiqui illius Concilii Fidem ac Diſciplinam vindicavi. Id præſtitit olim vir clariſſimus & doctiſſimus *Ferdinandus de Mendoza* Hiſpanus, tribus libris *De confirmando Concilio Illiberitano* editis, & *Clementi VIII.* Pontifici Maximo nuncupatis, quos cum Academia Complutenſis approbaverit, Pontifex gratos habuerit, atque laudaverit, magnifaciat omnis eruditorum hominum natio; mirum eſt quod Religioſi Cenſores totam illam Diſſertationem expungi velint, qua Concilii Illiberitani Fides integra, Diſciplina ſancta oſtenditur.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, in Reſponſione ad primam Objectionem, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Tribus primis Sæculis nullus fuit uſus Imaginum in Eccleſia, aut admodum rarus.*

R. Hæc virorum Eruditorum verior ſententia, quam propugnant *Petavius* libro 15. *Theologicorum Dogmatum De Incarnatione*, cap. 13. & *Antonius Pagi* ad ann. 54. Num. 18. & obſervant, *Imagines ex eorum per ſe numero eſſe, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc eſt, quæ ad ſalutem omnino neceſſaria non ſunt, nec ad ſubſtantiam ipſam Religionis attinent: In poteſtate ſunt Eccleſiæ, ut ea vel adhibeat vel ableget, pro eo atque ſatius eſſe judicaverit, cujuſmodi poſitivi vulgo juris eſſe dicuntur. Quocirca primis ab ortu Chriſtianæ Religionis temporibus, cum adhuc Gentilis in eam exardeſceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum ſuperſtitio; non tam frequens fuit ſacrarum uſus Imaginum, ut neque Templorum atque Baſilicarum .... Quod eo diligentius obſer-*

obſervandum, quod ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla & teſtimonia, quibus ad oppugnandum Eccleſiæ Ritum abutuntur Proteſtantes, nimiumque commoventur interdum repugnantes illis Catholici Theologi: cum ſicubi conſtet Imagines repudiatas & damnatas ab Orthodoxis fuiſſe, pro locorum ac temporum ratione commode iſtud explicari debeat. Quare in controverſia de Imaginibus, citerioris Eccleſiæ potius exemplorum & inſtitutorum quam antiquioris duci rationem oportet. Cum enim plenis adhuc velis Gentilium ſuperſtitio ferretur multa primis illis Eccleſiæ ſæculis, vel non inutilia per ſeſe, vel etiam commoda ſupprimi, omittique ſatius viſum eſt, dum periculum erat, ne offenſionis aliquid traheret externa quorumdam Rituum ſpecies, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, ſimilitudine ipſa congruens; velut ne Imagines Chriſti atque Sanctorum pro Idolis quibus erant aſſuefacti, a rudibus & imperitis haberentur, & ut eorum animus ab inanium ſimulacrorum conſuetudine ac memoria longius avocaretur. Credibile itaque eſt parum a Chriſtianis uſurpatas fuiſſe primis fere quatuor ſæculis; per quæ nefanda dæmonum in Idolis Religio, & Chriſtiani nominis crudeliſſima vexatio curſum tenuit. Quinto demum ſæculo, poſtquam adepta libertate lacertos quodammodo ſuos explicare cœpit Eccleſia, pleriſque locis Imagines palam haberi cœptæ, atque in Templis & Oratoriis propoſitæ ſunt; cum hactenus etſi in uſu eſſent aliquo, non tamen adeo promiſcue ac frequenter adhiberentur.

SCHOLION III.

In reſponſione ad ſextam Objectionem, & ad pag. 743. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc in Indiculo ſuo notant Propoſitionem: *Pœnitentia Canonica imponi poteſt pro actu qui non eſt peccatum.*

R. De priſca, non de præſenti temporis diſciplina hic ago. Sanctam fuiſſe contendo Illiberitani Concilii diſciplinam, quamvis Pœnitentiam canonicam impoſuerit propter homicidium caſu admiſſum. Quia etſi peccatum non ſit: *Ipſum tamen factum natura ſua vitioſum eſt, ſemperque peccatum, quoties abeſt juſta temporis & rationis circumſtantia.* Antiquis enim Eccleſiæ moribus receptum fuiſſe obſervo pro his factis, etſi non voluntariis, publicam imponere pœnitentiam, ſi publicum erat facinus: *Non ob peccatum, quod illa in hypotheſi nullum erat; ſed ob exemplum*, &c. ut fuſius explico & confirmo non ſolum Illiberitanæ Synodi, ſed & Ancyranæ, Epaonenſis, Nannetenſis, Remenſis, Triburienſis, VVormatienſis Canonibus, & ex Pœnitentialibus libris, Romano, Bedæ, & Theodori Cantuarienſis. Ex quibus evidens eſt, illam in Eccleſia Romana, Gallicana, Germanica, Anglicana, Hiſpanienſi, Orientali viguiſſe Diſciplinam. Ex his patet, Indiculi Cenſorii Auctores Propoſitionem meam truncaſſe, interpolaſſe, in ſenſum alienum detorſiſſe.

Nota.

NOn ſolum olim Ferdinandus de Mendoza in vindicandis Illiberitanis Canonibus feliciter laboravit, ſed etiam ſæculo præterito ſemper laudandus Cardinalis de Aguirre perdocte eoſdem explicavit. Illud etiam adnotandum, quod licet Baronius, quem refert Natalis, Illiberitanum Concilium parvifacere videatur, ea potiſſimum ratione, quod Novatianorum limites attigiſſe ſuſpicaretur, quorumdam criminum reis communionem in fine vitæ denegando, nihilominus æquius de eodem ſentiens ad ann. Chriſti 305. num. 21. hæc habet: *Paulo liberius de Illiberitano Concilio me alias locutum eſſe memini. At cum quæ ab illis de ea re ſunt ſtatuta excuſentur ab Innocentio Romano Pontifice, nemo ſit qui accuſare præſumat.*

Quod attinet ad Canonem de picturis in Eccleſiarum parietibus non efformandis, rationabiliter ſane putat Natalis imaginum uſum reſpexiſſe, eumque in Eccleſiis vetitum fuiſſe, ne Chriſtianorum hoſtes eaſdem ipſorum eſſe idola garrirent. Iis addere eſt, quod cum tunc immaniſſima Diocletiani ubique graſſaretur perſecutio, non leve imminebat periculum, ne Chriſtiani huc, illucque fugientes cogerentur SS. imagines

PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES PRÆCIPUAS TERTII SÆCULI.

DISSERTATIO XXII.

Adversus Novatianos.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Ecclesia potestatem habeat remittendi peccata, nullumque sit crimen quod Ecclesiæ clavibus remitti non possit?

PROPOSITIO.

Novatiani perperam Ecclesiæ negarunt potestatem remittendi peccata: nullum enim crimen est, quod Ecclesiæ clavibus remitti non possit.

PRobatur primo ex verbis Christi, Matth. 18. *Amen dico vobis; quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et ex illis Joannis 20. quibus Christus Apostolis ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Cum igitur Christus nulla peccata excipiat, asserendum est nullum esse crimen quod Ecclesiæ clavibus remitti non possit.

Probatur secundo ex Tertulliano, cap. 10. Scorpiaci: *Nam & si adhuc clausum putas cœlum*, inquit, *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

Probatur tertio ex Sancto Cypriano Epistola 73. ad Jubajanum data, ubi præmissis Scripturæ Sacræ testimoniis supra laudatis, sic colligit: *Unde intelligimus nonnisi in Ecclesia Præpositis, & in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare; foris autem nec ligari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare possit aliquid, aut solvere. Nec hoc, Frater charissime, sine Scripturæ Divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione cuncta esse disposita; nec posse quemquam contra Episcopos & Sacerdotes usurpare sibi aliquid, quod non sit sui juris ac potestatis.*

Sed istius dogmatis veritatem ex professo probat contra Novatianos Epistola 52. ad Antonianum. *Miror*, inquit, *quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent Lapsis pœnitentiam, aut Pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: Memento unde ceciderís, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem Dominus exhortatur per opera rursus exurgere,*

quia

quia scriptum est: Eleemosyna a morte liberat; & non utique ab illa morte quam sanguis extinxit, & a qua nos salutaris Baptismi, & Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea quæ per delicta postmodum serpit. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam non agenti Dominus comminatur. Habeo, inquit, adversus te multa, quod uxorem tuam Jezabel, quæ se dicit Propheten, sinis docere, & seducere servos meos, & fornicari, & manducare de Sacrificiis; & dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult a fornicatione. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui cum ea fornicati sunt, in maximam tribulationem, nisi pœnitentiam gesserint ab operibus suis. Quos utique Dominus ad pœnitentiam non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio: Dico, inquit, vobis, sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Nam cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Joel Prophetam clamat, & dicit: Et nunc dicit Dominus Deus: revertimini ad me ex toto corde vestro .... Et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis. Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens, ait: Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, lapidem porriget illi? Aut si piscem postulaverit, serpentem porriget illi? Si ergo vos, cum sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona poscentibus se? Comparat hic Dominus carnalem patrem, & Dei Patris æternam, largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam pater offensus graviter a filio peccatore & malo, si tamen eumdem postmodum viderit reformatum, & depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios & bonos mores, & ad innocentiæ Disciplinam pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet, & gratulatur, & susceptum, quem ante projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur: quanto magis unus ille & verus Pater bonus, misercors & pius, immo ipsa bonitas, & misericordia, & pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum; nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis, & indulgentiam pollicetur?

Et infra: *Neminem putamus a fructu satisfactionis & spe pacis arcendum; cum sciamus juxta Scripturarum Divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pœnitentibus non denegari.*

Et infra, postquam prolatis agricolæ & nautæ exemplis ostendit, irrisorium esse hortari peccatores ad pœnitentiam, & ipsis subtrahere de satisfactione medicinam, sic concludit: *Quod si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors & pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus.* Denique toto libro de Lapsis, arma contra Novatianos invicta suppeditat Sanctus Cyprianus.

Probatur quarto ex S. Paciano Barcinonensi Episcopo, in Epistola 1. ad Sympronianum Novatianum. *Nonne*, inquit, (David) *post cædis & adulterii reatum, pro Bersabee pœnitenti Propheta respondit: Dominus abstulit a te peccatum tuum? Num Babyloniæ Regem post tot Idololatriæ facinora damnatum, exomologesis non liberavit? Et quid est quod ait Dominus: Nonne qui ceciderit, resurget, & qui aversus fuerit, convertetur? Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam; quod Pastor ovem reportat erraticam; quod Filio revertenti, post prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis nepotata, Pater blandus occurrit, & invidum fratrem offensa ratione castigat? Filius, inquiens, meus hic mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Quid ille in via vulneratus, a Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis accusat; stuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit. Laodicenorum divitias inurit, & tamen omnes ad pœnitentiam satisfactionis invitat. Quid Apostolus ad*

Corinthios, cum ita dicit: Ne cum venero, lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ex his quæ ante gesserunt in fornicatione & immunditiis suis? .... Nemo sine fructu imperat laborem. Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti.

Deinde occupat responsionem Novatianorum, dicentium Deum quidem posse remittere peccata, non vero Sacerdotes, eamque refellit. *Solus hoc*, inquies, *Deus poterit. Verum est: sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis; & quæcumque solveritis in terris, soluta erunt & in cœlis? Cur hoc, si ligare hominibus, & solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum; aut nec illud ex Decretis relaxatum est . . . Si ergo & Lavacri, & Chrismatis potestas, majorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.*

Et Epistola 3. ad eumdem hæreticum, Novatiani dogmatis falsitatem probat ex novitate doctrinæ. *Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, vel quibus temporibus? Statim post Domini Passionem? Post Dei principatum, id est, post trecentos prope annos Dominicæ Passionis. Quid ergo tunc? Prophetas sequutus est, ut Cataphryges? An Philumenen aliquam, ut Apelles? An ipse tantum auctoritatis accepit? Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.*

Postea contra Novatianos pugnat argumento ad hominem, ex priori Novatiani sententia desumpto, qui ante Cornelii Pontificatum potestatem in Ecclesia agnovit dimittendi peccata. *Nescio*, ais, *an remitti peccatum ab Episcopis possit, cum dixerit Dominus: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Cur igitur Novatianus tuus, ne falso quidem adhuc Episcopatu Sacerdos, longe antequam Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequam Sacerdotio illius invideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimonium; Cypriani quem nec vos umquam infamare potuistis. Nam quodam in loco ad Antonianum hoc modo scripsit:* „ *Additum est, etiam Novatiano tunc scribente; & quod scripserat, sua voce recitante; & Moyse tunc Confessore, nunc jam Martyre subscribente; ut lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax* „ *daretur; quæ literæ per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus* „ *perlatæ sunt.*„ *Quid ais, Symproniane frater? Novatianus hæc scripsit, & ut obsequium meræ voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera; testis quę scripsit manus; testis lingua quæ legit. Adhuc Cornelius pro quo omnis vestra erupit invidia, Episcopus non erat. Longe posterius cum plurimis Coepiscopis, cum plurimis Confessoribus, statimque Martyribus, ut idem Cyprianus scribit, assensus est Senum consilio, licere dare pacem. Si pœnitentiæ negandus est aditus, Novatianus in crimine, est, qui hęc scripsit, suasit, & legit. Ubi tunc impatiens rigor? Ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prętulisset, maneret illa scribentis auctoritas. Nunc displicet tota sententia; nunc in nos tela jaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum auctoritate convaluit causa telorum.*

Deinde, quia Novatiani illa Christi verba: *Quęcumque solveritis*, &c. ad correctionem fraternam referenda esse contendebant, propter verba præcedentia, *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. S. Pacianus ostendit illa intelligenda esse de potestate clavium Ecclesiæ concessa, seu de potestate absolvendi a peccatis in Pœnitentiæ Sacramento. „ Illud, *inquit*, uni jussit, hoc pluribus relaxavit, illud ipse solvit in quem admitte- „ retur, hoc vero Ecclesia: illud sine Sacerdote; sine fratribus hoc ab omnibus impe- „ tratur. Quæcumque solveritis (inquit) omnino nihil excepit. Quæcumque, inquit, „ vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrum dicat inferius, id quod peccatur „ in hominem, septuagies & septies relaxandum; ut ostendat alias vel semel posse.

„ Tamen

„ Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit; ſicut ad Samuel ipſe ſignificat:
„ Non te nullius momenti fecerunt, ſed me. Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ, quod
„ nobis ipſis toties imperatur.

Denique Novatianos a Chriſti doctrina receſſiſſe oſtendit ex notis evidentiſſimis hæreſeos, & ſectæ hæreticæ. „ * Jam & illud attende, *inquit*, an hæc potiſſimum ædificata ſit in fundamentis Prophetarum & Apoſtolorum, ex ipſo angulari lapide Jeſu Chriſto. Si ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi a fundamentis prioribus non receſſit, ſi non illa migravit, ſi non a reliquo corpore ſeparata ſuos ſibi Magiſtros, & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid novi juris invenit, ſi corporis ſuo repudium pacis indixit: plane tunc a Chriſto receſſiſſe videatur, tunc extra Prophetas & Apoſtolos conſtitiſſe.

* *Inviſtiſſimum contra omnes Hæreticos argumentum.*

Probatur quinto ex S. Ambroſio lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. ubi contra Novatianos ita ſcribit: „ Sed ajunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum
„ criminum poteſtatem reſervent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei cu-
„ jus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe in E-
„ vangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeri-
„ tis peccata, remittuntur eis; & quorum detinueritis, detenta erunt; quis eſt qui
„ magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque
„ ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. Hæreſis in altero immitis,
„ in altero inobediens, vult ligare quod non reſolvat, non ſolvere quod ligavit: in
„ quo ſe ſua damnat ſententia. Dominus enim par jus & ſolvendi voluit eſſe, & li-
„ gandi qui utrumque pari conditione permiſit. Qui ſolvendi jus non habet, nec li-
„ gandi habet. Sicut enim, ſecundum dominicam ſententiam, qui ligandi jus habet,
„ & ſolvendi habet; iſta iſtorum aſſertio ſeipſam ſtrangulat, ut quia ſolvendi ſibi jus
„ negant, negare debeant & ligandi. *Et ibidem.* Scriptum eſt, *inquit*, Accipite Spiri-
„ tum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ergo qui ſolvere non
„ poteſt peccatum, non habet Spiritum Sanctum. Munus Spiritus Sancti eſt officium
„ Sacerdotis; jus autem Spiritus Sancti in ſolvendis, ligandiſque criminibus eſt. Quo-
„ modo ergo munus ejus vendicant, de cujus diffidunt jure & poteſtate? *Et rurſus*
„ *ibidem:* Quid quod inſolentiores ſunt? Nam cum ad miſericordiam promptior, quam
„ ad ſeveritatem ſit Spiritus Dei, quod ait ſe velle, id nolunt; quod nolle, hoc agunt:
„ cum vindicare Judicis ſit, remittere miſericordis. Tolerabilius igitur, Novatiane,
„ remitteres, quam ligares .... Pro quibus ergo Chriſtus interpellat, eos Novatia-
„ nus accuſat. Quos Chriſtus ad ſalutem redemit, eos Novatianus damnat ad mor-
„ tem. Quibus Chriſtus dicit: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia
„ mitis ſum; Novatianus dicit, Immitis ſum: quibus Chriſtus dicit, Invenietis re-
„ quiem animabus veſtris, jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve: his gra-
„ ve onus, & durum jugum imponit Novatianus.

Et *cap.* 6. Ita Chriſtum affatur: „ Dicis Petro excuſanti ne ei pedes lavares: Niſi
„ lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo iſti poſſunt conſortium
„ tecum habere, qui claves regni cœlorum non ſuſcipiunt, negantes quod dimittere
„ peccata debeant? Quod quidem recte de ſe fatentur: non habent enim Petri hære-
„ ditatem qui Petri fidem non habent, quam impia diviſione diſcerpunt. Sed hoc im-
„ probe, quod etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cum Petro dictum ſit:
„ Tibi dabo claves regni cœlorum, *&c.* cum & ipſe Vas Electionis Dominicæ dicat:
„ Si cui autem quid donaſtis, & ego quod donavi propter vos in perſona Chriſti. Cur
„ igitur Paulum legunt: ſi eum tam impie arbitrantur erraſſe, ut jus ſibi vendicaret
„ Domini ſui? Sed vendicavit acceptum, non uſurpavit indebitum.

Et *cap.* 7. „ Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In Baptiſ-
„ mo utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt utrum per Pœnitentiam,
„ an per Lavacrum, hoc jus ſibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utrumque my-
„ ſterium eſt. Sicut igitur poteſtas remittendi peccata per Baptiſmum vere convenit
Eccleſiæ, ita & eidem convenit poteſtas ea remittendi per Pœnitentiam: & ſicut Baptiſmus, ita & Pœnitentia Sacramentum eſt Eccleſiæ adminiſtrationi conceſſum.

Probatur sexto ex Sancto Hieronymo, qui Sacerdotibus clavium potestatem vendicat, & judicandi auctoritatem ante extremi diem judicii, in tribunali utique Pœnitentiæ. Sic *enim* scribit Epist. 1. ad Heliodorum: „ Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, „ per quos & nos Christiani sumus: qui claves regni cœlorum habentes, quodam„modo ante Judicii diem judicant, qui Sponsam Domini sobria castitate conservant.„ Et *lib.* 1. adversus Pelagianos *cap.* 10. „ Qui ligna cædit, *inquit*, si securi ac fer„ro fugiente de ligno homo fuerit occisus, pergere jubetur ad urbem fugitivorum, „ & tamdiu ibi esse, quamdiu Sacerdos Maximus moriatur, id est, redimatur Sangui„ne Salvatoris; aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptisma„tis gratiam, per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam„ nec delectatur mortibus peccatorum, sed ut convertantur, & vivant.

Probatur septimo ex Sancto Epiphanio Hæresi 59. „ Quamobrem, *inquit*, cum di„vinus sermo, tum Sancta Dei Ecclesia perpetuo pœnitentiam approbat; non quod„ mollior ac dilutior sit, aut pigriores illos faciat, qui in illo stadio decurrunt; sed„ ut Dei gratiam, humanitatemque non rejiciat, ac cujusque causæ modum ac ra„tionem consideret. Ut enim is qui virginitatem amisit, quod ad corpus attinet, re„præsentare illam non potest, cum id natura minime patiatur: ita qui post Baptis„mum in majora quædam crimina prolapsus est: perinde ac qui virginitate excidit,„ secundum habet in continentia commendationis gradum: Sic ille post Baptismum„ graviore obstrictus scelere, secundum habet sanitatis genus. Quod tametsi cum tan„ta, quanta prius, virtute minime conjunctum sit, non est tamen a consequendæ vi„tæ spe ac salutis alienum: igitur eorum qui in capessenda pœnitentia laborant, fru„ctum ac præmium divinus sermo non rejicit.

Probatur octavo ex Sancto Augustino Epistola 4. ad Vincentium Donatistam. „ Si,„ *inquit*, quod veritas habet, & quod Ecclesia merito tenet, recte pœnitentibus adul„teris pax dabatur, illi qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant,„ impie utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, & claves Ecclesiæ„ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea„ sinebat vivere, ut pœnitendo sanarentur. Sacrificio contriti spiritus, & contribulati„ cordis oblato, dura crudelitate contradicebant.

Et Epistola 180. ad Honoratum, de persecutionis angustiis loquens, hæc habet: „ Annon cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est pote„stas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni„ ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam„ pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectio„nem & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de„ isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?

Et libro de Agone Christiano, *cap.* 31. ubi Novatianos his verbis redarguit: „ Nec„ eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque mi„seri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ cla„ves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupse„rint, tamquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse„ mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mun„dos vocarent. Nolentes enim, si peccaverint, corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi„ cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos ali„qua sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, & viduas suas uri cogunt„ quas nubere non permittunt.

Et Homilia 27. exponit quo sensu peccata per Sacerdotes dimittantur. „ Daturus„ erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum, *inquit*, & ab ipso Spiritu Sancto Fi„delibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti pecca„ta. Nam quid es, homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse Medicus? Mecum quæ„re Medicum. Nam ut hoc evidenter ostenderet Dominus, a Spiritu Sancto quem„ donavit Fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait:

„ resur-

„ resurgens a mortuis: Accipite Spiritum Sanctum; & continuo subjecit: Si cui di-
„ miseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, Spiritus dimittit, non vos: Spiritus au-
„ tem Deus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum; Quid estis vos?
„ Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum: Ne-
„ scitis quia corpora vestra templum est in vobis Spiritus Sancti, quem habetis a Deo?
„ Deus ergo habitat in templo suo: hoc est, in Sanctis suis fidelibus in Ecclesia sua:
„ per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem,
„ potest dimittere & præter hominem. Lege ejusdem Sanctissimi Doctoris Homiliam
„ 49. *cap.* 3.

Probatur nono ex Sancto Joanne Chrysostomo, *libro* 3. de Sacerdotio, ubi *cap.* 6.
„ de Sacerdotibus ait: Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam con-
„ donandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. *Et rursus*: Corporis lepram pur-
„ gare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum
„ Sacerdotibus solis licebat ..... At vero nostris Sacerdotibus, non corporis lepram,
„ verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.

Et Homil. 57. de Pœnitentia. „ Peccasti, *inquit*, Ecclesiam ingredere, atque tuum
„ dele peccatum. Quoties ecideris in foro, toties exurgis: sic quoties peccaveris,
„ peccati pœniteat, neque desperes. Ta metsi secundo peccaveris, secundo pœniteat,
„ neque anima consternatus, a spe repositorum bonorum cadas. Quamvis novissimo in
„ vitæ die peccaveris, ingredere, pœnitentiam age: medicinæ locus est hic, non judi-
„ cii; non pœnas exigens, sed peccatorum remissionem tribuens.

Et Homilia 38. Postquam filii prodigi parabolam in pœnitentiæ exemplum protulit,
„ hæc subjungit: Hanc autem similitudinem in medium idcirco protuli, quo sciatis
„ & peccatorum, quæ post Baptisma contrahuntur, remissionem esse, si attendamus:
„ dico autem, non ut ad inertiam compellam, sed ut a desperatione revocem.

Probatur 10. ex Sancto Cyrillo Alexandrino, *lib.* 12. Commentariorum in Evange-
lium Sancti Joannis, ad illa Christi verba, Quorum remiseritis peccata, *&c.* „ Quo-
„ nam igitur modo, *inquit*, aut qua ratione Servator dignationem quæ soli naturæ
„ divinæ debetur, suis Discipulis attribuit? Sane dici non potest perperam id Pater
„ egisse, quin potius perquam recte factum ab eo putandum est. Existimabat enim,
„ eos qui Divinum ac Dominicum jam in se ipsis Spiritum habebant, etiam remit-
„ tendi peccata dominos esse debere, & ea retinendi quæ voluerint, Sancto Spiritu
„ qui in iis inhabitat, remittente, vel retinente pro suo nutu, quamvis id per homi-
„ nes forte fiat. Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines, duo-
„ bus ut arbitror modis; vel enim dignos ad Baptismum vocant, vel prohibent, &
„ a gratia divina arcent eos qui nondum digni sunt; vel alio quodam modo peccata
„ remittunt, ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœni-
„ tentibus ignoscunt.

Lege etiam Theodoretum, *lib.* 5. Hæreticarum Fabularum, *cap.* 28. & Sanctum
Leonem Epistola 91. ad Theodorum Foroiulienſem Episcopum, in qua sic habet:
„ Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptis-
„ mi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut
„ qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissio-
„ nem criminum pervenirent; sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia
„ Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & homi-
„ num homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradit potestatem, ut & con-
„ tentibus actionem Pœnitentiæ darent: & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad
„ Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

His addenda sunt Ecclesiæ auctoritas, quæ Novatianos, statim atque eruperunt,
damnavit; & Conciliorum Decreta, quæ Pœnitentiam inter Sacramenta novæ Legis
numerandam esse definiunt. Qua de re legendum est Eugenii IV. Decretum pro Ar-
menorum Instructione, & Tridentina Synodus Sessione 14. *cap.* 1. „ Dominus autem,
„ *inquit*, Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus,
„ insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remise-

„ ritis

„ ritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam in-
„ signi facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad
„ reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Succes-
„ soribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et
„ Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ec-
„ clesia Catholica tamquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum
„ hunc illorum verborum Domini sensum Sancta Synodus probans & recipiens, da-
„ mnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestates prædicandi
„ Verbum Dei & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti in-
„ stitutionem falso detorquent.

Et Canone 1. sic decernit: „ Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non
„ esse vere & proprie Sacramentum, pro Fidelibus, quoties post Baptismum in pecca-
„ ta labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, ana-
„ thema sit.

Et Canone 3. „ Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum
„ Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. non esse intelligenda
„ de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ec-
„ clesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem
„ hujus Sacramenti ad auctorita tem prædicandi Evangelium, anathema sit.

Objectio prima in gratiam Novatianorum petitur ex verbis Christi, Matthæi 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Aliquod igitur peccatum irremissibile est, ad quod proinde condonandum Ecclesiæ claves non extenduntur.

Resp. primo, argumentum istud nihil concludere pro Novatianis. Non sequitur enim Ecclesiam peccata remittere non posse auctoritate a Christo sponso suo sibi demanda-ta, etiamsi sit crimen aliquod singulare ita execrandum, ut veniam consequi nusquam possit illius reus. Unde SS. Patres qui Novatianorum hæresim impugnarunt, ipsis concedere videntur crimen quoddam irremissibile esse.

Respond. secundo, peccatum in Spiritum Sanctum, blasphemiam scilicet, qua manifesta Spiritus Sancti opera dæmoni tribuuntur, dici numquam remitti, non quod remitti non possit a Deo, & ab Ecclesia, neque quod nusquam condonetur; sed quia remittitur difficilius; propterea quod qui in Spiritum Sanctum peccant, majus apponant gratiæ impedimentum, nullamque habeant peccati excusationem. In aliis enim pleriisque criminibus ignorantia, aut infirmitas culpam aliquatenus elevant. *Misericordiam consecutus sum*, inquit Apostolus, *quia ignorans feci in incredulitate*. Et, *Deus cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus* (inquit Regius Vates). At in peccato in Spiritum Sanctum, nihil ejusmodi reperitur, quod culpam elevare possit. Ita hunc locum explicat Sanctus Athanasius libro in illum Evangelii locum. *Qui vir fidelis est*, inquit, *& Apostolicus, cognoscens Domini in genus humanum dilectionem, cum videt ea quæ sunt deitatis signa, admiratione veneratur Dominum in corpore latentem. Rursus cum videt quæ sunt corporis propria, plusquam obstupescit, animadvertens in illis deitatis energiam. Istiusmodi cum sit Ecclesiastica fides; quidam humana ejus respicientes, videntesque ejus sitim, aut fatigationem, aut passionem, obtrectant Salvatori ut homini mero. Et magnopere quidem peccant, cum habeant pro excusatione imbecillitatem carnis. Cæterum ubi quis deitatis opera intuens, incipit dubitare de Incarnatione Domini, & ille quidem maxime peccat, eo quod cum videat eum comedentem, patientem, spectrum, inanemque apparitionem corpus ejus fuisse imaginatur. Verum & istiusmodi celeriter resipiscentibus veniam Christus donaverit, eo quod & ipsi causam erroris sui habeant ex magnitudine operum humanam naturam excellentium. At illi qui amborum istorum insciliam cæcitatemque transcendunt, putantes se legis scientiam tenere, quales erant ejus temporis Pharisæi in insaniam versi, & Verbum quod in corpore est prorsus abnegant, & divinitatis opera diabolo, ejusque dæ-*

moniis

moniis imputant, merito istius impietatis indeprecabilem pœnam luunt; cum & diabolum pro Deo accipiant, & verum certumque Deum nihil plusquam dæmonem operari credant. In istiusmodi impietatem delapsi erant ejus temporis Judæi, & inter Judæos Pharisæi ..... Unde consequenter illos Salvator noster inveniabiliter blasphemare ostendit.

Hanc autem fuisse Sancti Athanasii mentem, non vero quod penitus irremissibilis esset blasphemia in Spiritum Sanctum (ut ipsi affingit Morinus) constat rursus ex ipsius libro de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, fol. 392. *Sunt*, inquit, *alii qui in Spiritum Sanctum impingunt, atque ita in Christi deitatem blasphemias dicunt, nimirum quod in Beelzebub Principe dæmoniorum ejiceret dæmonia. De istis intelligendum est quod ait: Non remittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti & in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, in illis qui vere, & ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt.* *Refellitur Morinus.* *Ostenditur Patres nullum agnovisse peccatum, quod a Deo & ab Ecclesia remitti non possit.*

Non me latet Rivetum abjudicare istud Opus S. Athanasio; sed cum non probet spurium esse, ipsum Patris Sanctissimi genuinum propugnamus. Ait multa in eo libro ad verbum transcripta ex Quæstionibus ad Antiochum, quas S. Athanasii non esse certum est. Verum Auctorem Quæstionum illarum ex isto potius libro sua desumpsisse contendo, ut Athanasium mentiretur.

Eamdem solutionem suggerit S. Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum. *Post hæc proponis*, inquit, *& dicis scriptum esse per Dominum: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Qui autem in Spiritum Sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro. Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te valet. Nam si omne peccatum & blasphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam: Et si in Filium hominis peccaverit, remittetur ei. Quid hoc amplius, de clementia judicantis?.... Sed qui in Spiritu Sancto blasphemaverit, ait, non remittetur ei. Soles totas percurrere lectiones, cur hic non legisti, quid sit istud, in Spiritu? Habes supra scriptum, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse Pharisæos: Hic non expellit dæmonia nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum. Hoc est in Spiritum Sanctum deliquisse, in ea blasphemasse, quæ per Spiritum Sanctum gerebantur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est, non videre quod videas, & Sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, Symproniane frater, donantur.* Ex quibus constat, S. Pacianum non dixisse blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, quod absolute remitti non possit a Deo & ab Ecclesia; sed quod excusationem non habeat, quæ peccatum elevet, veniamque illius efficiat faciliorem, ut cætera peccata, quæ ex errore, aut metu, aut carnis infirmitate perpetrantur. *Morinus libr. 9. de Administ. Sacr. Pœnit. c. 2.*

Illustratur eadem solutio ex S. Ambrosio libro 2. de Pœnitentia, cap. 4. „ Perlatum „ est ad nos, *inquit*, etiam illud vos objicere solere, quod dicatis scriptum esse: Omne „ peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non re„ mittetur, &c. Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur, & absolvitur. Scri„ ptum est enim: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: cur igitur non „ remittitis? Cur ligatis vincula, quæ non solvitis? Cur nodos nectitis quos non re„ laxatis? Remittite cæteris, & agite de iis quos peccantes in Spiritum Sanctum E„ vangelica auctoritate in perpetuum adstringi putatis, & tamen quos adstringat, „ consideremus ..... De iis utique expressum videmus, qui Dominum Jesum in „ Beelzebub ejicere dæmonia loquebantur, quibus sic respondit Domi nus: Quod Sa„ tanæ hæreditas in iis esset, qui Satanæ compararent Salvatorem omnium, & in „ regno diaboli constituerent gratiam Christi. Et ut cognoscæremus quia de hac dixit „ blasphemia, adjunxit: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum „ sitis mali? Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere. Denique Pe-

„ trus

„ trus Simoni, qui magicæ artis consuetudine depravatus, putasset quod gratiam Chri-
„ sti per impositionem manuum atque infusionem Spiritus Sancti compararet pecu-
„ nia, ait: *Non est tibi pars, neque sors in hac fide, quia cor tuum non est rectum*
„ *apud Deum*. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & precare Dominum,
„ *si forte* remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Vides quod hunc magica vanitate
„ blasphemantem in Spiritum Sanctum Apostolica auctoritate condemnet, & eo ma-
„ gis quia puram conscientiam fidei non habebat: & tamen non intercluſit ei spem
„ veniæ, quem invitavit ad pœnitentiam. Responsum est igitur a Domino blasphe-
„ miæ Pharisæorum: & ideo *his* potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissionem
„ peccatorum est, qui cœlestem ejus potestatem diabolico sultam suffragio vindica-
„ rent. Eos quoque *asserit* diabolico uti spiritu, qui separent Ecclesiam Dei, ut om-
„ nium temporum Hæreticos & Schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam
„ negat; quod omne peccatum in singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt qui
„ volunt solvere gratiam Christi, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam pas-
„ sus est Dominus Jesus, Spirituſque Sanctus datus est nobis. Denique ut sciatis quia
„ de dispersoribus dicit, sic habemus scriptum: Qui non est mecum, contra me est;
„ & qui non colligit mecum, dispergit. Et ut sciremus de his dictum, statim subjun-
„ xit: Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiri-
„ tus autem blasphemia non remittetur hominibus. Cum dicit, Ideo dico vobis: Nou-
„ ne evidenter hoc præ ceteris a nobis intelligi voluit? " Qui locus si a verbis sub-
sequentibus avellatur, persuadere videtur Sanctum Ambrosium existimasse duo hæc crimina irremissibilia esse, nempe Pharisæorum qui diabolo Christum comparabant, & Schismaticorum qui Ecclesiam Christi discerpunt. Sed si verba sequentia expendantur, quæ Morinus non expendit, palam innotescet Sanctissimum Doctorem existimasse illa peccata vulgo non remitti, quia rarum est, ut de iis agant pœnitentiam, qui in illa sunt prolapsi, propter majus impedimentum quod gratiæ Christi apponunt; sed tamen absolute remitti posse non solum a Deo, verum etiam ab Ecclesia. Statim namque subjungit S. Ambrosius: *Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique etiam Judæorum populus qui dicebat de Domino Jesu: Dæmonium habet: in Beelzebub ejicit dæmonia; qui crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocabatur ad Baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.*

Laudatis Patribus concinit Sanctus Hieronymus in cap. 12. Sancti Matthæi, innuitque non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum, qua manifesta divinitatis opera diabolo tribuuntur, quia nihil est quod peccati gravitatem elevet. „ Et quomodo, „ *inquit*, quidam nostrorum Episcopos atque Presbyteros post blasphemiam Spiritus „ Sancti in suum recipiunt gradum; cum Salvator dicat: Omne peccatum & blasphe-
„ miam dimitti hominibus; qui autem in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non di-
„ mitti ei, neque in præsenti tempore, neque in futuro? Nisi forte illud de Marco
„ Evangelista sumamus exemplum, qui causas tantæ iræ manifestius expressit dicens:
„ Quia dicebant: Spiritum immundum habet. Ergo quicumque opera Salvatoris Beel-
„ zebub Principi dæmoniorum deputarit, & dixerit Filium Dei habere spiritum im-
„ mundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur. Vel ita locus iste intelligen-
„ dus est. Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea, &
„ me hominem tantum arbitrans, quod filius sim fabri, & fratres habeam Jacobum &
„ Joseph & Judam, & homo vorator & vini potator sim, talis opinio atque blasphe-
„ mia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis
„ vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare
„ non possit, eadem stimulatus invidia calumniatur, & Christum denique Verbum, &
„ opera Spiritus Sancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in præsenti sæ-
„ culo, neque in futuro.

Audiendus est hac de re & S. Joannes Chrysostomus Homilia 42. in Matthæum, ubi eumdem locum exponens, hæc habet: *Spiritus ne*, inquies, *blasphemia non dimittetur Pœnitentibus? Quod omnino falsum esse patet. Nam & hoc peccatum dimissum sci-*

ſcimus, cum multis eorum qui talia in Spiritum dixerant, ignotum eſſe conſtet. Quid igitur eſt quod dicit? Significare voluit multo minus cæteris hoc eſſe ignoſcibile ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet quiſnam eſſet Chriſtus ignorabant: Spiritus autem Sancti gratia multis & magnis ſignis ſeipſam manifeſtaverat.

Eodem ſenſu intelligendus eſt Sanctus Hilarius Capite 12. in Matthæum ita ſcribens: *Phariſæorum ſententiæ, & eorum qui ita cum his ſentiunt perverſitatem ſeveriſſima definitione condemnat; peccatorum omnium veniam promittens, & blaſphemiæ Spiritus indulgentiam abnegans. Nam cum cætera dicta, geſtaque liberali venia relaxentur, caret miſericordia, ſi Deus negetur in Chriſto: & in quo ſine venia peccatur, benevolentiam iteratæ admonitionis impendit. Omnino peccata cujuſque generis remittenda, blaſphemiam in Spiritum Sanctum non remittendam. Quid enim tam extra veniam eſt, quam in Chriſto negare quod Deus ſit, & conſiſtentem in eo paterni Spiritus ſubſtantiam admere?* Quæ Sancti Hilarii verba, etſi duriora prima fronte videantur, tamen peccatum illud blaſphemiæ in Spiritum Sanctum nuſquam remitti, aut abſolute irremiſſibile eſſe non ſignificant, ſiquidem ibidem ait: *Sub ſecreto indulgentiæ Dei reposita veniam, qua omne peccatum ſit remittendum.* Sed ſolum innuunt, Judæos ſic blaſphemantes magis indignos fuiſſe venia, quam Gentiles, apud quos Chriſtus nec Evangelium ſuum prædicavit, nec ulla miracula edidit. Quod prolata comparatione Niniviitarum, & Reginæ Saba, quam Chriſtus eodem in capit. 12. Matthæi urget, Sanctus Hilarius oſtendit. *Cumulat igitur invidiam comparatio*, inquit, *& Judæos ſine excuſatione facit fides Gentium: ut cum illis Prophetis, id eſt Jonæ, Salomonique credederint, Chriſto iſti non credant, Jona, Salomoneque potiori. Et idcirco in reſurrectione eos judicabunt, quia in his repertus timor Dei fuerit, quibus Lex non erat prædicata: hoc magis indigni venia, quia ex Lege ſunt infideles, quo plus fidei in eis qui Legem ignoraverunt, ſit repertum.*

Denique Sanctus Auguſtinus peccatum in Spiritum Sanctum non eſſe irremiſſibile cenſet, niſi per accidens, quia nempe in eo peccator ad extremum uſque ſpiritum perſeverat, ſive illud ſit deſperatio de miſericordia Dei, vel duritia cordis, qua homo recuſat in unitate Corporis Chriſti remiſſionem accipere peccatorum; vel oppugnatio & invidia fraternæ charitatis. Id conſtat ex Epiſtola 50. ad Bonifacium, ubi contra Donatiſtas, qui Chriſti verba de blaſphemia in Spiritum Sanctum pravo ſenſu interpretabantur, ita ſcribit: „ Intelligant ergo, *inquit*, non omnia, ſed aliquod ſignificatum „ eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, quod omnino non remittetur. Sicut enim cum „ dixiſſet, Si non venirem, peccatum non haberent: utique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magniſque peccatis; ſed aliquod „ proprium peccatum; quod ſi non haberent, poſſent illis omnia dimitti quæ habebant, „ id eſt, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, „ ſi non veniret: ſic etiam cum dixit: Qui peccaverit in Spiritum Sanctum; vel, qui „ verbum dixerit adverſus Spiritum Sanctum, non utique omne quod in Spiritum Sanctum peccatur, facto, ſive dicto, ſed aliquod certum & proprium intelligi voluit. „ Hoc eſt autem duritia cordis uſque ad finem hujus vitæ, qua homo recuſat in unitate Corporis Chriſti quod vivificat Spiritus Sanctus, remiſſionem accipere peccatorum. Cum enim dixiſſet Diſcipulis, Accipite Spiritum Sanctum, continuo ſubjecit: „ Si cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei: ſi cui retinueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ Dei quicumque reſtiterit & repugnaverit, vel quoquo modo fuerit „ ab eo alienus uſque in finem hujus temporalis vitæ, non remittetur ei neque in „ hoc ſæculo, neque in futuro, hoc ſcilicet tam grande peccatum, ut eo teneantur „ cuncta peccata; quod non probatur ab aliquo eſſe commiſſum, niſi cum de corpore „ exierit. Quamdiu vero hic vivit, eum, ſicut dicit Apoſtolus, patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Sed ſi ipſe perſeverantiſſima iniquitate, ſicut conſequenter adjungit Apoſtolus, Secundum duritiam cordis ſui, & cor impœnitens, theſaurizat „ ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti Judicii Dei, non remittetur ei neque „ in hoc ſæculo, neque in futuro.

Et in Enchiridio cap. 82. *Qui vero in Eccleſia remitti peccata non credens, contemnit*

tantam

tantam divini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. Legendus est & liber primus de Sermone Domini in Monte, cap. 22.

Denique Sermone 11. de Verbis Domini, ubi hanc de irremissibili in Spiritum Sanctum blasphemia quæstionem data opera expendit, postquam præmisit verba Christi de omni blasphemia intelligi non posse, „ Ne Paganis, Judæis, Hæreticis, omnique „ hominum generi qui diversis erroribus, & contradictionibus suis blasphemant in Spi„ ritum Sanctum, spes remissionis, si se correxerint, auferatur “: subjungit cap. 12. hanc blasphemiam in Spiritum Sanctum, cui numquam ignosci potest, secundum Christi verba, esse impœnitentiam finalem. „ Contra hoc donum, *inquit*, contra istam „ Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est Spiritus blasphe„ mię; quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro ..... Hæc ergo „ impœnitentia (sic enim uno aliquo nomine possumus utcumque appellare & blas„ phemiam & verbum contra Spiritum Sanctum, quod remissionem non habet in æter„ num) ..... Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc „ sæculo, neque in futuro: quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ „ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quisque in „ hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu pa„ tientia Dei ad pœnitentiam adducit “. Post multa tandem sic concludit: „ Unum „ ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impœnitens caveatur: „ nec aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio pec„ catorum datur, & societas Spiritus in pacis vinculo custoditur.

Contra. Blasphemia qua Dei opera diabolo tribuuntur, est blasphemia in Spiritum Sanctum: sed hæc est irremissibilis absolute: igitur sola impœnitentia non est blasphemia irremissibilis.

S. Hieronymus blasphemiam in Spiritum Sanctum irremissibilem esse non sensit.

Probatur minor ex Sancto Hieronymo, Epistola 149. ad Marcellam data, in qua exponit quodnam sit illud peccatum quod Christus dixit irremissibile; & probat contra Novatianos, Christi negationem tormentorum metu non esse inexpiabile peccatum: „ Unde, *inquit*, de toto ipsius Scripturæ ordine convincendus est, non iis irremissibi„ lem dictam esse blasphemiam, qui tormentis compulsi, & variis eviscerati cruciati„ bus Dominum denegassent; sed iis, qui cum in virtutibus videant opera Dei, ca„ lumniantur, & clamitant dæmonis esse virtutem, & omnia signa quæ facta sunt, „ non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum pertinere.... Probet itaque Nova„ tianus aliquem de iis qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal Judicis, respondisse, „ omnia quæ in Evangelio scripta sunt, non a Filio Dei, sed a Beelzebub Principe „ dæmoniorum fuisse perfecta; & tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum „ Sanctum esse blasphemiam.

Et infra: „ Manifestum est peccatum in Spiritum Sanctum ideo non posse dimitti, „ quod habeat blasphemiam: ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnie„ ris in factis. Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, & „ ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam: quia „ aliud est tormentis cedere, & se Christianum negare; aliud Christum diabolum „ dicere, sicut tibi ipsa Scriptura, atque contextus, lecta attentius potuerunt demon„ strare. “ Ex quibus sic colligo. Statuit Sanctus Hieronymus, blasphemiam in Spiritum Sanctum a se expositam, inexpiabilem esse, eo sensu, quo Novatianus contendebat negationem Christi, vi aut metu tormentorum extortam, irremissibilem esse: atqui Novatianus contendebat negationem Christi esse penitus irremissibilem; non solum quod difficulter expiari posset: S. igitur Hieronymus existimavit irremissibilem esse absolute blasphemiam in Spiritum Sanctum, a se expositam.

Respondeo, distinguo majorem. Et Sanctus Hieronymus figura concessionis utitur, ut ostendat verba Christi de irremissibili blasphemia in Spiritum Sanctum Novatianis non favere, concedo; & id concedit absolute, nego. Scilicet Novatiani peccata quælibet a Christianis post Baptismum commissa, inexpiabilia esse contendebant, maxime negationem Christi, & nominis Christiani, hoc freti argumento: Pec-

catum

catum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum eſt irremiſſibile ; ſed negatio Chriſti nominiſque Chriſtiani, & Idololatria, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, eſt itaque irremiſſibilis. Marcellæ pientiſſimæ & doctiſſimæ, necnon illuſtriſſimæ femine difficultatem faceſſebat iſtud argumentum, cui non poterat reſpondere. Quamobrem S. Hieronymum conſuluit. Quid ad hæc S. Hieronymus? Negat primo Idololatriam, & negationem Chriſti, nominiſque Chriſtiani, eſſe blaſphemiam in Spiritum Sanctum, quia ſequeretur alioqui nullum eſſe diſcrimen inter blaſphemiam, quæ dicitur In Filium hominis, & blaſphemiam in Spiritum Sanctum. Qui autem Chriſtum negat, dicit tantum blaſphemiam in Filium hominis: non dicit igitur blaſphemiam in Spiritum Sanctum. Secundo, blaſphemiam eorum qui Chriſtum negant, remitti poſſe probat exemplo Sancti Petri, cui peccatum negationis dimiſſum eſt. Tandem ſemota illa difficultate (quam tunc ſe non poſſe expendere aſſerit, quia aliis curis ac ſtudiis diſtinebatur) an blaſphemia in Spiritum Sanctum ſit abſolute irremiſſibilis ? ait : Etiamſi illud Novatianis concederet, ipſos non eviciſſe quod contendebant : dato, inquam, & non conceſſo, quod blaſphemia in Spiritum Sanctum eſſet abſolute & natura ſua irremiſſibilis, negat ſequi quod omnia peccata mortalia baptizatorum irremiſſibilia eſsent, quia non ſunt blaſphemiæ in Spiritum Sanctum. Nam tunc ſolum dicitur blaſphemia in Spiritum Sanctum, cum quis Chriſtum in virtutibus, id eſt, in miraculis videns, Beelzebub calumniatur in factis, id eſt, opera Dei refundit in diabolum, ut faciebant Judæi, dicentes: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Hæc conſtant ex totius Epiſtolæ contextu. Quod autem non omnia ſcripſerit ibi Sanctus Hieronymus, quæ ad illius quæſtionis ſolutionem erant neceſſaria, ſed ſolum quæ ad illud Novatianorum argumentum diluendum ſufficiebant, conſtat ex fine ejuſdem Epiſtolæ. *Fuerat quidem prolixius diſſerendum*, inquit, *ſed quoniam amicis, & qui ad noſtrum hoſpitiolum convenerunt, præſentiam noſtram negare non poſſumus; & tibi non ſtatim reſpondere, viſum eſt arrogantis : latam diſputationem brevi ſermone comprehendimus.*

Origenes baptizatorum crimina, abſolute irremiſſibilia non ſenſit.

Contra. Blaſphemia in Spiritum Sanctum, quæ non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, eſt quodcumque mortale peccatum a baptizatis admiſſum; ergo nullum crimen baptizatorum pœnitentia expiari poteſt.

Probatur antecedens auctoritate Origenis, & Theognoſti, quos laudat Sanctus Athanaſius libro in illud Evangelii: *Quicumque dixerit verbum in Filium Hominis*, &c. his verbis : *Priſci igitur homines, inter quos & Origenes, vir multarum Diſciplinarum, & multum induſtrius, & Theognoſtus ille admirandus & perquam ſtudioſus, tradunt nobis hanc eſſe blaſphemiam in Spiritum Sanctum, cum qui dignati ſunt per Baptiſma donis Spiritus Sancti, recurrunt ad peccata, atque inde eſſe quod remiſſionem non conſequantur.*

Ratio autem Origenis a Sancto Athanaſio ibidem laudata, ita ſe habet: *Deus Pater in omnia penetrat, & omnia continet, animata, inanimata, rationalia, irrationalia. Filii autem poteſtas in ſola rationalia ſeſe extendit, quatenus ſunt: inter quæ rationalia, Ethnici ſunt, qui blaſphemant, nondum recepta fide. Spiritus autem Sanctus in eos ſolos ſeſe explicat, qui ſui participes facti ſunt baptiſmatis gratia. Cum igitur blaſphemia Ethnici peccant filium, in peccant quoniam ille in illis eſt. Poſſunt tamen veniam conſequi. Cum vero baptizati, in quos collatum eſt donum regenerationis peccant, iſtiuſmodi iniquitatem in Spiritum Sanctum ſeſe extendere ait, quoniam cum Spiritu Sancto continerentur, delictum faciunt, ac proinde incondonabilem eſſe illorum culpam.*

Theognoſtum autem hanc rationem addere teſtatur ibidem Sanctus Athanaſius. *Qui primos & ſecundos fines tranſgreſſus eſt, minori pœna dignus videri poſſit; qui autem tertios fines contempſerit, venia excluditur*. Notat porro Sanctus Athanaſius Theognoſtum exiſtimare, *Tunc primos & ſecundos fines tranſmitti, cum quis contra Patrem & Filium loquitur*. Fines autem tertios ipſum *conſtituere in initiatione per baptiſma, & in Spiritus Sancti participatione, & id confirmare per illud Salvatoris ad Apoſtolos dictum: Adhuc multi habeo vobis dicere, ſed nondum recipere poteſtis : cum autem venerit*

nerit Spiritus Sanctus, docebit vos omnia. Post quæ verba Theognostus, referente Sancto Athanasio, hæc subjungit: *Non propter excellentiam Spiritus præ Filio, inexpiabilis, & citra veniam est blasphemia in Spiritum: sed quia in non initiatis venia locum habet. In iis vero qui gustaverunt cœleste donum, & initiati sunt, nulla ad veniam relinquitur excusatio, aut supplicii deprecatio.* Ex quibus constat, blasphemiam in Spiritum Sanctum, quæ non remittitur neque in hoc sæculo, neque in [illegible] esse quodvis mortale peccatum a baptizatis admissum.

Respondeo, Origenem, & Theognostum, irremissibilia dixisse crimina baptizatorum, non absolute, sed comparate ad peccata Ethnicorum, & hic forte occultior sensus est, quem in eorum verbis quærendum Sanctus Athanasius ait: *Arbitror quit, utriusque sententiam nonnulla adhuc inquisitione & observatione indigere, nam occultior sit aliquis & profundior in eorum verbis intellectus.* Et certe Origenem ea non valde sententia, quod peccata post Baptismum commissa irremissibilia essent, constat [illegible] numeris locis, quibus Fideles ad pœnitentiam & confessionem peccatorum adhortatur. Sed ad id evincendum insignis est locus ex libro 3. contra Celsum. *Jam erga peccantes*, inquit, *quam severa est Disciplina, præcipue contaminatos libidine quos e sua Republica ejiciunt nostri, quantumvis Celsus eos nugacibus circulatoribus miles faciat, & Pythagoreorum quidem veneranda Schola ponebat Cenotaphia Disciplinæ suæ desertoribus, nimirum quod haberet eos pro mortuis; hi vero ut perditos Deosque mortuos lugent eos qui libidine, aliove simili malo victi fuerint: ac rursum resipiscentes, haud secus quam redivivos recipiunt tandem, post longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus Dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis.*

Et infra, Celso objicienti Christianis, quod sentirent, hominem injustum, si se propter miseriam suam humiliaverit, a Deo recipi respondet: *Neque de injusto docemus, sufficere ad hoc ut a Deo recipiatur, si agnoscat suam miseriam; sed qui damnata præterita sua vita, convertat se ad meliorem frugem, eum a Deo recipi.* Deinde Celso objicienti rursus Christianis, quod Deum non tam veritate moveri quam adulationibus putarent; cum homines qui recte præsident judicio, vetent reos coram se lamentis & deplorationibus, ne ex affectu magis quam juxta veritatis normam judicent, respondet: *An tibi videtur adulatio querula, si peccator illis divinæ Scripturæ precationibus utatur Deum alloquens: Peccatum meum fateor, & iniquitatem meam non cœlo: dixi: Confitebor contra me iniquitatem meam Domino, & quæ deinceps sequuntur; numquam certe argumentis evincit, Deum non posse flecti talibus peccatoris ei se submittentis precibus.*

Denique idem in libro, neminem malum, nisi ad virtutem conversum, docet a Deo suscipi: *Sed qui peccata sua damnant toto pectore*, inquit, *seque ipsos deflent ac fugere numquam ob malefacta merito perditos, ac mox mutationem præ se ferunt, quæ resipiscentes deceat, eis demum, propter mutatam in melius mentem, condonat errata præterita; eam præteritorum oblivionem impetrante virtute, quæ in locum profligatorum ex anima vitiorum successit.* Hæc autem omnia evidenter ostendunt, Origenem existimasse, peccata post Baptismum admissa, a Deo, & ab Ecclesia remitti. Quid ea de re senserint Origenes & Theognostus, ante ortum Novatianæ hæresis rursus locuti, falsa est illa sententia, quæ ipsis tribuitur: falsum, inquam, blasphemiam in Spiritum Sanctum quæ non remittitur, esse quodlibet peccatum a baptizatis commissum, ut multis rationibus probat S. Athanasius in libro superiu[illegible] dato. Primo, quia Sancta Trinitas indivisa est, unde sequitur, Ut *necessario is qui peccat [illegible]lium & blasphemat, peccet in Patrem, & in Spiritum Sanctum.* Secundo [illegible] in Patre & Filio, & Spiritu Sancto baptisma tribuitur; unde necessarium [illegible]st. *Eos qui post Baptisma prævaricantur, in Sanctam & indivisam Trinitatem blasphe[illegible]acere.* Tertio, quia hæc verba Christi, *Quicumque dixerit contra Spiritum San[illegible], non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non sunt dicta de baptizatis, sed de Pharisæis; unde: *Non poterit hoc dictum pertinere ad eos qui*

valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non „ habet, est baptizandus ut habeat. Qui autem non utiliter habet, ut utiliter ha- „ beat, corrigendus. Nec adultera est aqua in Baptismo hæreticorum: quia nec ipsa „ creatura, quam Deus condidit, mala est; nec verba Evangelica in quibuslibet er- „ rantibus reprehendenda sunt, sed error in quo adultera est anima, etsi a legitimo „ viro Sacramenti habeat ornamentum.

Ad septimum respondet S. Augustinus lib. 4. cap. 1. „ Ecclesia Paradiso comparata „ indicat nobis posse quidem ejus Baptismum homines etiam foris accipere, sed salu- „ tem beatitudinis extra eam, neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina „ de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt. Nomi- „ nibus quippe commemorantur & per quas terras fluant, & quia extra Paradisum „ constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, „ quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. „ Ita fit ut cum Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi in- „ tra Paradisum. Sic ergo Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam: munus „ autem beatæ vitæ, nonnisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fun- „ data est, quæ ligandi & solvendi claves accepit. Hæc est una quæ tenet & possi- „ det omnem sui Sponsi & Domini potestatem: per quam coniugalem potestatem, etiam „ de ancillis filios parere potest; qui si non superbiant, in sortem hereditatis vocabun- „ tur: si autem superbiant, extra remanebunt.

Ad octavam respondet S. Augustinus libro etiam 4. cap. 17. „ Potest nobis & Hære- „ticis baptisma esse commune, cum quibus & Evangelium potest esse commune; „ quamvis a fide nostra error distet illorum; sive aliud de Patre, vel de Filio, vel „ de Spiritu Sancto sentiant, quam veritas habet; sive ab unitate præcisi non colli- „ gant cum Christo, sed spargant; quia potest nobis, si frumenta Dominica sumus, „ etiam intus cum avaris, cum raptoribus, cum ebriosis, & cæteris ejusmodi pestibus „ de quibus dicitur: Regnum Dei non possidebunt, & Baptismatis Sacramentum esse „ commune; & tamen vitia, quibus a regno Dei separantur, non esse communia.

Ad ultimum respondet S. Augustinus libro 3. cap. 16. Spiritus autem Sanctus quia in „ sa Catholica per manus impositionem datur, nimirum hoc intelligi Majores no- „ stri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus „ nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non autem habet Dei charita- „ tem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem; ac per hoc recte intelligitur dici non acci- „ pi nisi in Catholica Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus mira- „ culis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea „ dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda..... Sed „ invisibiliter, & latenter, intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina cha- „ ritas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus no- „ stris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Multæ autem sunt operationes Spi- „ ritus Sancti, quas idem Apostolus cum quodam loco commemorasset, ita concluſit: „ Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. „ Cum ergo aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud ope- „ ratio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit Prophe- „ tiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut „ est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: „ quodlibet Hæretici & Schismatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem „ peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis, & pacis, nec ejus in omni- „ bus, quia nec ejus sunt omnes. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, „ sine qua cætera, etiamsi agnosci, & approbari possunt, prodesse tamen & liberare „ non possunt.

Objectio quinta complectitur rationes Africanorum Episcoporum in Concilio Carthaginensi III. sub Sancto Cypriano, quas Sanctus Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. *Etsi non veras, tamen non vistas*, vocat.

Prima ratio habetur in sententia Felicis a Migirpa. „ Non est Baptisma nisi in Ec-

„ cleſia unum & verum, quia & Dominus unus, & Fides una eſt, in qua ſtat
„ unum Baptiſma & ſanctitas, & cætera. Nam quæ foris exercentur, nullum ha-
„ bent ſalutis effectum.

Huic rationi reſpondet Sanctus Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas,
„ cap. 9. „ Si non eſſet Baptiſma unum & verum niſi in Eccleſia, non utique eſſet
„ in eis qui ab unitate diſcedunt. Eſt autem in eis; nam id non recipiunt redeuntes,
„ non ob aliud niſi quia non amiſerant recedentes. Quod autem ait: Nam quæ foris
„ exercentur, nullum habent ſalutis effectum: conſentio, & omnino verum eſſe cre-
„ do. Aliud eſt enim non ibi eſſe, aliud nullum habere ſalutis effectum. Venienti-
„ bus enim ad Catholicam pacem prodeſſe incipiunt quæ foris inerant, ſed foris non
„ proderant.

Secundam rationem exponit ſententia Nemeſiani a Tubunis. „ Baptiſma, quod dant
„ hæretici & ſchiſmatici, non eſſe verum, ubique in Scripturis Sanctis declaratum eſt:
„ Quoniam ipſi Præpoſiti eorum falſi Chriſti ſunt, & falſi Prophetæ, dicente Do-
„ mino per Salomonem: Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos, id autem ipſe
„ ſequitur aves volantes. Dereliquit autem vias vineæ ſuæ, & a ſemitis agri ſui er-
„ ravit. Ingreditur autem per avia loca atque arida, & terram diſtinet a meſſe, col-
„ ligit autem manibus ſterilitatem. Et iterum: Ab aqua aliena abſtine te, & de fon-
„ te alieno ne biberis. Et in Evangelio: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu
„ Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Hic eſt Spiritus qui ab initio ferebatur
„ ſuper aquam, neque enim Spiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine Spiri-
„ tu. Male ergo ſibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impoſitio-
„ nem Spiritum Sanctum accipiant, & ſic recipiantur, cum manifeſtum ſit utroque
„ Sacramento debere eos renaſci in Eccleſia Catholica. Tunc quippe poterunt filii Dei
„ eſſe, dicente Apoſtolo: Curantes ſervare unitatem ſpiritus in conjunctione pacis.
„ Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus
„ Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus. Item Joann. 3. Quod natum eſt
„ de carne, caro eſt: & quod natum eſt de Spiritu, ſpiritus eſt. Ergo omnes hære-
„ tici, & ſchiſmatici, quæcumque faciunt, carnalia ſunt.

Reſpondet S. Auguſtinus cap. 12. ſententiam Nemeſiani a Tubunis Catholicæ veri-
tati maxime ſuffragari. Nonne enimvero „ Non fidit in falſis, qui fidit in ſpe rerum
„ temporalium, ſicut omnes avari atque rapaces, & qui ſæculo, non factis, ſed ver-
„ bis renuntiant? Quales tamen intus & baptizare, & baptizari, etiam Cyprianus eſt
„ teſtis. Ipſi ſequuntur aves volantes, quia non apprehendunt quæ concupiſcunt. De-
„ ſerit autem vias vineæ ſuæ, &c. non hæreticus tantum, ſed omnis qui male vivit:
„ quia omnis juſtitia fructuoſa eſt, & omnis iniquitas infructuoſa. Qui vero aquam
„ alienam de fonte extraneo bibunt, non hæretici tantum ſunt, ſed omnes qui non
„ vivunt ſecundum ea quæ docet Deus, & vivunt ſecundum ea quæ docet diabolus.
„ Nam ſi de Baptiſmo diceret, non diceret: Ne de fonte extraneo biberis; ſed de fon-
„ te extraneo non te ablueris. Porro ſi non naſcitur ex Spiritu, niſi qui veraci con-
„ verſione mutatur, omnes qui ſæculo, verbis, non factis renuntiant, non utique ex
„ Spiritu, ſed ex aqua ſola naſcuntur, qui tamen & intus, teſte Cypriano, ſunt. Ne-
„ ceſſe eſt enim ut unum de duobus concedatur: aut illi qui fallaciter ſæculo renun-
„ tiant, naſcuntur de Spiritu, quamvis ad perniciem, non ad ſalutem, atque ita
„ poſſunt & Hæretici; aut ſi illud quod ſcriptum eſt, Sanctus Spiritus diſciplinæ ef-
„ fugiet fictum, etiam ad hoc valet ut fallaciter ſæculo renuntiantes non naſcantur de
„ Spiritu, poteſt quis baptizari aqua, & non naſci de Spiritu.

Tertia ratio habetur in ſententia Lucii a Caſtro Galbæ. „ Cum Dominus in Evan-
„ gelio ſuo dixerit: Vos eſtis ſal terræ; ſi ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet,
„ &c. & iterum Apoſtolis mandaverit, dicens: Ite, docete omnes Gentes, baptizan-
„ tes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cum ergo manifeſtum ſit Hæ-
„ reticos non integram Sacramenti confeſſionem habere: item Schiſmaticos non poſſe
„ condire ſapientia ſpirituali, cum ipſi, ab Eccleſia recedendo, infatuati, contrarii fa-
„ cti ſint, fiat ſicut ſcriptum eſt: Domus contrariorum Legis debent emundationem:

„ & con-

„ & conſequens ſit eos qui a contra riis baptizati, inquinati ſunt, primo purgari, &
„ tum demum baptizari.

Reſpondet S. Auguſtinus cap. 14. hunc non eſſe Orthodoxæ ſententiæ ſenſum „ Quod
„ homines foras projecti aliquid valeant, vel ad ſuam, vel ad aliorum ſalutem; ſed
„ & qui tales videntur intus, *inquit*, non ſolum ſpiritaliter foris ſunt, ſed etiam cor-
„ poraliter in fide ſeparabuntur. Omnes enim tales ad nihil valent: nec tamen ideo
„ Baptiſmatis Sacramentum quod in eis eſt, nihil eſt. Nam & in ipſis qui projiciun-
„ tur foras, ſi reſipiſcant & redeant, ſalus eis, quæ receſſerat, redit; baptiſma ve-
„ ro quia non receſſerat, non redit.

Et infra: „ Quid ergo raptores & homicidæ non ſunt contrarii Legis dicentis: Non
„ occides, non furaberis? Debent ergo emundationem: quis hoc negaverit? Et tamen
„ non ſolum quicumque a talibus intus baptizantur, ſed etiam qui tales non mutati
„ baptizantur, quamvis adhuc purgationem debeant ut mutentur, non tamen amplius,
„ cum mutati fuerint, baptizantur. Tanta vis eſt in Sacramento ſimplicis Baptiſmi,
„ ut cum fateamur aliquem baptizatum & adhuc male viventem debere mundari,
„ vetemus tamen ulterius baptizari.

Quarta ratio legitur in ſententia Secundini a Cedias. „ Cum Dominus noſter dicat:
„ Qui non eſt mecum, adverſus me eſt; & Joannes Apoſtolus hos qui ab Eccleſia
„ exierunt, Antichriſtos dicat; indubitanter hoſtes Chriſti, quique Antichriſti nomi-
„ nati ſunt, gratiam Baptiſmi ſalutaris miniſtrare non poſſunt.

Reſpondet Sanctus Auguſtinus capite 18. libri 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas:
„ Chriſti adverſarios omnes eſſe, quibus dicentibus: Domine in nomine tuo virtutes
„ multas fecimus, &c. dicturus eſt: Non novi vos, diſcedite a me omnes operarii ini-
„ quitatis. Si ergo propterea baptizandi ſunt ad Eccleſiam venientes Hæretici, ut ab
„ amicis Dei baptizentur: numquid illi avari, raptores, homicidæ, amici Dei ſunt?
„ Aut quos baptizaverint, denuo baptizandi ſunt?

Quintam rationem proponit Succeſſus ab Abbir Germaniciana. „ Hæreticis aut ni-
„ hil licet, aut totum licet. Si baptizare poſſunt, & Spiritum Sanctum dare poſſunt:
„ Si autem Spiritum Sanctum dare non poſsunt, quia non habent Spiritum Sanctum
„ datum, nec baptizare ſpiritualiter poſſunt.

Reſpondet S. Auguſtinus c. 23. retorquendo argumentum: „ Homicidis aut nihil
licet, aut totum licet. „ Si poſſunt baptizare, poſſunt & Spiritum Sanctum dare. Si
„ autem Spiritum dare non poſſunt, quia non habent Spiritum Sanctum, nec bapti-
„ zare ſpiritualiter poſſunt . . . At hoc non eſt verum. Qui enim odit fratrem ſuum,
„ homicida eſt. Et tales noverat intus Cyprianus, qui utique baptizabant. Fruſtra er-
„ go talia de baptizandis Hæreticis dicta ſunt.

Sextam rationem profert Secundinus a Carpis. „ Hæretici Chriſtiani ſunt, an non?
„ Si Chriſtiani ſunt, cur in Eccleſia Dei non ſunt? Si Chriſtiani non ſunt, quomodo
„ Chriſtianos faciunt? Aut quo pertinebit ſermo Domini dicentis: Qui non eſt me-
„ cum, adverſus me eſt; & qui mecum non colligit, ſpargit?

Reſpondet S. Auguſtinus capite 31. retorquendo ſimiliter argumentum: „ Iniqui
„ Chriſtiani ſunt, an non? Si Chriſtiani ſunt, cur in illa petra non ſunt, in qua ædi-
„ ficatur Eccleſia? Audiunt enim verba Chriſti, & non faciunt: Si Chriſtiani non ſunt,
„ fiant. Aut quo pertinebit ſermo Domini dicentis: Qui non eſt mecum, adverſus
„ me eſt? *&c.* Spargunt enim oves ejus, qui eas ad morum ſuorum labem prava imi-
„ tatione perducunt. Unde conſtat ſuper filios alienos, qui omnes iniqui appellantur,
„ & ſoboles Antichriſti, Spiritum Sanctum per manus impoſitionem tantummodo non
„ poſſe deſcendere, ſi cordis non adſit vera converſio; cum manifeſtum ſit iniquos, quam-
„ diu iniqui ſunt, Baptiſma eidem poſſe habere, ſed ſalutem, cujus Sacramentum
„ Baptiſma eſt, habere non poſſe.

Septimam rationem adducit Quietus a Baruch. „ Scriptum eſt, *inquit*, apud Salo-
„ monem: Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lava-
„ tio ejus? Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loqui-
„ tur.

Respondet S. Augustinus *c.* 34. „ Quid sit a mortuo baptizari, sine præjudicio dili-
„ gentioris *ejusdem* Scripturæ considerationis alibi jam diximus. Quæro autem cur
„ hæreticos solos velint intelligi mortuos, cum Paulus Apostolus generaliter de pec-
„ cato dixerit, stipendium peccati mors? Et cum mortuam dicat viduam quæ in de-
„ liciis vivit, quomodo non sunt mortui, qui sæculo, verbis, & non factis renun-
„ tiant? Quid ergo proficit lavatio ejus qui ab istis baptizatur, nisi quia & ipse, si
„ talis est, lavacrum habet, sed non ei proficit ad salutem? Si autem ille a quo ba-
„ ptizatur, talis est, iste vero non falso corde ad Deum convertitur, non ab illo mor-
„ tuo baptizatur, sed ab illo vivo, de quo dictum est: Ipse est qui baptizat, quoli-
„ bet corporaliter hoc operante baptizetur.

Octava ratio est Felicis ab Amaccurra. „ Si secundum cautum Christi, *inquit*, pri-
„ vatus fons noster est; qui alieni sunt, nobiscum esse non possunt. Nec duobus po-
„ pulis salutarem aquam tribuere potest ille, qui unius gregis Pastor est.

Respondet S. Augustinus cap. 40. lib. 6. „ Scripturas divinas nusquam præcepisse ut
„ hæretici apud hæreticos baptizati denuo baptizentur; sed multis locis ostendisse,
„ alienos esse ab Ecclesia omnes qui non sunt in petra, nec ad Columbæ illius mem-
„ bra pertinent, & tamen baptizare, & baptizari, & habere sine salute Sacramentum
„ salutis. Fons autem noster, qui similis est fonti Paradisi, quod etiam sicut ille
„ extra Sacramentum profluat, jam satis dictum est. Et quod duobus populis, id est,
„ suo, & extraneo, salutarem aquam tribuere non potest ille qui unius gregis Pa-
„ stor est, concedo, atque consentio. Sed numquid quia salutaris non est extraneis,
„ ideo ipse non est? Aqua enim diluvii constitutis intra Arcam salutaris fuit. Et mul-
„ ti extranei, id est, invidi, quos ex parte diaboli esse Cyprianus dicit, & de Scriptu-
„ ris ostendit, velut intus videntur, & tamen nisi essent extra Arcam, non morerен-
„ tur per aquam. Talis enim Baptismus, cum eo male utuntur, necat, sicut illis de
„ quibus ait Apostolus, Bonus odor Christi erat in mortem. Cur ergo non suscipiunt
„ aliquid cœleste Schismatici, vel hæretici, sicut spinæ sive Zizania pluviam, sicut
„ ipsi qui extra Arcam fuerunt, aquam de cararactis cœli venientem susceperunt qui-
„ dem ad pernicem, non ad salutem?

Nona ratio est Januarii Muzulensis. „ Ecclesia & hæresis duæ & diversæ res sunt.
„ Si hæretici Baptisma habent, nos non habemus: si autem nos habemus, hæretici
„ habere non possunt.

Respondet S. Augustinus, *c.* 31. retorquendo argumentum: „ Justitia & iniquita
„ duæ & diversæ res sunt; si iniqui habent Baptisma, justi non habent: si autem
„ justi habent, iniqui habere non possunt, *&c.* Hoc autem falsum est. Et illi quip-
„ pe invidi, qui sunt ex parte diaboli intus positi, Baptismum habebant, nec ad mem-
„ bra illius Columbæ, quæ in petra tuta est, pertinebant.

Decima ratio est Luciani a Rucuma. „ Scriptum est: Divisit Deus inter lucem &
„ tenebras. Si potest luci & tenebris convenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse
„ commune: propterea censeo Hæreticos baptizandos esse.

Respondet S. Augustinus *lib.* 7. de Baptismo contra Donatistas, retorquendo pari-
ter argumentum: „ Si potest luci & tenebris convenire, potest justis & injustis aliquid
„ esse commune. Censeat ergo illos injustos denuo baptizari, quos in ipsa Ecclesia ar-
„ guebat Cyprianus: aut si non sunt injusti, qui sæculo, verbis, & non factis renun-
„ tiant, dicat qui potest.

Undecima ratio est Pelagii a Luperciana. „ Scriptum est (*inquit*) Aut Dominus
„ Deus est, aut Baal Deus est. Ita & nunc, aut Ecclesia Ecclesia est, aut hæresis
„ ma Ecclesiæ potest?

Respondet S. Augustinus *lib.* 7. *cap.* 8. retorquendo argumentum, & proferendo in-
„ stantiam: „ Aut Paradisus Paradisus, aut Ægyptus Paradisus. Porro si Ægyptus Pa-
„ radisus non est, quomodo esse in Ægyto aqua Paradisi potest? Sed dicetur nobis, Et-
„ iam illuc exeundo pervenit. Sic ergo ad hæreticos Baptismus. Item dicimus, aut
„ petra Ecclesia est, aut arena Ecclesia. Porro quia non est arena Ecclesia, quomodo

„ apud

„ apud eos qui ſuper arenam ædificant, audiendo verba Chriſti, & non faciendo, eſſe
„ Baptiſmus Eccleſiæ poteſt? & tamen eſt, ſic ergo & apud hæreticos.
Duodecima ratio eſt Venantii a Thimiſa, quæ ab exemplo ducta eſt. „ Si mari-
„ tus, *inquit*, peregre proficiſcens, amico ſuo commendaſſet uxorem ſuam cuſtodien-
„ dam, commendatam ſibi ille, quanta poſſet diligentia conſervaret, ne ab aliquo ca-
„ ſtitas ejus & ſanctitas adulteraretur. Chriſtus Dominus & Deus noſter ad Patrem
„ proficiſcens, ſponſam ſuam nobis commendavit: utrumne eam incorruptam & invio-
„ latam cuſtodiemus, an integritatem ejus & caſtitatem mœchis & corruptoribus pro-
„ demus? Qui enim Baptiſma Eccleſiæ commune cum hæreticis facit, ſponſam Chri-
„ ſti adulteris prodit.
Reſpondet S. Auguſtinus *lib.* 7. *c.* 13. „ Quid illi, qui cum baptizantur, labiis, non
„ corde convertuntur ad Dominum? Nonne adulterinam mentem gerunt? Nonne ipſi
„ ſunt ſæculi dilectores, cui non factis, ſed verbis renuntiaverunt, & ideo corrum-
„ punt bonos mores per colloquia mala? Nonne etiam contra iſtos vigilavit ſermo
„ Apoſtolicus, ubi dicit: Timeo autem ne ſicut Serpens Evam ſeduxit aſtutia ſua,
„ ſic & veſtræ mentes corrumpantur a caſtitate quæ in Chriſto eſt? Cum ergo Chri-
„ Baptiſma Cyprianus habebat commune cum talibus, numquid ideo ſponſam Chriſti
„ prodebat adulteris? An non potius monile Sponſi etiam in adultera cognoſcebat?
Decima tertia ratio. „ Ille poteſt dare aliquid, qui aliquid habet: Hæretici autem
„ quid poſſunt dare, quos conſtat nihil habere?
Reſpondet S. Auguſtinus *c.* 29. *lib.* 7. „ Si ergo poteſt dare aliquid, qui aliquid
„ habet, manifeſtum eſt poſſe dare Hæreticos Baptiſmum, quia cum ab Eccleſia re-
„ cedunt, habent lavacri Sacramentum quod ibi acceperant. Nam redeuntes non re-
„ cipiunt, quia non amiſerant, cum receſſerunt.
Decimaquarta ratio eſt Aurelii a Chululabi. „ Joannes Apoſtolus in Epiſtola ſua po-
„ ſuit dicens: Si quis ad vos venit, & doctrinam Chriſti non habet, nolite eum ad-
„ mittere in domum veſtram, & Ave ne illi dixeritis. Qui enim illi dixerit, Ave,
„ communicat factis ejus malis. Quomodo admitti tales in domum Dei poſſunt, qui
„ in Domum noſtram privatam admitti prohibentur? Aut quomodo cum eis ſine Ec-
„ cleſiæ Baptiſmo communicare poſſumus, quibus ſi Ave tantum dixerimus, factis
„ eorum malis communicamus?
Reſpondet S. Auguſtinus l. 7. c. 45. „ De hoc teſtimonio Joannis non eſt diutius
„ diſſerendum, quandoquidem ad quæſtionem Baptiſmi, quam modo tractamus omni-
„ no non pertinet. Ait enim: Si quis ad vos venerit, & doctrinam Chriſti non ha-
„ bet. Hæretici autem relinquentes doctrinam erroris ſui, ad Chriſti doctrinam con-
„ vertuntur, ut incorporentur Eccleſiæ & ad illam Columbam incipiant pertinere, cu-
„ jus Sacramentum habebant: & ideo quod ejus non habebant, eis datur, id eſt, pax
„ & charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quod autem ejus
„ habebant, agnoſcitur, & ſine ulla contumelia ſuſcipitur: ſicut in adultera Deus
„ agnoſcit dona ſua, etiam cum illa ſequitur amatores ſuos, quia fornicatione corru-
„ pta, cum ad caſtitatem convertitur, non dona illa culpantur, ſed ipſa emendatur.
„ Sicut ſe autem poſſet defendere Cyprianus, ſi hoc ei Joannis teſtimonium objicere-
„ tur, quando talibus communicabat; ita ſe defendant, contra quos dicitur. Nam ad
„ iſtam quæſtionem, ut dixi, omnino non pertinet. Joannes enim dicit, alienæ do-
„ ctrinæ hominibus, Ave non eſſe dicendum; Paulus autem vehementius dicit: Si quis
„ frater nominatur inter vos, aut avarus, aut ebrioſus, *&c.* cum ejuſmodi nec cibum
„ quidem ſimul ſumere: & tamen cum Collegis fœneratoribus, inſidioſis, fraudatori-
„ bus, raptoribus, non privatam menſam, ſed Dei altare habebat commune Cyprianus.
Hæ ſunt S. Cypriani, & Africanorum Antiſtitum rationes: hæ reſponſiones S. Au-
guſtini, qui falſum, quo illa omnia nitebantur argumenta, fundamentum his verbis de-
tegit lib. 6. contra Donatiſtas, c. 1. „ Nec ob aliud illis temporibus, quando illa quæ-
„ ſtio contra veterem conſuetudinem diſputationibus, ſalva charitate atque unitate, al-
„ tercantibus diſcutiebatur, viſum eſt quibuſdam, etiam egregiis viris, Antiſtitibus Chri-
„ ſti, inter quos præcipue Beatus Cyprianus eminebat, non eſſe poſſe apud Hæreticos
„ vel

„ vel Schiſmaticos Baptiſmum Chriſti, niſi quia non diſtinguebatur Sacramentum ab
„ effectu, vel uſu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque uſus in liberatione a pec-
„ catis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur; ipſum quoque Sacra-
„ mentum non illic eſſe putabatur.

S. Athanaſii locus explicatur.

„ Objectio ſexta nititur auctoritate S. Athanaſii Oratione 3. contra Arianos ita ſcri-
„ bentis: „ Ariani autem in periculum veniunt, ne amittant integritatem Myſterii;
„ loquor autem de Baptiſmate. Si enim in nomine Patris, & Filii, datur perfectio,
„ plenaque initiatio; Patrem autem verum illi non pronuntiant, eo quod negent ali-
„ quid ex ipſo exiſtere, & ſimile eſſe illius ſubſtantiæ, negant quoque verum Fi-
„ lium, aliumque ex non entibus conditum ſibi comminiſcentes, in Baptiſmate profe-
„ runt. Qui, quæſo, non plane vanum, ac inutile fuerit Baptiſma, quod ab illis da-
„ tur, cum id nonniſi ſpecies ſit ac inane ſimulacrum, ipſique ea re nihil ſolidæ opis
„ afferunt ad pietatem? Non enim in Patre & Filio tribuunt Baptiſma Ariani; ſed
„ in Creatore & creatura, in Factore, & factura. Sicut igitur creatura diverſum quid-
„ dam eſt a Filio, ita diverſum quid a vero Baptiſmate eſt, quod ab illis exiſtimatur
„ dari, tametſi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, ſimulent ſe no-
„ minare. Non enim qui ſimpliciter ait, Domine, is eſt qui donat legitimum Baptiſ-
„ mum, ſed qui nomen exprimit, & fidem certam habet. Ideoque Salvator non quo-
„ vis modo baptizandum præcepit: ſed primum dixit, Docete, ac deinde, Baptizate
„ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ex doctrina recta fides oriretur,
„ & cum fide Baptiſmatis, integra initiatio perficeretur. Certe aliæ etiam hæreſes,
„ eæque numero non exiguæ nomine tenus ritum iſtum pronuntiant; ſed non recta
„ ſentientes, ut dictum eſt, neque ſanam fidem retinentes, inutilem poſſident aquam,
„ quam impertiunt, nimirum nomine & religione deſtitutam; adeoque ut qui ab illis
„ aſperguntur, ſordeſcant potius prava religione, quam redimantur. Igitur Baptiſmus
„ ab Hæreticis collatus, irritus eſt.

Reſpondeo, S. Athanaſium eo loci Baptiſma quidem Hæreticorum nullum aſſerere, quoad effectum gratiæ, in adultis, qui ipſorum hæreſi communicant; non vero quoad characterem; ſeu illegitimum quidem exiſtimare baptiſma iſtud, non autem invalidum, ac proinde iterandum. Id indicant hæc Athanaſii verba: *Plane vanum ac inutile baptiſma ... Nihil ſolidæ opis afferunt ad pietatem .... Inutilem poſſident aquam*, &c. Hunc porro S. Athanaſii ſenſum illa etiam verba demonſtrant: *Ariani in periculum veniunt ne amittant integritatem Myſterii*. Nam ſi invalidum irritumque cenſuiſſet Baptiſma collatum ab Arianis, abſolute dixiſſet, *Ariani amiſerunt integritatem Myſterii*. Dixit autem illos in periculum venire ne Baptiſmi integritatem violarent, quia cum de Filio Dei male ſentirent, eumque redigerent in ordinem creaturarum, facillimum erat, ut ipſi ſuum in formam Baptiſmi transfunderent errorem, eumque conferrent, in nomine Patris majoris & Filii minoris, vel Patris creantis, & Filii creati, quo caſu, nedum illegitimum, ſed etiam invalidum Baptiſma extitiſſet.

Contra. Baptiſma, quod tam diverſum eſt a vero Baptiſmate, quam creatura diverſa eſt a Filio, penitus invalidum eſt. Sed ex S. Athanaſio Baptiſma collatum ab Arianis tam diverſum eſt a vero Baptiſmate, quam creatura diverſa eſt a Filio: invalidum igitur eſt.

Reſpondeo, diſtinguo majorem: Si tam diverſum ſit quoad omnia, concedo; quoad aliqua dumtaxat, nego. Diſtinguo etiam minorem: Tam diverſum eſt a vero Baptiſmate, quoad effectum & uſum Sacramenti, concedo; quoad ſubſtantiam ſacramenti, nego.

Reſpondetur teſtimonio S. Cyrilli Hieroſolymit.

Objicitur ſeptimo auctoritas S. Cyrilli Hieroſolymitani in Præfatione Catecheſeon dicentis: *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti, ut ſi forte ſemel fueris eo fruſtratus, deinceps corrigas: ſi enim ſemel illo fruſtraberis, amplius id correctionem non patitur: unus enim Dominus, & una Fides, & unum Baptiſma. Nam ſoli hæretici rebaptizantur: ſiquidem prius illud non erat Baptiſma.* Quibus verbis hac in materia nihil deſiderari poteſt luculentius.

Reſpondeo, S. Cyrillum aſſerere, quod ſoli Hæretici rebaptizantur, non quidem

omnes,

omnes, ſed aliqui, nimirum qui Baptiſma verbis Evangelicis non conferebant, ut Paulianiſtæ. Vel, ſi de omnibus hæreticis id intelligendum cenſeas, reſpondeo, tunc in aliquibus Eccleſiis Orientalibus nondum antiquatum fuiſſe morem hæreticos rebaptizandi, & in Cappadocia, necnon Hieroſolymis viguiſſe; quia nondum a Nicæna Synodo per conſequentiam definitum intelligebant, ut omnium Hæreticorum ratus haberetur Baptiſmus. Unde, quoad iſtas Eccleſias, illa controverſia nondum eliquata erat Plenarii Concilii auctoritate: quam tamen in Plenario totius orbis Concilio finitam ac diremptam cum poſtea cognoviſſent, priſtinam de rebaptizandis Hæreticis conſuetudinem depoſuerunt.

Objectionem octavam ſuppeditat Sanctus Baſilius Magnus Epiſtola prima Canonica ad Amphilochium Canone 1. & Epiſtola 2. Canone 47. ubi diſerte reprobat Hæreticorum Baptiſma, & ab ipſis baptizatos rebaptizandos eſſe decernit. Priori in loco ait primo, varias fuiſſe in Orientalibus Eccleſiis de Baptiſmate Hæreticorum ſententias. *Quæ itaque*, inquit, *ad Catharos pertinent quæſtiones, & prius dictæ ſunt, & recte admonuiſti, quod oportet uniuſcujuſque regionis morem ſequi, quod variæ fuerint de ipſorum Baptiſmate diſſenſiones, eorum qui tunc de iſtis diſſeruerunt. Pepuzenorum autem Baptiſmus nullam mihi habere rationem videtur: & miratus ſum quomodo hoc Magnum Dionyſium, qui fuit Canonum peritus, præteriit.* *Sententiæ S. Baſilii de Baptiſmo Hæreticorum.*

Poſtquam autem Pepuzenorum Baptiſmum rejiciendum eſſe dixit, Veterum ea de controverſia ſententiam ſubjicit. *Antiqui enim*, inquit, *illum Baptiſmum ſuſcipiendum putarunt, qui nihil a fide recedit*. Id ut probet, diſtinctionem exponit ab Antiquis factam inter hæreſes, ſchiſmata, & illegitimos Conventus. „ Unde alia quidem, „ *inquit*, hæreſes nominaverunt, alia vero ſchiſmata, alia rurſus illegitimos Conventus. Hæreſes quidem, eos qui omnino abrupti ſunt, & in ipſa fide ſunt abalienati: Schiſmata autem, eos qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles „ quæſtiones inter ſe diſſident: illegitimos autem Conventus, Congregationes, quæ „ fiunt a rebellibus Presbyteris, vel Epiſcopis, & ab immorigeris populis: Ut ſi quis „ peccaviſſe convictus, ſit a ſacrorum Miniſterio prohibitus „ & is Canonibus ſe non „ ſubmiſit, ſed ſibi Præſulatum & ſacrum Miniſterium attribuit, & quidam una cum „ eo receſſerunt, relicta Eccleſia Catholica, id illegitimus Conventus eſt. Schiſma autem eſt „ tem eſt de Pœnitentia diſſentire ab iis qui ſunt ex Eccleſia. Hæreſis autem eſt, „ ut Manichæorum, & Valentinianorum, & Marcioniſtarum, & horum ipſorum Pe- „ puzenorum. Statim enim de ipſa in Deum fide eſt diſſenſio.

Hac diſtinctione poſita, velut principio, Veterum ſententias circa Baptiſmum, ab Hæreticis, a Schiſmaticis, & a ſeditioſis Catholicæ Eccleſiæ alumnis collatum, exponit. *Viſum eſt ergo antiquis*, inquit, *Hæreticos quidem omnino rejicere: qui ſe autem abſciderunt, qui Schiſmatici dicuntur, ut qui adhuc ſint Eccleſiæ, admittere: eos autem qui ſunt in Paraſynagogis, & illegitimis Conventibus, convenienti pœnitentia & converſione correctos, rurſus Eccleſiæ conjungere: Ut ſæpe ii qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, poſtquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittantur.*

Jam quid de Pepuzenorum, Novatianorum, & Encratitarum Baptiſmo ſentiendum ſit, ſigillatim ſuſcipit exponendum. *Pepuzeni ergo*, inquit, *ſunt aperte hæretici. In Sanctum enim Spiritum blaſphemaverunt, Montano & Priſcillæ Paracleti appellationem nefarie & impudenter attribuentes. Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptiſma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priſcillamve baptizant? Non enim ſunt baptizati, qui non in ea quæ nobis tradita, baptizati ſunt. Quare etiamſi hoc Magnum Dionyſium latuit, nobis tamen non eſt ſervanda erroris imitatio. Ipſa enim abſurditas eſt omnibus aperta & evidens, qui modo rationis, vel parva ex parte, ſunt participes.*

De Novatianorum autem Baptiſmate S. Cypriani & Firmiliani ſententiam primum refert his verbis: *Verum enimvero Antiquis viſum eſt, Cypriano duce, & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere, Catharos & Encratitas, & Hydroparaſtatas, & Apotactitas, quoniam ſeparationis quidem principium per ſchiſma; qui autem ſe ab Eccleſia abjunxerunt, non habent amplius in ſe gratiam Spiritus. Defecit enim tradi-*

tio, quod discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, Ordinationem a Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus Sancti gratiam aliis quoque præbere, a qua ipsi exciderunt. Quare eos qui ab ipsis baptizati erant, tamquam a Laicis baptizatos, jusserunt, ad Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ Baptismo expurgari.

Veterum opinione recensita, censet, non esse sequendam, secundum præsentem Ecclesiæ Orientalis Disciplinam, quia in Concilio Asiatico sancitum est, Novatianorum Baptisma œconomiæ alicujus gratia suscipiendum esse. *Sed quoniam*, inquit, *nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.*

De Baptismate denique ab Encratitis collato, sub timide pronuntiat, illud improbandum esse, nisi forsan universali œconomiæ obesset ista severitas, tunc enim consuetudini morem esse gerendum. Cur autem illorum Hæreticorum, sive potius Schismaticorum (juxta distinctionem ex S. Basilio præmissam) abrogandus sit Baptismus, cum tamen Schismatici tunc temporis non rebaptizarentur, causam hanc Sanctus Basilius assignat, quod interdum, ritu ab Ecclesia alieno, baptizarent. Quod tamen non sic intelligendum puto, quasi Baptismi formam violaverint, quia S. Basilius eorum Baptisma, hac in hypothesi, œconomice recipiendum esse non decrevisset. *Encratitarum autem facinus*, inquit, *oportet nos intelligere, quod ut eos reddant non suscipiendos ab Ecclesia, aggressi sunt deinceps proprio Baptismate præoccupare, unde suam quoque consuetudinem deleverunt. Existimo ergo quod quoniam nihil est de his aperte dictum, oportet nos eorum Baptismum abrogare: & si quis ab eis acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui, quæ ad nos pertinent, providerunt. Vereor enim ne, ut eos volumus circa Baptismum tardos facere, eos qui servantur, impediamus, propter severitatem mandati.*

Epistola vero secunda, Canone 47. decernit Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum Baptisma prorsus irritum esse. *Encratitæ*, inquit, *& Saccophori & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani; quia de illis editus est Canon, etsi diversus; quæ autem ad eos pertinent, silentio prætermissa sunt: nos autem, una eademque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & Romanis, alicujus œconomiæ gratia; nostra tamen ratio vires obtineat, quia cum veluti Marcionistarum germen sit eorum hæresis, nuptias abhorrentium & aversantium vinum, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim, In Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis & reliquarum hæresum. Quamobrem, si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de fide dignus habeatur.* Ex his porro omnibus evidens est Sanctum Basilium Hæreticorum omnium Baptisma irritum existimasse. Ergo Hæreticorum Baptisma nullum est.

Responsio P. Nicolai refellitur.

Respondent quidam, S. Basilium de quibusvis Hæreticis non loqui, sed de illis dumtaxat, qui circa fidem Trinitatis, adeoque circa Baptismi formam errabant, quamvis eam integre proferrent. Nondum enim ex Ecclesiæ Decretis exploratum erat, an illorum etiam Baptisma suscipiendum esset. Hujus nempe quæstionis ambiguitas Orientales adduxerat, ut posteriores illius ordinis Hæreticos rebaptizarent. Quamobrem Saccophoros, Encratitas, & Apotactitas novo Baptismo initiabant, quia Marcionitarum germen erat eorum hæresis, ut ait S. Basilius. Unde in priori Epistola in exemplum rebaptizandorum Pepuzianos affert, qui in Spiritum Sanctum blasphemarunt, Montano & Priscillæ Paracleti appellationem impudenter ac nefarie tribuentes. Unde inquiunt illi Auctores, Sanctus Basilius illos Hæreticos verum Baptisma non habere ideo sensit, quia infideles prorsus illos putabat; nec erat adhuc ab Ecclesia definitum, utrum infideles, & qui verum Baptisma non habebant, conferre illud possent. Unde ad

hoc

hoc decernendum, Episcopos congregari Sanctus Basilius cupiebat. Nec mirum, cum nec Sanctus Augustinus Basilio longe posterior, id affirmare ausus fuerit, sine Concilii auctoritate, ut constat ex illius libro 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53. Verum quamvis hæc solutio viris eruditis placuerit; ipsam tamen inanem esse existimo. Nam Sanctus Basilius Hæreticos definivit, *Qui omnino abrupti sunt & in ipsa fide sunt abalienati*. Illa autem definitio non iis tantum convenit, quorum error circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium versatur, sed etiam qui circa fidem errant alio quovis modo. Unde Sanctus ipse Basilius Pepuzenos in Hæreticorum ordine recenset, quia fidem, qua in Deum credere debemus, violabant. *Statim enim*, inquit, *de ipsa in Deum fide est dissensio*. Nec tamen Pepuzeni, qui Montanistarum species erant, ulla circa Sanctissimæ Trinitatis fidem errore tenebantur, ut in Historia sæculi secundi Dissertatione singulari probavimus. Accedit, quod S. Basilius Apollinarium alibi hæreticum vocat, cujus tamen error non circa Trinitatis, sed circa Incarnationis Mysterium versabatur. Hæreticorum igitur nomine, quorum Baptismum rejiciendum esse scripsit, non eos duntaxat intellexit Hæreticos, qui circa fidem Trinitatis errabant. Adde, quod si Sanctus Basilius Hæreticorum appellatione eos tantum complexus esset, qui in fide Trinitatis errabant, vel alios Hæreticos omnino prætermisisset, quod incredibile est; tum quia mutila fuisset ipsius divisio, tum quia de omnium Baptismate fuerat excitata in Orientis Ecclesiis controversia: vel sub altero divisionis membro illos involvisset, nimirum sub Schismaticis. Hoc autem verisimile nullatenus est. Definit enim S. Basilius Schismaticos: *Qui propter aliquas Ecclesiasticas causas & medicabiles quæstiones, inter se dissident*. Nemo autem dixerit, hæreses quæ Mysterium Trinitatis non impugnant, sed veritatem verbi gratia humanitatis Christi, spectare causas Ecclesiasticas, & medicabiles quæstiones. Necesse igitur est ut S. Basilius priori suæ divisionis membro quoscumque Hæreticos fuerit complexus, & omnium Baptisma æque irritum senserit.

Tertio. Encratitæ & Hydroparastatæ, & Apotactitæ, quos S. Basilius inter Hæreticos recenset, quorumque Baptisma rejicit, fidem Sacrosanctæ Trinitatis non violabant. Illis enim solum tribuit quod Deum effectorem dicerent malorum. At potest hic error cum recta de Trinitatis Mysterio sententia cohærere. Unde etsi Calvino tribuant Polemicæ Theologiæ Auctores, quod Deum senserit mali Auctorem: nemo tamen ipsi errorem contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis affinxit. Denique commentum est, quod S. Basilius Pepuzenos, Encratitas, Arianos, Macedonianos, Apollinaristas in Ethnicorum ordinem redegerit, ac propter eam causam duntaxat eorum Baptisma improbaverit, quod incertum esset an Baptisma collatum a Pagano, & ab eo qui Baptismate initiatus non fuerat, validus esset. Cum itaque illa responsio, tota quanta est, merum sit effugium;

Respondeo, S. Basilium, & ejus Ecclesiam, tunc adhuc fuisse in errore Firmiliani, quem a Nicæna Synodo per consequentiam damnatum nondum intelligebant. Unde hac in causa deferendus est. Ecclesiæ enim judicium quorumdam Patrum testimoniis anteponendum est. Patribus autem *credendum est hac lege, ut quidquid, vel omnes, vel plures uno eodemque consensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint; id pro indubitato, certo, ratoque habeatur: quidquid vero, quamvis ille sanctus ac doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas, a communis & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit.*

Objectio nona petitur ex Optato Milevitano lib. 1. contra Parmenianum, p. 38. ubi fatetur Hæreticos verum Baptisma non habere, sed Schismaticos communia cum Catholicis habere Sacramenta contendit. Unde sic Parmenianum alloquitur: „ Bene, „ *inquit*, clausisti hortum hæreticis, bene revocasti claves ad Petrum, bene abstulisti „ colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo & Paradiso Dei „ constat alienos. Bene subduxisti annulum iis quibus aperire non licet ad fontem. Vo„ bis vero Schismaticis, quamvis in Catholica non sitis, hæc negari non possunt, quia „ nobi-

S. Optatus Milevitanus Baptismum omnium hæreticorum non improbat.

„ nobiſcum vera & communia Sacramenta traxiſtis. Quare cum hæc omnia Hæreticis „ bene negentur: quid tibi viſum eſt, hæc & vobis negare voluiſſe, quos Schiſma„ ticos eſſe manifeſtum eſt? Vos enim foras exiſtis, quantum in vobis eſt. Volebam ut„ ſoli damnarentur hæretici, quantum in te eſt, & jam vos ipſos cum eis una ſen„ tentia ferire voluiſti.„ Hæreticorum igitur Baptiſma irritum exiſtimavit S. Optatus Milevitanus.

Reſpondeo, Sanctum Optatum omnium Hæreticorum Baptiſma non improbare, ſed eorum dumtaxat, qui Baptiſmum verbis Evangelicis non conferunt, & habent varia & falſa Baptiſmata: quod Schiſmaticis non convenit, qui formam ac ritum baptizandi ſervant, quem ab Eccleſia didicerunt. Hic Optati ſenſus ex verbis antecedentibus colligitur. *Satis te miror*, inquit, *frater Parmeniane; cum Schiſmaticus ſis, Schiſmaticos Hæreticis adjungere voluiſſe: aut ſi ſic tibi videtur, & ita placet, contra illa quæ a te paulo ante ſunt dicta; dixiſti enim fieri non poſſe, ut in falſo Baptiſmate inquinatus abluat, immundus emundet, ſupplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus abſolvat. Bene hæc omnia poterunt ad ſolos Hæreticos pertinere, quia falſa verunt Symbolum, dum alter dixerit duos Deos, cum Deus unus ſit: alter Patrem vule in perſona Filii cognoſci: alter carnem ſubducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus eſt mundus; & cæteri hujuſmodi, qui a Sacramentis Catholicis alieni eſſe noſcuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiam Schiſmaticos adjunxiſſe. In te enim converti ſti ſententiæ gladium, dum æſtimas quia alteros appetebas. Et non attendiſti inter Schiſmaticos & Hæreticos quam ſit magna diſtantia. Inde eſt quod ignoras, & quæ ſit ſancta Eccleſia, & ſic omnia miſcuiſti. Catholicam facit ſimplex & verus intellectus, intelligere ſingulare ac veriſſimum Sacramentum, & unitas animorum; Schiſma vero „ ſponſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, ut deſerta Matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & ſe ſeparant „ ut feciſtis, a radice matris Eccleſiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles aſcendant. Nec poſſunt novum aliquid aut aliud agere, niſi quod jamdudum apud ſuam didicerunt matrem. Hæretici vero veritatis exules, ſani & veriſſimi Symboli deſertores, de ſinu Eccleſiæ ſanctæ impiis ſenſibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de ſe naſci voluerunt. Et qui jamdudum vitalibus paſti fuerant cibis, corruptela malæ digeſtionis, in pernicie miſerorum, diſputationibus impiis venena mortifera evomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, Hæreticos a domo veritatis extorres, ſolos habere varia & falſa Baptiſmata: quibus inquinatus non poſſet abluere, immundus emundare, ſupplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus abſolvere.*

Contra. Ex eodem Optato lib. 5. p. 89. Fides Miniſtri æque neceſſaria eſt ut ſit ratum Baptiſma, ac invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis: ſed invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis ita neceſſaria eſt, ut abſque illa Baptiſma ſit irritum: ergo & Miniſtri fides.

Probatur major ipſis Optati verbis. *In hoc*, inquit, *Sacramento Baptiſmatis celebrando, tres eſſe ſpecies conſtat, quas & vos nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima ſpecies eſt in Trinitate, ſecunda in credente, tertia in operante. Sed non pari libramine ponderandæ ſunt ſingulæ. Duas enim video neceſſarias, & unam quaſi neceſſariam. Principalem locum Trinitas poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri; hanc ſequitur fides credentis. Jam perſona operantis vicina eſt, quæ ſimili auctoritate eſſe non poteſt. Trinitas enim ſemper ipſa eſt: fides in ſingulis una eſt: vim ſuam ſemper retinent ambæ. Perſona vero operantis intelligitur duabus prioribus ſpecibus par eſſe non poſſe, ideo quod ſola eſſe videatur mutabilis. Inter nos & vos vultis ejuſdem perſonæ eſſe diſtantiam; & ſanctiores vos æſtimantes, ſuperbiam veſtram non dubitatis anteponere Trinitati: cum perſona operantis mutari poſſit, Trinitas mutari non poſſit.*

Reſpondeo, nego majorem. Ad ejus probationem reſpondeo, Sanctum Optatum hoc in loco poſtulare fidem ſuſcipientis, qui adultus eſt, ut Baptiſma ſit ratum, non vero fidem Miniſtri. Cum enim perſonam operantis, id eſt, conferentis Baptiſma, diſtinguat a perſona credentis, evidens eſt ipſum non exigere fidem, ut abſolute neceſſariam in Miniſtro Sacramenti, ſed ſolum in ſuſcipiente Sacramentum; fidem, inquam, ſi

non

non omnium Articulorum, Symboli saltem Dei, Christi, & ipsius, quod suscipit, Baptismatis. *Ab hæreticorum*, inquit, *erroribus, & ab eorum varia fide fides unica separatur. Et jam vobis præscribitur, qui post semel, iterum facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in Sacramentis. Cum hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem. Quocumque enim interrogante, qui credidit, Deo credidit: & post illius unum credo, tu exigis alterum credo.*

Et infra: *Operarii mutari possunt, Sacramenta mutari non possunt*. Cum ergo videatis, omnes qui baptizant operarios esse, non dominos, & Sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis? Quid est quod apud vos solos munus principale esse dicitis? Quid est quod Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo præstare quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari quod divinum est. Si sic putatis, & Prophetarum voces, & Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur quia Deus lavat, non homo; Adest contra vos David Propheta, qui ait in Psalmo 50. Lavabis me, & super nivem dealbabor. Item in eodem Psalmo: Deus, lava me ab injustitia mea, & a delicto meo munda me: Lava me, dixit; non dixit, Elige per quem laver. Et Isaias Propheta sic dixit: Quoniam abluit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion; non dixit, Lavabunt me qui se Sanctos putant. Dignamini ut vel Prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite quia non lavat homo, sed Deus. Quamdiu dicitis, Qui non habet quod det, quomodo dat? Videte Deum esse datorem: videte Deum unumquemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis.

Et infra: *Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis: Qui non habet quod det, quomodo dat? Unde hæc vox est? De qua lectione recitari potest? Vox est de vico, non de libro collecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba scripta in Lege non sunt. Nam si, ut vultis, homo dat, Deus vacat. Et si Deus vacat, & apud vos est omne quod dandum est, ad vos sit conversio; quos baptizatis, in nomine vestro tinganur . . . . Humana sunt opera; sed Dei sunt munera. Jam illud quam ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram semper auditur: Hoc munus Baptismatis, est dantis, non accipientis. Et utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator est! Sed quod stultum est, vos dicitis esse datores. Si ita est, & nos & vos teneamus singulos Gentiles. Vos, qui vos Sanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renuntiet diabolo, & credat Domino: & ille dicat, Nolo: contra nos peccatores, ut vultis interrogemus alterum Gentilem, an renuntiet diabolo & credat Deo, & dicat, Renuntio & credo. Cum vos tingatis nolentem, nos volentem: dicatur quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere. Utique sine dubio ille consequitur qui credit, non ille pro cujus voluntate, ut dicitis, sanctitas vestra succedit.*

Id explicat subinde Optatus exemplis humanarum artium. *Operarios vos vel sero cognoscite* (inquit) *aut si in operario est res ipsa, & non in se, hoc sibi vindicent & aliqui homines in artibus suis, ut quia sic provocatis ad res divinas, etiam artes comparemus humanas. Cum pretiosus inficitur color, natura sæpe convertitur. Dum conlectione vellus candidum purpurascit, sic alba lana regalem transit in purpuram. Quomodo Catechumenus in fidelem? Utique dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat. Lana & colorem mutat, & nomen. Homo & vocabulum mutat, & mentem. Considerata sunt effecta, retractanda sunt efficientia. Diris a te datum esse, quod homo fidelis effectus est. Si hoc totum meum est, dicat & operarius purpuræ, quod pretiosum colorem in manibus suis habeat, non procuret pretiosa pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoveantur in admirabilem dignitatem: non admixto sanguine piscis, purpuram solo tactu conficiat. Igitur ut operarius iste, per tactum solum dare colorem non potest, sic nec operarius Baptismatis, ex se sine Trinitate, dare aliquid potest. Tale est hoc unde modo certamen est. Nam in quo baptizarentur Gentes, a Salvatore mandatum est: per quem baptizentur nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolis: Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Ex quibus omnibus evidentissime colligitur, Optatum Milevitanum fidem aut sanctitatem Ministri

ſtri minime neceſſariam exiſtimaſſe, ut ratum ſit Baptiſma, ſed ratum habuiſſe, cum tota Eccleſia Africana, modo verbis Evangelicis collatum eſſet.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

UTrum S. Cyrillus Hieroſolymitanus recte ſenſerit in dogmate de non iterando Baptiſmate ab Hæreticis quibuſve collato, quamvis affirmat in hac diſſertatione P. Alexander, mihi tamen in ambiguo poſita res eſt; perſpicua enim ſunt ejus verba; *nam ſoli Hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud Baptiſma non erat*. Verum excuſandi S. Cyrilli ratio aliqua iniri poteſt, quam ſuggerit noviſſimus editor Operum illius, D. Antonius Auguſtinus Touttee in diſſertat. 3. cap. 8. inter præmiſſas editioni huic a ſe adornatæ. Totis Cathecheſibus præ oculis ab illo habiti ſunt Manichæi, quorum adeo fœdi erant in conferendo Baptiſmate ritus, ut non immerito reputari poſſent, nihil ſani etiam in forma ejuſdem Baptiſmi ſervaſſe. Cum igitur Hæreticorum nomine in omnibus Cathecheſibus Manichæos intellexerit, hinc derivari poſſe credo verbis etiam illis *Hæretici ſolummodo rebaptizantur*, unicos Manichæos deſignari. Vide eumdem ſcriptorem ibidem, ubi probat Hæreticos alios, qui olim Palæſtinam Eccleſiam turbabant, Cyrilli ætate forte jam deſiiſſe, adeo ut nulli jam niſi Manichæi ſupereſſent. Cæterum etſi admiſerimus Cyrillum olim in ſententiam rebaptizantium abiiſſe, reſipuiſſe tamen conſtat: interfuit enim Concilio Conſtantinop. I. cujus Canon VII. multos ex Hæreticis ſine novo Baptiſmate recipi ſtatuit.

Quod attinet ad S. Baſilium, recentiſſimi operum ejuſdem Sancti Doctoris editores Benedictini concedunt Baſilium in ea eſſe ſententia, ut collatum ab Hæreticis, in fide SS. Trinitatis errantibus Baptiſmum nullum & inanem crederet. Nec ita tamen conceſſiſſe illum in ſententiam Firmiliani, & S. Cypriani arbitrantur. Priſci enim illi Patres nullum omnino Baptiſma recipiebant, quod ab iis, qui extra Eccleſiam eſſent, daretur. Nihili illi faciebant Baptiſma Novatianorum ex. g. nihili Schiſmaticorum. Viciſſim autem S. Baſilius valere agnoſcit, Baptiſmum Schiſmaticorum & Hæreticorum tantummodo rejicit; nam cum illis *de ipſa in Deum fide diſſenſio eſt*, quæ verba ſunt S. Præſulis in epiſt. 1. quæ eſt CLXXXVIII. in nova editione ad Amphylochium. Atque ita forte PP. iſti Orientales, poſt Nicænum Concilium ſcribentes, expedire ſe opinati ſunt a definitione ejuſdem Concilii Can. VIII. quo ſtatuitur, ut Novatiani ad Eccleſiam redeuntes recipiantur, nullo iis de Baptiſmi reiteratione Canone conſtituto. Viciſſim autem in admiſſione Paulinianiſtarum in Canone XIX. ejuſdem Concilii præcipitur *rebaptizari eos omnino debere*. Ex quo fit ut Concilii Nicæni ſanctiones non ita ab Orientalibus acceptæ fuerint, ac ſi perſpicue definierint omnem quemcumque Baptiſmum ab Hæreticis collatum (dummodo in forma verborum nihil ab illis peccatum (ſit ratum, ac firmum manere.

Nec tamen ego facilis admitterem interpretationem P. Alexandri, qui ex verbis Baſilii exculpere ſe poſſe arbitratur omnium omnino Hæreticorum (non vero Schiſmaticorum) Baptiſmum ab illo rejici: nam in Can. I. ejuſdem epiſtolæ admittit ſuſcipi poſſe Baptiſmum Catharorum, Encratitarum, & Hydroparaſtatarum. En ejus verba: *quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt eorum Baptiſma, pluribus conſulendi cauſa ſuſcipiendum eſſe, ſuſcipiatur*. Inſuper Encratitas, quamvis omnino Hæreticos agnoſcit, adhuc tamen edicit *omni ratione ſtatuatur, ut ii qui ab illorum Baptiſmo veniunt, ungantur coram fidelibus videlicet, & ita demum ad myſteria accedant*. Quod vero non adeo facilis ſit Baſilius in admittendis Pepuzenis hanc ab illo rationem accipe: *qua ratione eorum Baptiſma admittatur, cum in Patrem, & Filium, & Montanum, aut Priſcillam baptizent?* Ex his profecto conſtare arbitror S. Baſilium eorum tantummodo Hæreticorum Baptiſmum rejicere, qui in Fide SS. Trinitatis errant, non vero cæterorum.

DIS-

DISSERTATIO XXIV.

PRÆCEDENTIS APPENDIX.

De Concilio Plenario, quod controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum diremit, juxta ſententiam Sancti Auguſtini.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum nomine Plenarii Concilii, in quo Quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt, S. Auguſtinus Arelatenſe I. vel Nicænum intellexerit?

HÆc quæſtio inter duos viros eruditos ab aliquot annis agitata fuit magno diſputationis æſtu, ſcilicet inter Joannem Launojum, & P. Joannem Nicolai, in Diſſertatione de Concilio Plenario. Stetit ille pro Arelatenſi, hic pro Nicæno. Pertinaciſſima fuit ex utraque parte contentio. Scriptis ab utroque Auctore ventilata controverſia eſt, ſtylo nimis acri & mordaci. Dixiſſes de ſumma Catholicæ Fidei inter illos agi, cum tamen haud tanti res momenti viris, qui ex opinione præconcepta minime judicant, videatur. De illa hic judicium feremus, ne præcedentis Diſſertationis complemento & intelligentiæ aliquid deſit.

PROPOSITIO I.

Nomine Plenarii Concilii, in quo quæſtionem de Baptiſmate Hæreticorum finitam, & eliquatam paſſim ſcripſit S. Auguſtinus, non intellexit ille Arelatenſe Concilium Primum.

PRobatur. Concilium in quo quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt, S. Auguſtinus non tantum Plenarium abſolute vocavit, ſed *Plenarium Eccleſiæ univerſæ*, *Concilium*, *Plenarium totius orbis*, *Concilium ſanctum*, *Concilium cunctarum Gentium*, quod univerſalem Eccleſiam ligaret: atqui hæ Concilii Plenarii notiones Arelatenſi non conveniunt, juxta S. Auguſtini ſententiam, & ſecundum rei veritatem: igitur S. Auguſtinus Plenarii Concilii nomine in controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, non intellexit Arelatenſe I.

Probatur minor. *Concilii Plenarii Eccleſiæ univerſæ*, *totius orbis*, *cunctarum Gentium* nomine Concilium Œcumenicum intellexit S. Auguſtinus: Et vero intelligendum eſſe fatebitur, quiſquis Œcumenici Concilii notionem capiet. Atqui Concilium Arelatenſe Œcumenicum haberi, repugnat & S. Auguſtini ſententiæ, & rei veritati. Illæ igitur Plenarii Concilii notiones, Arelatenſi non conveniunt, juxta S. Auguſtini ſenſum, & rei veritatem.

Probatur major. Ille nomine Concilii Plenarii *totius orbis*, *univerſæ Eccleſiæ*, *cunctarum Gentium*, Œcumenicum Concilium intellexit, qui Plenarium Concilium eo ſenſu vocatum, oppoſuit Conciliis *per ſingulas Provincias*, & *regiones* celebratis, velut majoris auctoritatis, atque roboris: nam Provincialibus Nationalibuſque Conciliis, Œcumenica ſola ſuperiora eſſe, nemo neſcit, qui Conciliorum diviſionem novit. Atqui S. Auguſtinus Plenarium Concilium totius orbis, univerſæ Eccleſiæ, cunctarum Gentium, oppoſuit Conciliis per ſingulas Provincias & regiones celebratis. Eo igitur nomine Concilium Œcumenicum intellexit.

Probatur minor ex lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 3. *Quæſtionis hujus obſcuritas, prioribus Eccleſiæ temporibus, magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Epiſcopos, ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare, atque fluctuare, ut diu totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur. Conciliorum, in ſuis quibuſque regionibus, diverſa ſtatuta nutaverint; donec Plenario*

Sic

Sic usurpat eadem in causa Plenarii Concilii nomen lib. 2. c. 3. ubi ait: *Episcoporum literas quę post confirmatum Canonem, vel scriptę sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum gravium auctoritatem, doctioremque prudentiam & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est. Et ipsa Concilia, quę per singulas regiones, vel provincias fiunt, Plenariorum Conciliorum auctoritati, quę sunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere.*

Et cap. 4. *Quapropter*, inquit, *S. Cyprianus tanto excellentior, quanto humilior ... satis ostendit facillime se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati; cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctum: quanto citius ipse, cum Concilio Provinciæ suæ Universi Orbis Auctoritati, patefacta veritate cessisset?*

Et infra in eodem capite: *Quomodo*, inquit, *potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad Plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Porro nulli Concilio cessisset S. Cyprianus, cum Africanis Synodis, nisi Concilio Œcumenico; igitur S. Augustinus, Concilii Plenarii nomine, cui S. Cyprianus cessisset, Œcumenicum intellexit.

Sic etiam accipit Plenarii Concilii nomen c. 17. l. 5, ubi de Sancto Cypriano ita loquitur: *Neque enim ei placeo, si ejus ingenium, facultatemque sermonis, & doctrinæ ubertatem, sancto Concilio cunctarum Gentium præponere affectem ..... Neque illius huic sententiæ, in quâ ei visum est aliter suscipiendos ab Hæreticis venientes, quam vel in præteritum suscipiebantur (sicut ipse testatur) vel nunc suscipiuntur, sicut totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam præpono sententiam, sed Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, cujus universitas ipse non fuit, sed in ejus universitate permansit.*

Sic & lib. 6. cap. 13. ubi ait: *Secundum Scripturarum Sanctarum auctoritatem, decrevit Concilium Catholicum orbis terrarum etiam in Hæreticis inventum Christi Baptismum, non esse improbandum.*

Sic usurpat idem Plenarii Concilii nomen multis aliis in locis librorum de Baptismo contra Donatistas, ut libro 1. cap. 18. l. 2. capp. 7. 8. & 9. lib. 4. capp. 5. & 6. lib. 5. cap. 4. lib. 6. capp. 2. 7. & 8. lib. 7. capp. 20. & 27. Eo denique sensu etiam extra hanc de Baptismo Hæreticorum controversiam, Plenarii Concilii nomine utitur Sanctus Augustinus, Epistola nimirum 118. ad Januarium data, cap. 1. ubi hanc regulam statuit: *Ea quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata & instituta retineri; sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebratur; & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, liberas habent observationes.* Quo in loco, per Plenaria Concilia, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, & quæ universam Ecclesiam, quacumque se diffundit, suorum ad observantiam Decretorum adstringunt, Œcumenica sola intelligi, perspicuum est.

Quod vero Concilium Arelatense Œcumenicum haberi repugnet S. Augustini sententiæ, & rei veritati, quæ erat minor secundi Syllogismi propositio, probatur. Qui nusquam Arelatensi Concilio Plenarii nomen diserte tribuit, quotiescumque agit de causa Cæciliani Carthaginensis Episcopi, ille certe non existimavit ipsum Œcumenicum, sive suo sensu Plenarium. Enimvero utilissimum fuisset S. Augustini consilio, ostendere Cæcilianum in Concilio Plenario, sive Œcumenico, fuisse absolutum; ut Donatistarum

rum qui illum falso accusaverant, pervicacem audaciam frangeret, ipsiusque innocentiam luculentius vindicaret. Atqui S. Augustinus, ne semel quidem, in tota causæ Cæciliani tractatione, & narratione, Concilio Arelatensi Plenarii nomen detulit; immo nec Concilium quidem, sed *Judicium Episcopale* dumtaxat, nuncupavit: ergo Concilium Arelatense Œcumenicum haberi, sive Plenarium, S. Augustini sensu, repugnat ejusdem S. Augustini sententiæ.

Probatur minor ex Epistola 162. S. Augustini ad Eleusium data, in qua sic scribit de Romano Concilio sub Melchiade, in quo absolutus est Cæcilianus, & Donatistæ damnati. *Putemus*, inquit, *illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc Plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari; ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur: quod utrum fecerint, probent: Nos enim non factum esse, facile probamus, ex eo quod totus orbis non eis communicat; aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum separatio manifestat.* Id est, si Romani sub Melchiade Pontifice Concilii Patres, corrupti Judices fuerunt, & Cæcilianum injuste absolverunt, damnaruntque Donatum a Casis Nigris, ut Donatistæ queruntur; quidni Plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ad revisionem causæ, ac retractationem, postulabant, in quo, cum ipsis Romanæ Synodi Episcopis, causa rursus agitari posset; ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ rescinderentur? Quod utrum fecerint, id est, an tale Concilium postulaverint, & an reipsa fuerit illis temporibus celebratum, probent. Nos hujusmodi Plenarium Concilium, quod Romanæ Synodi judicium in irritum miserit, coactum non fuisse, facile probamus; quia totius orbis Ecclesiæ, quibus Plenarium Concilium constituitur, Donatistis non communicant. Aut si Plenarium istiusmodi Concilium celebratum est, in quo Romanæ Synodi judicium ad examen vocatum sit (quod tamen non fatemur) etiam ibi victi sunt, quod eorum separatio manifeste probat.

Addit e vestigio S. Augustinus: *Sed tamen quid postea fecerint, Imperatoris literis sufficientissime ostenditur: Judices enim Ecclesiasticos, tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio, & innocentia Cæciliani, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male judicassent. Dedit ille aliud Arelatense Judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Quo in loco Sanctus Augustinus Plenarium Concilium, quod factum non est post Concilium Romanum sub Melchiade, nec a Donatistis tunc temporis postulatum, licet postulari debuisset, si de corruptela Judicum non immerito conquesti essent, per adversativam particulam evidenter opponit Arelatensi Concilio, quod tunc celebratum est ad eamdem causam discutiendam. Concilium igitur Arelatense Plenarium nec dixit, nec esse existimavit S. Augustinus. Quod si Plenarium existimasset, semel saltem Plenarii notionem Arelatensis Concilii nomini junxisset. At longe aliter se res habet. Nam illud tantum *Judicium Episcopale* vocat, & nihilo solemnius ac magnificentius de ipso loquiur, quam de Concilio Romano, quod pariter *Judicium Episcopale* vocat: Unde sicut Concilium Romanum sub Melchiade, Plenarii nomine a Sancto Augustino intellectum nemo unquam somniavit: ita nec Arelatense fuisse ab ipso intellectum nomine Plenarii, quod passim contra Donatistas urget, dici potest.

Colligitur hoc ratiocinium ex S. Augustini verbis Epistola 68. totius Cleri Hipponensis nomine ad Januarium data. *Jussit Imperator*, inquit, *venire partes ad Episcopale Judicium in urbe Roma faciendum, ubi quemadmodum causa dicta & finita sit, & Cæcilianus innocens judicatus, indicant gesta Ecclesiastica. Jam utique post pacificum moderamen Judicii Episcopalis, omnis contentionis & animositatis pertinacia debebat extingui: sed rursus majores vestri ad Imperatorem redierunt, & non recte judicatum, atque omnem causam auditam esse conquesti sunt: unde ille alterum Episcopale Judicium dedit, habendum in Arelatensi Galliæ civitate; ubi multi vestri, vana & diabolica dissensione damnata, cum Cæciliano in concordiam redierunt: alii vero pertinacissimi, & litigiosissimi ad eumdem Imperatorem appellaverunt: postea & ipse coactus Episcopalem causam inter partes cognitam terminavit.*

Idem

Idem colligitur ex libro secundo contra literas Petiliani, cap. 92. ubi ait: *Petentibus tum majoribus vestris, Episcopale Judicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelatem; quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis.* Arelatense Concilium *Judicium Episcopale* pariter vocat, libro 4. contra Crescomium Grammaticum, cap. 7. in Breviculo Collationum cum Donatistis, in Collatione tertiæ diei cap. 19. & lib. post Collationem, cap. 25.

Probatur secundo Propositio præcipua, scilicet repugnare Sancti Augustini sententiæ, ut Arelatense Concilium, ejus sensu, Plenarium, idest Œcumenicum, intelligatur. Si Concilium, in quo Cæciliani causa finita est, nempe Arelatense, fuisset Plenarium totius orbis, & Ecclesiæ universæ Concilium, illudque eo nomine Sanctus intellexisset Augustinus, Cæciliani causam toti orbi terrarum incognitam non recte dixisset. Quod enim a totius orbis Episcopis, in Concilio Plenario, sive Œcumenico considentibus, solemniter judicatum est, toti orbi terrarum incognitum nemo recte dixerit. Atqui Sanctus Augustinus passim asserit, causam Cæciliani, orbi terrarum, aut saltem plurimis & nobilissimis Catholici orbis Ecclesiis fuisse incognitam: Arelatense igitur Concilium, Plenarii totius orbis, & universæ Ecclesiæ, sive Œcumenici Concilii nomine minime intellexit.

Probatur minor ex S. Augustino in libro ad Donatistas post Collationem, cap. 18. *Hæc verba*, inquit, *per orbem terræ universa personat Ecclesia: Testimonium Dei novi, negotium Cæciliani non novi.* Lege capp. 4. 7. & 22. ejusdem libri.

Et libro 4. contra Cresconium, cap. 25. „ Licuerit, *inquit*, Episcopis vestris, nescio „ quo Donatiano, vel Numidico Privilegio de suo ignorare Collega, quidquid Africa „ tota conclamabat. Cum Afris, ab Afris objecta crimina (numquam probata, toties „ absoluta) Orientalibus terræ finibus ignota esse non sinant. Valeat apud vos Baptismus ab Optato datus, quem sic damnare noluisti, ut non fueris ausus absolvere: „ & non valeat datus Baptismus in Ecclesiis Apostolico labore fundatis, Corinthiorum, „ Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessaloni censium, cæterarumque in sanctis Literis conscriptarum, ubi Cæciliani non dico falsum crimen, sed „ forte nec verum nomen auditum est. Et accusetur conscientia tot tantarumque Gentium Christianarum, quia remotissimas lites ignoravit Afrorum". Ergo S. Augustinus causam Cæciliani orbi terrarum, aut saltem plurimis & nobilissimis Catholici orbis Ecclesiis, fuisse incognitam asserit. Idem inculcat libro de Unitate Ecclesiæ contra Petiliani Epistolam, cap. 2. & 12. & lib. 3. contra Cresconium, cap. 68.

Tandem quod Concilium Arelatense I. reipsa non fuerit Plenarium totius Ecclesiæ, sive Œcumenicum, probatur. Illud Concilium non est Plenarium totius orbis Christiani Concilium, sive quod idem est, Œcumenicum, cui desunt omnes conditiones ad rationem Œcumenici Concilii, omnium Auctorum Ecclesiasticorum suffragio, requisitæ: sed omnes illæ conditiones desunt Concilio Arelatensi I. Non est igitur Plenarium, & Œcumenicum.

Probatur minor. Neque enim Romanus Pontifex huic Arelatensi Concilio, per se, vel per legatos suos adfuit ac præfuit, ut constat ex illius Actis a Sirmondo editis; neque ex universo orbe Catholico convocatum est, sed ex quibusdam solum Occidentis Provinciis: nec consequenter omnes ubique terrarum obligare potuit Ecclesias suorum ad observationem Decretorum.

PROPOSITIO II.

Nomine Concilii Plenarii, in quo quæstionem de Baptismo Hæreticorum finitam sæpe scripsit S. Augustinus, Nicænum intelligendum est.

PRobatur primo. Concilium Plenarium toties a Sancto Augustino contra Donatistas inculcatum, idem est ac Œcumenicum, ex ipsius Augustini sensu. At nullum aliud Concilium Œcumenicum intelligere potuit S. Augustinus, in quo controversia de Baptismate Hæreticorum finita esset, nec aliud ipsum intellexisse probari potest: nomine

ne igitur Concilii Plenarii a S. Auguſtino toties indicati, Nicænum eſt intelligendum:

Probatur minor. Concilium illud ante S. Auguſtini nativitatem celebratum eſt: at nullum aliud Concilium Œcumenicum, a Nicæno celebratum fuit, in quo finita ſit quæſtio de Baptiſmo Hæreticorum, ante Sancti Auguſtini nativitatem: nullum itaque Plenarii Concilii nomine, aliud a Nicæno, Sanctus intellexit Auguſtinus.

Probatur major ipſis S. Auguſtini verbis libro 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 9. ubi quibuſdam Sancti Cypriani verbis recenſitis, ait: *Hac atteſtatione ſatis oſtendit multo magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de hac tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet. Nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Poſtea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, poſt Cypriani quidem Paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus.*

Minor vero probatur. Nam Epheſinum S. Auguſtino recens defuncto celebratum eſt. Conſtantinopolitanum Primum anno 381. celebratum eſt, Auguſtino annum jam 26. agente, quippe qui natus eſt anno 355. Sardicenſe Œcumenicum, ante nativitatem S. Auguſtini actum quidem eſt, ſed controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum non attigit. Solum igitur Nicænum ſupereſt, quod Plenarii nomine ſuam ante nativitatem celebrati, S. Auguſtinus intelligere potuerit. Nam, quod aliqui Capuanam Synodum hoc nomine ab ipſo intellectam volunt, tam indignum figmentum eſt, ut riſu potius quam refutatione dignum videatur. Sed enim Capuana Synodus anno 389. celebrata eſt. Natus eſt vero S. Auguſtinus anno 355. ut jam notavimus: Concilium igitur Plenarium celebratum antequam Auguſtinus naſceretur, nonniſi fictitie Capuanum dici poteſt. Nam illa S. Auguſtini verba, *Antequam nos nati eſſemus*, ad ſpiritalem ipſius nativitatem referre, ideſt, ad ipſius Baptiſmum, quaſi de Concilio Plenario loquatur, quod paulo ante fuerit celebratum, quam baptizaretur, ſed eo tamen jam nato & adulto, evaſio alia eſt per inſomnium excogitata, ad locum evidentiſſimum Sancti Auguſtini excludendum. Accedit, quod Concilium Capuanum ex orbe univerſo congregatum non fuerit, ut Plenarium totius orbis, & univerſæ Eccleſiæ Concilium, a S. Auguſtino dictum ſupponatur.

Nec obſtat quod in Concilio Carthaginenſi III. c. 38. Synodus Capuenſis Plenaria nuncupetur: *Illud autem ſuggerimus*, inquit, *mandatum nobis, quod etiam in Capuenſi Plenaria Synodo videtur ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes*. Id, inquam, non obſtat: quia etſi Capuana Synodus, aliquo ſenſu, Plenaria dicta eſſet; non tamen Plenaria totius orbis & univerſæ Eccleſiæ, ut illa cujus Auctoritatem paſſim contra Donatiſtas urget Sanctus Auguſtinus. Accedit quod vox illa, *Plenaria*, in Canone Concilii Carthaginenſis III. irreptitia non immerito videatur, & perperam Synodo Capuenſi adjuncta. Quod non inaniter me conjicere fatebitur, qui adverterit Canonem illum in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, Canone 48. referri Græce abſque voce quæ reſpondeat iſti, quam textus Latinus habeat, *Plenaria*. En verba Canonis Ἐκεῖνο δὲ ἀναφέρομεν ἐνταλεῖν ἡμῖν τὸ καὶ ἐν τῇ συνοδῳ τῇ ἐν Καπούῃ ὁρισεῖν ὥσε μὴ ἐξεῖναι γίνεσθαι ἀναβαπτίσεις.

Probatur ſecundo. In eo Concilio quæſtio de Baptiſmo Hæreticorum finita eſt, quod omnes Hæreticos cum illorum Baptiſmo ſuſcipiendos in Eccleſiam ſa[illegible], ſi ad eam ejuratis erroribus reverterentur, exceptis Pauli Samoſateni Diſcipulis, qui cum Baptiſma verbis Evangelicis non conferrent, juſſi ſunt ante baptizari, quam in Eccleſiam admitterentur. Atqui Nicæna Synodus omnes Hæreticos in Eccleſiam cum illorum Baptiſmo ſuſcipiendos decrevit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis: quæſtio igitur de Baptiſmo Hæreticorum in Concilio Nicæno finita eſt. Cum itaque Concilium illud totius orbis, & univerſæ Eccleſiæ Plenarium fuerit, & ante Sancti Auguſtini nativitatem, nec multum diu poſt motam de rebaptizandis Hæreticis controverſiam, & poſt Synodum Arelatenſem, fuerit celebratum; non aliud a S. Auguſtino intellectum videtur nomine Plenarii Concilii, in quo controverſia de Baptiſmo Hæreticorum dirempta eſt.

Probatur minor ex S. Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos, dicente: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis; & quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

Confirmatur auctoritate S. Athanasii in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, ad Constantium Imperatorem data, ubi ait, quod per Nicænam Synodum *non Ariana solum, sed & reliquæ destructæ sunt hæreses.* Et in Epistola ad Africanos, prope finem: *Solum apud vos auctoritatem obtineat Nicæna Patrum de fide Confessio: ipsa enim Nicæna Synodus revera trophæum est, sive columna triumphalis, inscripta contra omnes hæreses, quasi eas exponens ostentui.* Quomodo, quæso, Nicæna Synodus trophæum contra omnes hæreses dici posset, nisi Donatistarum hæresis, quæ tunc per Africam grassabatur, in illa confossa esset, ac palmaris eorum error de Anabaptismo damnatus?

Objicitur primo. Sanctus Augustinus Concilia quædam Plenaria vocavit, quæ tamen non agnovit ut Œcumenica: Plenarii ergo Concilii nomine semper Œcumenicum non significavit: adeoque nihil obstat quominus intelligere potuerit nomine Plenarii Concilii, in quo quæstio de Baptismo hæreticorum finita est, Arelatense Primum: præsertim cum 8. Canone de Baptismate hæreticorum non iterando sic decernat: *De Afris qui propria lege utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur ut accipiat Spiritum Sanctum: quod si interrogatus, non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Probatur antecedens. Concilium Bagajense, quod a Donatistis celebratum est, ut ortum inter eos schisma sedaretur, & cui trecenti decem illius sectæ Episcopi interfuerunt, Sanctus Augustinus passim Plenarium vocat, scilicet lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, c. 5. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. lib. 3. de Baptismo, cap. 2. lib. 3. contra Cresconium, cap. 53. quod etiam nomen ipsi tribuitur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Num. 69. nec tamen S. Augustinus, & Africani Patres, Bagajense Donatistarum Concilium Œcumenicum existimarunt. Igitur Concilium Plenarium, ex S. Augustini, & Africanæ Ecclesiæ sensu, non est idem quod Œcumenicum.

Confirmatur. In eodem Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Conciliis Nationalibus totius Africæ tribuitur Plenariorum Conciliorum nomen, ut numeris 19. 28. 117. 138. videre est. Quidni igitur Arelatense Concilium, Plenarii nomine intellexisset S. Augustinus, quamvis Œcumenicum non fuerit; cum ad illud variarum nationum Episcopi convenerint?

Respondeo, nego primum antecedens; cujus probationem distinguo. Concilium Bagajense S. Augustinus Plenarium vocavit, Plenarium Donatistarum concedo: Plenarium simpliciter & absolute, vel Plenarium totius orbis & universalis Ecclesiæ, nego. Itaque S. Augustinus vocat Concilium Bagajense Plenarium Hæreticorum, quia omnes Donatistarum Episcopi ad illud convenerant. Sic nempe lib. 2. contra Epist. Parmeniani, c. 3. *Per Plenarii Concilii sui Sententiam dixerunt* &c. & lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. *Maximianistas Plenario Concilio suo damnatos* &c. Et l. 4. contra Cresconium, cap. 8. *Qui Plenarii Concilii vestri ore veridico leguntur esse damnati* &c. At nusquam ostendetur S. Augustinum vocasse aliquod Concilium *Plenarium totius orbis*, & *universalis Ecclesiæ Concilium*, quod Œcumenicum non esset.

Respondeo secundo, rursus distinguendo eamdem propositionem. S. Augustinus, & Africani Patres, Concilium Bagajense Plenarium vocarunt ironice, & ex Donatistarum sensu, quem sugillabant, concedo: serio & ex propria sententia, nego. Donatistæ enim, cum totam Ecclesiam in parte sua inclusam contenderent, nec alienos a secta sua ullo modo ad Ecclesiam pertinere, partem suam *Plenariam Ecclesiam Catholicam, Universalem* appellabant, ut colligitur ex Sancto Augustino passim id referente ac refellente, & maxime lib. 4. contra Cresconium, cap. 58. *Quo igitur ore*, inquit, *contra Ecclesiam a Solis ortu usque ad occasum promissam voce veritatis, & redditam, audes Ecclesiam Plenariam dicere partem Donati? cum ipsa non sit nisi Africæ, illa vero,*

vero, cum tot gentibus, sit & Africæ? Porro sicut Sectam suam Donatistæ vocabant Ecclesiam Plenariam, ita Concilium, ad quod universi eorum Episcopi convenerant, vocabant Plenarium; quasi Plenariam, quam secta sua concludi præsumebant, Ecclesiam repræsentans. Unde, ex ipsorum sensu, Bagajense Concilium S. Augustinus Plenarium vocat ironice, & *veridicum*, & *Præsidentis Dei arbitrio* celebratum nuncupat, libro 3. contra Cresconium, cap. 53. At quoties ex propria sententia loquitur S. Augustinus, Plenarii Concilii nomine Œcumenicum intellexit; maxime cum hæc verba, vel similia adjunxit ad *Plenarii* notionem determinandam, *totius orbis*, *universalis Ecclesiæ*, *cunctarum gentium*.

Ad confirmationem respondeo, in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Synodos Africanas passim Plenarias appellari, secundum quid, & cum aliqua limitatione, id est, Plenarias Africæ, non vero simpliciter & absolute Plenarias, sive Plenarias totius orbis, & universalis Ecclesiæ. Id constat ex Canonibus in objectione indicatis. Nam 19. qui Concilii III. Carthaginensis septimus est, decernit, *Ut qui ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit ad causam suam terminandam, hoc ipso sententiam damnationis in se dixisse judicetur*. At Concilium universale anniversarium, est universale Provinciæ, vel Nationis, quod annis singulis a Primate convocabatur, non vero Œcumenicum. Nam Œcumenica Concilia quotannis non celebrabantur. Eodem sensu usurpabatur universalis Concilii nomen Canone 28. laudati Codicis, qui II. Concilii Milevitani 22. est, cum vetat Presbyteris, Diaconis, cæterisque Clericis, ne ab Episcoporum suorum judiciis, *ad Judicia transmarina umquam provocent, sed ad Primates tantum Provinciarum suarum, vel ad universale Concilium*, utique a Primate ex universa Africa congregatum. Unde Milevitanus Canon mox designatus, disjunctivam illam non habet, *vel ad universale Concilium*; sed iis tantum verbis expressus est: *Non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum*. Sic usurpatur idem nomen Canone 117. ejusdem Collectionis, qui sic habet: *Quoniam ante aliquot annos in Ecclesia Plenario Concilio constitutum est*, &c. Græce habetur: ἐν ταύτῃ ἐκκλησίᾳ, idest, *in hac Ecclesia*, ut hujus Ecclesiæ, Africanæ scilicet, Plenarium Concilium designetur. Sic denique & Canone 138. universalis Concilii nomen usurpatum videri potest, ubi & hæc verba Patrum ad Cœlestinum Pontificem Maximum scribentium leguntur, *Qui in universali Africano Concilio fuimus*, &c. Quo sensu & S. Augustinus Epistola 47. ad Valentinum data, Synodum Africanam, in qua Pelagiana hæresis damnata est, vocavit *Plenarium totius Africæ Concilium*. Sed nusquam ostenditur aliquam Synodum, quæ Œcumenica non esset, simpliciter & absolute Plenariam, & *Plenariam totius orbis*, *universalis Ecclesiæ*, *cunctarum gentium*, fuisse nuncupatam a S. Augustino, vel ab Ecclesia Africana: ac proinde certissimum est, Concilium Arelatense I. a S. Augustino, Plenarii Concilii nomine, quod toties urget contra Donatistas, intellectum ac significatum non fuisse.

Nec obstat quod Canone 8. illius Concilii sancitum sit, Hæreticorum Baptisma non esse iterandum. Ex hoc enim non colligitur Plenarium illud esse universalis Ecclesiæ Concilium, in quo finita sit & eliquata controversia de Baptismate Hæreticorum; sed solum in eo de ista quæstione occasione data, actum fuisse: quamvis ad quæstionem juris & dogmatis dirimendam convocatum non esset, sed solum ad quæstionem facti discutiendam, & ad expendendum an Cæcilianus vere fuisset sacrorum Librorum Traditor; an ejus proinde Ordinatio legitima fuisset atque canonica; an jure an perperam fuisset a Patribus Romani Concilii sub Melchiade absolutus.

Objicitur secundo. Plenarii Concilii nomine, in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, S. Augustinus intellexit Concilium aliquod Transmarinum: Sed Concilium Transmarinum Afris, Arelatense est, non Nicænum: igitur nomine Plenarii Concilii, S. Augustinus Arelatense, non vero Nicænum intellexit.

Probatur major ex S. Augustino lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, capp. 8. & 9. ubi de S. Cypriano sic loquitur: *Satis ostendit multo magis se fuisse commemoraturum, si quod hac de re Transmarinum, vel universale Concilium factum esset: nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, &c.

Reſpondeo, nego ſecundam partem minoris, nempe quod Concilium Nicænum Afris Tranſmarinum dici non poſſit. Cum enim S. Auguſtinus lib. 2. contra Creſconium, cap. 37. inter *Eccleſias Tranſmarinas*, quarum auctoritatem adverſus Donatiſtas urget, *Bythiniæ* Eccleſias recenſeat, & Nicæa quæ Nicæno Concilio nomen dedit, ſit Bythiniæ civitas; conſequens eſt Nicænum Concilium Transmarinum fuiſſe Afris, adeoque nomine *Univerſalis & Tranſmarini Concilii*, cujus ad examen controverſia de Baptiſmate Hæreticorum perducta eſt, a S. Auguſtino intelligi potuiſſe.

Objicitur tertio. Concilium, quod de omnibus orbis partibus congregatum eſt, Plenarii totius orbis Concilii nomine potuit a S. Auguſtino intelligi, & ſignificari: ſed Concilium Arelatenſe Primum ex omnibus mundi partibus congregatum eſt: quidni igitur illud Plenarii Concilii nomine intellexerit, & deſignaverit S. Auguſtinus?

Probatur minor ex Concilio Arelatenſi Secundo Canone 18. *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium*, inquit, *Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, ſub Sancti Marini tempore, legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque Conventum.*

Confirmatur ex Conſtantino Magno in Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum, apud Euſebium lib. 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c. 5. dicente, ſe mandaſſe ut plurimi Epiſcopi *ex locis diverſis, & prope infinitis*, Arelatem ad Concilium convenirent.

Reſpondeo, nego minorem. Ad ejus probationem reſpondeo, Concilium II. Arelatenſe per exaggerationem quamdam dixiſſe, Primum ex omnibus mundi partibus fuiſſe convocatum, ut ſcilicet Urbem Arelatenſem commendaret, ac Arelatenſis Epiſcopi dignitatem. Unde addidit hanc exceptionem, *Et præcipue Gallicanis*; quæ incongrua fuiſſet, ſi partes orbis univerſas intellexiſſet abſolute. Certe Primi Concilii Arelatenſis Patres, non ex omnibus orbis Chriſtiani regionibus, ſed ex diverſis dumtaxat Provinciis ad illud ſe conveniſſe Concilium teſtantur in Epiſtola ſua Synodica ad Sylveſtrum Papam. *Et cum diverſæ ſint Provinciæ, ex quibus advenimus* (inquiunt) *& ita varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere.*

Ad confirmationem reſpondeo, Conſtantini verba indicare quidem numerum maximum, & diverſitatem regionum, ex quibus Epiſcopos ad Concilium Arelatenſe convocavit; non autem diſerte ſignificare, quod ex univerſis orbis Chriſtiani Provinciis illos convocaverit, ut hoc Plenarium univerſalis Eccleſiæ Concilium eſſet. Quem ſenſum Conſtantini Epiſtola ex Græco Euſebii textu a Sirmondo Latine reddita exhibet. *Propterea*, inquit Imperator, *mihi ſedulo providendum fuit, ut hæc, quæ poſt judicium prolatum ſedari voluntario aſſenſu debuerant, vel nunc tandem, multis præſentibus, exitum ſortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diverſis compluribus locis Epiſcopos in Arelatenſium oppido ad Kalendas Auguſti, convenire præcepimus, ubi etiam per literas ſignificandum duximus*, &c. vides non *ex locis diverſis & prope infinitis*, ſed *diverſis compluribus ex locis* plurimos Epiſcopos ad Concilium Arelatenſe Primum diſci convocatos?

Præterea veriſimile non eſt, quod Conſtantinus appellationem Donatiſtarum ſuſcepiſſet poſt Arelatenſis Concilii ſententiam, ſi ad illud totius orbis Chriſtiani Epiſcopi conveniſſent: ſiquidem Nicæno de Concilio ad Eccleſias ſcribens id ab omnibus recipi jubet, ac obſervari quod in eo fuerat definitum; quia *Quod in Epiſcoporum Conciliis ita generaliter decernitur, divinæ voluntati tribui debet, ac veluti cœleſte, divinumque Præceptum æſtimari*. Cum igitur Conſtantinus Donatiſtas ad ſuum tribunal, poſt Arelatenſis Concilii ſententiam, appellantes (quamvis indignabundus) ſuſceperit; argumento eſt, ad illud totius orbis Chriſtiani Epiſcopos non conveniſſe, neque convocatos fuiſſe.

Objicitur ſecundo. In Concilio Nicæno nullus Canon extat, quo Donatiſtarum anabaptiſmus damnetur, aut quo ſanciatur, omnium Hæreticorum Baptiſma ratum eſſe: contra illos vero in Concilio Arelatenſi Primo editus eſt Canon octavus: Plenarium igitur Concilium, in quo quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt, non eſt Nicænum, ſed Arelatenſe.

Reſ-

Respondeo, distinguo primam partem antecedentis. Nullus Canon extat, quo Donatistarum error damnetur, &c. explicite & nominatim, concedo; implicite & per consequentiam, nego. Canone enim octavo Concilii Nicæni decretum est, Novatianos ad Ecclesiam redeuntes, in Clero, ex indulgentia, permansuros, cum impositione manuum reconciliati fuissent. Non est decretum ut baptizarentur, quia Baptismum verbis evangelicis conferebant: Canone vero 19. sancitum est, Paulianistas ad Ecclesiam confugientes baptizandos esse, quia formam Baptismi legitimam non servabant. Per consequentiam igitur sancitum est, omnium Hæreticorum, qui baptizandi ritum Evangelicum servabant, ut Novatiani, ratum esse, nec usquam iterandum Baptisma: & eos solum esse baptizandos, qui Baptismi formam, ut Paulianistæ, violassent, seu verbis Evangelicis baptizati non essent. Quæ responsio Sanctorum Athanasii, & Hieronymi verbis, inter probationes relatis, confirmatur.

Objectio tertia petitur ex S. Basilio in Epistola 2. Canonica ad Amphilochium, dicente, oportere plures Episcopos simul convenire, & Canonem condere circa iterationem vel approbationem Baptismi Encratitarum, Saccophororum, Apotactitarum, quos rebaptizari in Ecclesia sua scribit; quamvis prohibitum sit apud Romanos eos rebaptizare, alicujus œconomiæ gratia: atqui S. Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, quod hac de re decerneret, si jam eliquata fuisset veritas in Nicæno, quod Basilio ignotum non erat: nec prohibitionem in Romana Ecclesia factam de non iterando Baptismate, ad solam œconomiam retulisset, quæ spectasset ad fidem, si Donatistarum hæresis in Concilio Nicæno fuisset proscripta: Concilium igitur Nicænum, non est Plenarium illud, in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum eliquata & finita est.

Major constat ex auctoritate S. Basilii, quæ Dissertatione superiori, argumento octavo, relata est.

Respondet Pater Nicolai, S. Basilium de quibusvis Hæreticis non loqui, sed de illis dumtaxat, qui circa Trinitatis, adeoque circa Baptismi formam errabant, quamvis eam integre proferrent. Sed hæc expositio cum S. Basilii textu cohærere non potest, nec ejus sensum Vir Eruditus attigit, ut loco mox laudato ostendimus.

Respondet secundo, S. Basilium, his verbis, in priori Epistola ad Amphilochium: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem, Baptismum eorum recipi, recipiatur*: Nicænæ Synodi Patres intellexisse, quam in Asia constat celebratam. Verum hæc responsio parum verisimilis videtur, quia S. Basilius Nicænos Patres non sic jejune appellasset: nec Asiaticis dumtaxat aliquibus id visum esse dixisset, quod a trecentis decem & octo Patribus, ex toto orbe Christiano congregatis, novisset definitum.

His igitur solutionibus prætermissis, respondeo, distinguo minorem: S. Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, &c. si Nicæni Concilii Decretis sancitum fuisse intellexisset, ut Hæreticorum Baptisma ratum haberetur, concedo; si id in Concilio Nicæno definitum non intellexisset, nego. Porro licet Nicæna Synodus decreverit, omnes Hæreticos cum suo recipiendos esse Baptismate, modo verbis Evangelicis baptizati essent: quia tamen id diserte in illius Canonibus non habetur, sed per consequentiam tantum colligitur ex 8. & 19. Canone; S. Basilius potuit ad illam Nicænorum Canonum consequentiam non advertere, & iis non obstantibus, Ecclesiæ suæ morem nondum antiquatum, de rebaptizandis Hæreticis sectari. At Pontifices, & Patres S. Basilio posteriores, quos excitata rursus de rebaptizandis Hæreticis quæstio, Nicænorum Canonum sensui, & consequentiis magis fecit attentos, nempe Siricius in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, Innocentius Primus in Epistola ad Episcopos Macedoniæ, S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, & S. Augustinus passim in libris contra Donatistas, arbitrati sunt Nicænos Patres omnium Hæreticorum, Paulianistis exceptis, & aliis, si qui essent ab Evangelico baptizandi ritu aberrantes, Baptisma ratum habuisse. Idque colligi putarunt evidenter ex Canonibus 8. & 19.

Respondeo secundo, retorqueri posse contra adversarios argumentum, & sic subsumi:

mi: Atqui S. Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, quod hac de re decerneret, si jam eliquata fuisset veritas, & finita quæstio in Arelatensi, quod S. Basilio ignotum esse non potuit, si Plenarium fuisse totius orbis universalis Ecclesiæ, & cunctarum Gentium Concilium supponatur: nec prohibitionem in Romana Ecclesia factam de non iterando Baptismate, ad solam œconomiam retulisset, quæ spectasset ad fidem, si in Concilio Plenario totius orbis, quale fuisse Arelatense contendunt, Donatistarum hæresis fuisset proscripta. Concilium igitur Arelatense, non est plenarium illud, in quo quæstio de Baptismo Hæreticorum eliquata, & finita est.

Objectio quarta sumitur ex S. Epiphanio in expositione Catholicæ Fidei, ita scribente: *Alii, qui audaciores videntur, ex Catholicorum partibus, privata sibi factione conflata, ultra Generalis Concilii Decretum, iterum baptizare nihil verentur; cum nondum ea res, ut dixi, judicio Synodi decisa sit.* Porro non dixisset S. Epiphanius quæstionem de Baptismo Hæreticorum admittendo vel rejiciendo Synodi judicio finitam non fuisse, si a Nicæna Synodo probatus fuisset omnium Hæreticorum Baptismus, Paulianistis solis exceptis: in Nicæno igitur Concilio illa quæstio non finita est, ac proinde non est illud Plenarium, cujus auctoritatem contra Donatistas tam frequenter urget S. Augustinus.

Respondeo, nego hypothesim minoris, quod scilicet S. Epiphanius quæstionem de Baptismo Hæreticorum, Synodi judicio finitam non fuisse dixerit. Id enim nullatenus habet, nec de Baptismo Hæreticorum non iterando ex professo agit, nec Synodum indicat, quæ rebaptizari Hæreticos prohibuerit: sed ait solum nullam Synodum præcepisse, ut Ariani rebaptizarentur, & propterea quorumdam temeritatem coarguit, qui illos rebaptizabant. Porro quod hic sit S. Epiphanii sensus, & quod de solis Arianis loquatur, constat ex loco in objectione laudato. *Alii*, inquit, *qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus privata sibi factione conflata, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra Generalis Concilii Decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt iterum baptizare nihil verentur, cum nondum ea res, ut dixi, Universalis Synodi judicio decisa sit; quod adhuc populi promiscue, ad hodiernum usque tempus, habeantur: inter quos multi quidem sunt Catholici, sed ficte, ac per simulationem, Sacerdotum auctoritatem sequuntur, donec execranda illa Secta ab Ecclesiæ consortio segregetur: ut tunc aliquid de illa statuatur.* Ex quibus constat, Launojum in S. Epiphanii loco oscitanter omisisse nomen Arianorum; unde veluti generatim de omnibus Hæreticis ab ipso dictum obtrusit, quod speciatim de Arianis dictum est.

Objicitur quarto. S. Athanasius Oratione 3. contra Arianos, & S. Cyrillus in Præfatione Catecheseon, Baptisma ab Hæreticis colatum asserunt irritum prorsus esse: atqui id non asseruissent, si Concilium Nicænum contrarium definivisset; igitur Nicænum Concilium non est Plenarium illud, in quo S. Augustinus quæstionem de Baptismo Hæreticorum finitam esse toties inculcat.

Respondeo, S. Athanasium, eo loci Baptisma quidem Hæreticorum nullum asserere, quoad effectum gratiæ, in adultis qui ipsorum hæresi communicant; non vero quoad Sacramentum & characterem; S. vero Cyrillum vel de omnibus Hæreticis non loqui, sed de illis tantum qui Baptismi formam violabant; vel singularem hanc esse illius sententiam, ut & Hierosolymitanæ Ecclesiæ illius temporibus, cui nempe nondum erat exploratus Nicænorum Canonum 8. & 19. sensus, nec perspecta consequentia. Legatur superior Dissertatio in solutione argumenti sexti & septimi.

D I S-

DISSERTATIO XXV.

Contra Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos.

QUÆSTIO UNICA.

De Perſonarum divinarum Trinitate.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum ſint revera tres in Deo Perſonæ?

PROPOSITIO.

Divinarum Perſonarum Trinitatem, utriuſque Teſtamenti Scripturæ, & Traditio contra Sabellianos probant.

Divinarum Perſonarum pluralitas ex Scripturis probata.

ADorandum illud Myſterium probatur primo ex ſacris Veteris Teſtamenti paginis, ex illo nimirum Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram . . . . Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Ubi alterna illa pluralis & ſingularis numeri uſurpatio, *Faciamus ad imaginem noſtram, Dixit Deus, Creavit ad imaginem ſuam*, Trinitatis Myſterium non obſcure indicant. Figmentum enim eſt, quod reſpondent Judæi, Deum ſecum locutum, & ſe ad agendum excitantem, dixiſſe, *Faciamus*, &c. Quod S. Baſilius Homilia 9. in Hexaemeron diſerte refellit. *Erat*, inquit, *& tunc in iis quæ dicere Judæus ſolet, cuivis obvia, & cognoſcibilis omnibus abſurditas. Quis enim faber, aut ærarius, aut lignarius, ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, interque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, quis*, inquam, *ſibi ipſi admurmurat dicens: Faciamus gladium, aut compingamus aratrum; ac non potius ſilentio, ſuam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim inſignes profecto nugæ, unum aliquem inveniri qui ſibi imperet, ſive Præceptorem deſidere, ac heriliter ſe ipſum vehementerque urgere, & adhortari.*

Et infra: *Numquid & nunc etiam, dic mihi, Judæe, ſola perinde ut tibi placet, atque unica eſt ipſa perſona? Non enim ſcriptum eſt: Fiat homo, ſed Faciamus hominem. Hactenus nondum apparuit quid doceretur, atque ideo in abyſſo divinæ cogitationis præconium hoc celabatur ac tegebatur: deinceps jam ipſius ortus hominis certo expectatur, detegitur parumper ipſa fides, & apertius indicatur iſtius veritas divini Decreti, Faciamus hominem. Audis, o tu, qui bellum indixiſti perpetuum Chriſto, Deum ipſum, ſuum in creandis rebus ſocium alloqui, per quem fecit & ſæcula, qui portat omnia verbo potentiæ ſuæ?*

Figmentum rurſus eſt, quod ſecundo reſpondent Rabbini, Deum more Principum pluraliter locutum eſſe, demonſtrandæ cauſa auctoritatis. Quod egregie refellit Theodoretus Quæſtione 19. in Geneſim, quia *in univerſa plane Scriptura divina licet audire Deum omnium ſingulari numero loquentem. Raro autem pluraliter ſermonem format, niſi cum innuit numerum perſonarum Trinitatis. Etenim cum linguas confunderet, non dixit ſingulariter, Deſcendam; ſed, Venite, deſcendentes confundamus ipſorum linguas. Et hoc igitur loco, quoniam Deus animal rationale formabat, quod poſtea renovaturus erat poſt multas generationes, Sanctæ Trinitatis invocationibus ſacroſanctum Baptiſma inſtituens, cum fabricaturus eſſet naturam, cui hæc Myſteria crederentur, obſcure identitatem ſubſtantiæ, & perſonarum numerum aperuit. Deum enim* (inquit) *dixit, Deus, communionem divinæ naturæ indicavit: Subjungens autem illud, Faciamus, expreſſit numerum perſonarum. Similiter cum iterum ſingulari numero dixit, Imaginem, eamdem eſſe naturam oſtendit. Non enim dixit, Ad imagines, ſed, Ad imaginem. Cum autem dixit, noſtram, numerum hypoſtaſeon manifeſtavit.*

Figmentum denique est, quod quidam Hæretici responderunt, Deum Angelis locutum, cum dixit, *Faciamus*: quod refellit S. Basilius loco supra laudato: *Considera*, inquit, *quod continenter sequitur: Ad imaginem nostram. Quid ad hæc dicere paras? Num una, & Dei, & Angelorum imago est? Prorsus Filii, Patrisque forma eadem ut sit necesse est. Formam hic ut intelligamus necesse sit, quæ divinam addeceat majestatem: hoc est, non lineamentis constantem corporeis, sed in peculiari Numinis proprietate consistentem . . . . . Cui dicit, Ad imaginem nostram? Cui, quæso te, alii, quam ei qui splendor est gloriæ, & figura substantiæ ejus, qui est imago Dei invisibilis? Suæ igitur imagini propriæ, quæ vivit, quæ dixit, Ego & Pater unum sumus: &, Qui me vidit, vidit Patrem: huic dicit, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Ubi una est imago, quem locum ibi obtinet dissimilitudo? Et fecit Deus hominem: non dixit, Fecerunt. Evitavit hoc loco personarum multitudinem. Per illa namque Judæum erudiebat: per hæc vero Gentilium excludens errorem, secure admodum ad unitatem recurrit: ut & Filium cum Patre intelligas, & multitudinem Deorum longe periculosissimam effugias. Ad imaginem Dei creavit ipsum. Iterum Socii creationis personam adduxit. In his enim non ad imaginem suam dixit, sed ad imaginem Dei.*

II. Probatur personarum divinarum pluralitas ex illo Genesis 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, a Domino, de Cælo*. Quibus verbis, Deum de Deo significari, videlicet Filium a Patre procedentem, a quo sicut eamdem naturam & potentiam accipit, sic etiam eamdem operationem ad extra, gravissimi quique Patres observant: & inter alios S. Justinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone. *Etiam nunc non intellexistis*, inquit, *Unum ex tribus, & Deum, & Dominum ei qui in cœlo est administrare, Dominum duorum Angelorum. Progredientibus enim illis ad Sodomam, ipse relictus cum Abrahamo, ei collocutus est, quæ descripta sunt a Moyse. Quo & ipso post colloquium recedente, Abraham in locum suum est reversus. Eoque ad Sodomam adveniente, jam non duo Angeli verba cum Lotho conferunt, sed ipse; pro eo atque Verbum indicat, atque is Dominus est, qui a Domino in cœlo, hoc est universorum Parente, accepit ut hæc inferret Sodomitis & Gomorrhæis, quæ Verbum recensens, sic inquiens: Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, a Domino, de Cœlo.*

Et S. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses c. 6. *Et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham ignem & sulphur, a Domino, de cœlo. Filium enim hic significat, qui & Abrahæ collocutus sit, & a Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum.*

Et Primi Concilii Antiocheni Patres, in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum, *Generavit quidem Filium Pater*, inquiunt, *tamquam actum viventem, & per se existentem, omnia in omnibus operantem . . . . Hunc dicit Scriptura descendisse, & apparuisse Abrahæ, ad quercum Mambre, unum ex tribus, cum quo Patriarcha, tamquam cum Domino & Judice colloquebatur; ut qui omne judicium a Patre accepisset; de quo scriptum est: Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur, a Domino, de cœlo.*

Et S. Athanasius libro contra Sabellii Gregales, pag. 510. *Quis est qui ita loquitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum? Non hominis hoc verbum, sed Dei ostendentis genuinam sui ex Patre suo procreationem; atque ideo Domini titulum non recusat. Dominus enim est, qui ex solo Domino est genitus, ut apud Mosen dictum invenies: Pluit Dominus ignem a Domino.*

Et S. Hilarius lib. 4. de Trinitate p. 20. col. 2. *Dehinc adest in Sodomam & Gomorrham justa pœna judicii. Et quid tandem momenti in eo est? Dominus sulphur & ignem pluit, a Domino: ut Dominus a Domino, ita non discrevit naturæ nomine, quos significatione distinxerat. Legimus namque in Evangelio: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Dedit ergo Dominus, quod Dominus accepit a Domino: Sed qui accepisti, in Domino, & Domino, Judicis cognitionem, cognominis ejusdem in Deo, & Deo cognosce consortium.*

Et Formula prima Concilii Sirmiensis contra Photinum edita, quam S. Hilarius lib.

de

de Synodis exponit, & probat, Anathemate 16. sic habet: *Si quis, Pluit Dominus a Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius, a Domino Patre.* Eodem modo hunc Geneseos locum exponunt alii Patres quos recensere longum esset.

III. Trinitatis Mysterium probant illa verba Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Nomine Domini intelligitur Pater, cujus est Verbum, quique per verbum operatur prima Sanctissimæ Trinitatis persona. Verbum, per quod omnia facta sunt, Filius est secunda persona. Tertia denique est Spiritus oris Dei, cui perfectio divinorum operum singulari quadam ratione tribuitur. Unde SS. Patres ex hoc loco divinarum personarum Trinitatem probant, & inter alios S. Gregorius Nyssenus, Oratione Catechetica c. 4. *Esse enim*, inquit, *Verbum Dei, & Spiritum Dei, potestates, quæ consistunt essentialiter, & sunt efficientes eorum quæ facta sunt, & ea quæ sunt, continent, ex divinitus inspiratis Scripturis evidenter ostenditur. Sufficit autem, cum meminerimus unius testimonii, plura invenienda relinquere studiosis: Verbo Domini*, inquit, *Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Quo Verbo, & quo Spiritu? Neque enim dictio est Verbum; neque Spiritus anhelitus. Si enim ad nostræ naturæ similitudinem Deus quoque homo fieret, ejusmodi quoque verbo & spiritu uti universitatis Opificem statuerint. Quænam autem tanta virtus proficiscitur a verbis, & a spiritu, ut sufficiat ad cœlum constituendum & quæ in eo sunt Virtutes? Si enim nostræ dictioni Dei Verbum est simile, & Spiritus spiritui; simillis est omnino virtus ex similibus: & quantas nostrum, tantas vires habet Dei Verbum. Atqui & operatione sunt carentes, & minime consistentes, qui cum verbis transeunt, spiritus. Quo fit ut non agentes, & non consistentes illos omnino constituant, qui ad nostri verbi similitudinem Dei Verbum deducunt. Sin aurem, ut dicit David, Verbo Dei firmati sunt cœli, & eorum virtutes consistunt in Dei Spiritu: constat ergo Mysterium veritatis, quod dictat esse dicendum Verbum in essentia, & Spiritum in hypostasi.*

IV. Idem Mysterium probat illud Isaiæ 6. c. *Clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Ubi trina illius vocis, *Sanctus*, repetitio, & *Domini* singulare nomen, Personarum divinarum Trinitatem in una essentia significant. Unde S. Ambrosius lib. 2. de Fide ad Gratianum, c. 4. hunc locum expendens, ait: *Quid sibi vult, sub uno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater & Filius, & Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum præteriret; non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus: addit singulariter, Dominus Deus Sabaoth.*

V. Idem Mysterium probat Propheta mox laudatus c. 48. in persona Messiæ dicens: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Quæ verba S. Hieronymus in suis ad istum locum Commentariis sic expendit. *Quando fiebant omnia a Patre, ipse erat cum eo, qui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui semper eram cum Patre, & in Patre, & sine Patre numquam eram, etiam nunc loquor, & juxta fragilitatem carnis assumptæ dico, quod Dominus Deus miserit me, & Spiritus ejus, brevique versiculo, Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.*

Probatur secundo ex Novi Testamenti locis evidentibus. Namque Trinitatis Mysterium diserte probant verba Christi, Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quo ex loco Tertullianus Praxeæ refellit errorem, c. 26. libri contra illum editi. *Novissime mandat*, inquit, *ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tinguimur.* Quo item ex loco S. Athanasius Sabellianum errorem coarguit, in Oratione contra Sabellii Gregales. *Nullus igitur*, inquit, *repudians hanc Trinitatem, Unitatem existimet se invenire posse, sed in Trinitate unum existimet, habens summam fidei in Baptismate, & tribus signaculis sanctis, per quæ in salutem regeneratus est.*

VI. Ex illo Matthæi 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revela-*

vit

vit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Quo dicto, inquit Tertullianus libro contra Praxeam c. 21. *utriusque personæ constituit distinctionem, & Filii in terris, quem Petrus agnoverat Dei Filium, & Patris in cœlis, qui Petro revelaverat, quod Petrus agnoverat Dei Filium Christum.*

III. S. Joannis Evangelium passim Trinitatem Personarum divinarum adstruit, c. 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* &c. *Et Verbum caro factum est.* Quæ verba Tertullianus expendens loco mox laudato, ait: *Nam si hæc non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit a Principio, alius apud quem fuit: alium sermonem esse, alium Deum; licet & Deus-sermo, sed qua Dei Filius, non qua Pater: alium per quem omnia, alium a quo omnia. Alium autem quomodo dicamus, sæpe jam edidimus; quo alium necesse est, non eumdem, alium autem, non quasi separatum, sed dispositione alium, non divisione. Hic ergo factus est caro, non ipse cujus est Sermo. Hujus gloria visa est, tamquam unici a Patre, non tamquam Patris.*

Eumdem locum urget S. Athanasius in Oratione contra Sabellii Gregales. *Si Deus*, inquit, *Verbum in mente habet, non autem revera ex ipso genitum, ut Deum ex Deo, quomodo esse poterit apud Deum, Verbum? Aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem, cum nec vivat, nec subsistat, sed vivi duntaxat & subsistentis pectoris motus sit, quod mox ut enunciatum est, non subsistit: & sæpe vocatum, nequaquam permanet, cum contra Psalmista vociferetur: Dei verbum in æternum permanet: & in ea re illi suffragator & consonus Evangelista est, cum Verbum Deum esse profitetur, & manifestatum eum annuntiat, & advenisse indicat, & Incarnatum prædicat, non comprehendens una cum Verbi Incarnatione ipsum Patrem. Verbum enim caro factum est .... Unigenitum igitur Verbum in mundo vides manifestatum, & in hominibus habitantem, gloriamque illi attribui ut Unigeniti a Patre: non quod ipse Pater sit, aut Pater una cum Verbo sese manifestaverit, quemadmodum homo sui ipsius Verbo manifestatur.*

Et *Joannis* 14. „ Si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis .... Philip„ pe, qui videt me, videt & Patrem ... Non creditis quia ego in Patre, & Pater „ in me est? Et, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. “ Quæ loca S. Athanasius expendens in Oratione contra Sabellii Gregales, ait: „ Si una perso„ na est, cur altera emittitur, & per carnem conspicitur, cum Deum nemo viderit „ umquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarraverit, & acces„ serit ad nos, suisque verbis sui conspectum exhibuerit: quique ob istam ex sese Pa„ tris cognitionem, inter loquendum subjunxerit: Qui videt me, videt & Patrem „ meum, non seipsum Patrem dicens. Qui enim id fieri posset, cum Pater sit invisi„ bilis? Sed talem se dicit, qualis Pater est. Nam superius dixerat: Si cognovissetis „ me, etiam Patrem cognovissetis, dualitatem personarum expressis verbis nobis de„ clarans, quæ ex incommutabili Deitate agnosci poterat. Quocirca qui dignus ha„ betur conspectu Filii, non fraudatur conspectu Patris. Non enim genitor alienum „ dissimilemque de se genuit, sed sibi consimilem. Si igitur unum existimans, cum „ revera duo sint, Pater, & Filius, quæ tibi cum Ecclesiastica Doctrina communio su„ peresT? Quomodo voces Domini excipies, Ego & Pater unum sumus? Ac rursum „ de Patre loquens: Ab eo, *inquit*, sum, & ille me emittit. Addit & tertium, Ego „ rogabo, *inquit*, Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis. Cum igitur de se lo„ quitur, Ego, *inquit*: Cum de Patre, ille, *dicit*; Cur non plane defectionis, & apo„ stasiæ crimen sit negare tria, & solum illum qui ista locutus est, unum esse dicere?

Idem Christi responsum ad S. Philippum urget Tertullianus *libro* contra Praxeam, c. 24. „ Vicarium se Patris ostenderat, per quem Pater & videretur in factis, & au„ diretur in verbis, & cognosceretur in Filio, facta & verba Patris administrante; quia „ invisibilis Pater, quod & Philippus didicerat in Lege, & meminisse debuerat: Deum „ nemo videbit, & vivet. Et ideo fugillatur, Patrem videre desiderans, quasi visibi„ lem, & instruitur, visibilem eum in Filio fieri ex virtutibus, non ex personæ repræ„ sentatione. Denique si Patrem eumdem Filium vellet intelligi, dicendo, qui me

„ videt

„ videt, Patrem videt: quomodo ſubjicit: Non creditis quia ego in Patre, & Pater
„ in me eſt? Debuerat enim ſubjunxiſſe, Non creditis quia ego ſum Pater? . . . Igi-
„ tur & manifeſtam fecit duarum perſonarum conjunctionem, ne Pater ſeorſum quaſi
„ viſibilis in conſpectu deſideraretur, & ut Filius repræſentator Patris haberetur.

IV. Diſtinctionem realem Perſonarum in Deo probant verba Chriſti, *Joannis* 8. „ So-
„ lus non ſum, ſed ego & qui miſit me, Pater. Et in Lege veſtra ſcriptum eſt. Quia
duorum hominum teſtimonium verum eſt. „ Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de
„ meipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater. " Quem locum Ter-
tullianus urgens adverſus Praxeam, c. 22. ait: „ Quod ſi unus eſſet, dum idem eſt
„ Filius & Pater, non uteretur Legis patrocinio, fidem imponentis, non unius teſti-
„ monio, ſed duorum.

Idem teſtimonium urget S. Athanaſius in Oratione contra Sabellii Gregales. „ En
„ tibi duas perſonas, *inquit*, & niſi dicas vere duos eſſe, cum hæc loquitur, non per-
„ mittis teſtimonium verum exiſtere. Id enim teſtimonium confirmat, ſi non ab uno,
„ ſed a duobus perhibeatur. Nam & teſtatus eſt e cœlo Pater, dicens. Hic eſt Fi-
„ lius meus dilectus: & ſeſe eſſe Filium Dei, Unigenitus ipſe Filius conteſtatum fa-
„ cit; & cum Patre ſermonem miſcens, manifeſte in auribus hominum loquitur: Con-
„ fiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ.

Reſpondebant Sabelliani, duas quidem illo teſtimonio, aliiſque ſimilibus, deſignari perſonas, aliam in Patre Deo, alteram in Filio homine; ſed negabant ſignificari duas perſonas divinas. Quam reſponſionem S. Athanaſius luculentiſſime refellit his verbis: „ Et quid iſtud differt a reſponſione Samoſatenſis? *inquit*. Dicant mihi, quæſo, qua
„ ratione hominibus iſta de ſe ipſo auſus eſt loqui: Qui videt me, videt Patrem?
„ Aut qua ratione talia de ſe ipſo loquentem teſtimonio ſuo perſequitur Evangeliſta,
„ ubi refert, qui dixerit Patrem ſuum Deum eſſe, æqualem ſe Deo faciens: atqui ſi
„ Deus ex Deo eſt, fieri nequit quin ratione naturæ paria habeat cum Genitore ſuo,
„ ut & Paulus teſtatur, qui non de humanitate ejus, cum eam aſſumpſit, ſed de iis
„ quæ humanitatem tempore antecederent, explanationem facit. Qui cum, *inquit*, in
„ forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Scimus autem
„ Dominum ſubinde humanitus loqui, ſed non ea ratio in iſtis verbis, cum ſic ait:
„ Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me,
„ qui miſit me, Pater. Non enim eſt homo ille qui miſſus eſt in mundum, & qui
„ dicit: Ex Patre egreſſus ſum, & venio; & qui dicit: Ita dilexit Deus mundum,
„ ut & Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis qui in eum crediderit, non pereat,
„ ſed habeat vitam æternam: & qui dicit, Deſcendi de cœlo, non ut faciam vo-
„ luntatem meam, ſed ejus qui miſit me.

V. Perſonarum divinarum diſtinctionem probant illa Chriſti verba *Joannis* 10. „ Pa-
„ ter meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Pa-
„ tris mei. Ego & Pater unum ſumus. *Quę verba Tertullianus ſic urget contra Pra-*
xeam, *c.* 22. „ Hic ergo, *inquit*, jam gradum volunt figere ſtulti, immo cœci, qui
„ non videant: primo, Ego & Pater, duorum eſſe ſignificationem; dehinc in noviſſi-
„ mo, Sumus, non ex unius eſſe perſona, quod pluraliter dictum eſt, tum quod,
„ Unum ſumus, non, Unus ſumus. Si enim dixiſſet, Unus ſumus, potuiſſet adjuva-
„ re ſententiam illorum. Unus enim, ſingularis numeri ſignificatio videtur. Adhuc
„ cum duo, maſculini generis. Unum dicit, neutrali verbo, quod non pertinet ad ſin-
„ gularitatem, ſed ad unitatem, ad ſimilitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem
„ Patris, qui Filium diligit, & ad obſequium Filii, qui voluntati Patris obſequitur.
„ Unum ſumus, dicens, Ego & Pater, oſtendit duos eſſe, quos æquat, & jungit.

Eumdem locum urget vehementer Novatianus, *lib. de Trinitate*, *cap.* 22. „ Si erat,
„ ut Hæretici putant, Pater Chriſtus, oportuit dicere, Ego & Pater unus ſum. At
„ cum, Ego, dicit, deinde Patrem infert dicendo, Ego & Pater, proprietatem perſo-
„ næ ſuæ, id eſt Filii, a paterna auctoritate diſcernit, atque diſtinguit, non tantum-
„ modo de ſono nominis, ſed etiam de ordine diſpoſitæ poteſtatis. Qui potuiſſet di-
„ cere, Ego Pater, ſi Patrem ſe eſſe meminiſſet. Et quia dixit, Unum, intelligant

Hære-

„ Hæretici, quia non dixit, Unus. Unum enim neutraliter positum, societatis con-
„ cordiam, non unitatem personæ sonat. Unum enim, non unus esse dicitur, quo-
„ niam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius expromitur. Denique ad-
„ jicit, dicens, Sumus, non Sum, ut ostenderet, per hoc quod dixit, Sumus, & Pa-
„ ter, duas esse personas.

VI. Idem probant Mysterium illa Christi verba *Joannis* 12. „ Pater salvifica me ex
„ hac hora, sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit
„ ergo vox de cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. *Quæ verba Tertullianus adversus Praxeam sic urget*: „ Postulat Filius de terris, Pater promittit a cœlis. Quid
„ mendacem facis & Patrem, & Filium, si aut Pater de cœlis loquebatur ad Filium,
„ cum ipse esset Filius apud terras; aut Filius ad Patrem precabatur, cum ipse esset
„ Pater apud cœlos? Quale est ut Filius item postularet a semetipso, postulando a Pa-
„ tre, si Filius erat Pater? Aut Pater sibi ipse promitteret, promittendo Filio, si
„ Pater erat? Ut sic duos divisos diceremus, quomodo jactitatis; tolerabilius erat di-
„ visos, quam unum Deum versipellem prædicare. Itaque ad istos tunc Dominus pro-
„ nuntiavit: Non propter me ista vox venit, sed propter vos; ut credant hi & Pa-
„ trem, & Filium, in suis quemque nominibus, & personis, & locis.

VII. Probatur istud Mysterium ex verbis Christi *Joannis* 14. „ Rogabo Patrem, &
„ alium Paracletum dabit vobis . . . Paracletus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet
„ Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque
„ dixero vobis. *Et c.* 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit
„ vobis. *Quæ verba Tertullianus urget c.*25. *libri contra Praxeam*. „ Paracletum quo-
„ que a Patre se postulaturum, cum ascendisset ad Patrem, & missurum repromittit,
„ & quidem alium, sed jam præmisimus quomodo alium. Cæterum de meo sumet,
„ *inquit*, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres
„ efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sunt; non unus, quomodo
„ dictum est: Ego, & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri
„ singularitatem. *Eumdem locum urget c.* 9.

Idem probatur ex Epistola 1. S. Joannis, c. 5. *Tres sunt, qui Testimonium dant in cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.*

Divinarum Personarum distinctio ex Traditione probata.

Probatur denique Propositio ex Traditione Patrum, qui adversus Judæos, & illos Hæreticos pugnarunt, testimoniis roborata. Occurrit primo S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, ubi Tryphone indigne ferente, quod Jesum Deum appellaret, tamquam alius esset Deus verus & proprie dictus, quam qui unus a Judæis colitur, quique rerum omnium Conditor est, diserte probat, *Esse alterum in Sacris Literis, qui nominatur Deus præter universorum Opificem*. Quod innumeris probat Scripturæ locis. Denique confutata eorum opinione, qui vim illam Patris negabant subsistens quoddam esse ac solidum, sed efficientiam dumtaxat, neutiquam ab eo persona distinctam; asserebant, quemadmodum lucem Solis in terra esse dicimus, statuit, *Virtutem illam esse Dei, ac Deum a Propheta nuncupari, non ita ut Solis lux solo vocabulo numeratur; sed numero alterum quiddam esse; non tamen recisione: tamquam Patris substantia secetur: uti cætera omnia divisa atque secta, non sunt eadem atque erant ante sectionem*. Quod etiam declarat exemplo ignis, a quo multi alii accenduntur ignes, *non decrescente illo, unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente*.

II. S. Irenæus lib. 5. adversus Hæreses, c. 6. ait: *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum esse*: deque iis scriptum in Genesi: *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur, a Domino*. Item Filium esse qui cum Mose collocutus est.

Et lib. 2. cap. 55. *Cognoscunt enim eum*, inquit, *hi quibus revelaverit Filius: semper autem existens Filius Patris, olim & ab initio semper revelat Patrem & Angelis, & Archangelis, & Potestatibus, & Virtutibus*.

III. Dionysius Romanus Pontifex in Epistola contra Sabellianos, cujus præclaram hanc sententiam refert S. Athanasius lib. de Nicænæ Synodi Decretis: *Deinceps*, inquit, *adversus eos dicam, qui dividunt, & secant, & evertunt religiosissimum dogma*

Eccle-

Ecclesiæ Dei, Monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & divinas hypostases, ac deitates tres. Nam audio quosdam apud vos esse Institutores, & Doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis Auctores: qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, & e converso, Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, a se invicem plane separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam ac summam, Deum universorum colligi, & coalescere prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere: non autem eorum, qui revera Discipuli sunt Christi, & Salvatoris disciplina delectantur. Nam hi Trinitatem a Scriptura Sacra prædicari plane intelligunt: Tres autem Deos, neque in Veteri, neque in Novo Testamento doceri.

IV. S. Dionysius Alexandrinus errorem Sabellii suis lucubrationibus confixit, tanta vi ac vehementia, ut contrarium in errorem abripi visus sit nonnullis; a quo ipsum vindicat S. Athanasius libro de sententia Dionysii contra Arianos.

V. Tertullianus lib. adversus Praxeam, cap. 11. distinctionem Personarum probat ex processionibus. „ Si Filium nominas, *inquit*, Filius autem non alius erit, quam qui ex „ ipso prodiit; sermo autem prodiit ex ipso, hic erit Filius, non ipse de quo prodiit. „ Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porro qui eumdem Patrem dicis, & Filium „ eumdem, & protulisse ex semetipso facis, & prodiisse quod Deus est..... Aut exhibe probationem, quam expostulo, meæ similem, id est, sic Scripturas eumdem „ Filium, & Patrem ostendere, quemadmodum apud nos distincte Pater & Filius demonstrantur: distincte, inquam, non divise, sicut ego profero dictum a Deo: Eructavit cor meum sermonem optimum. Sic tu contra opponas, alicubi dixisse Deum: „ Eructavit me cor meum sermonem optimum: ut ipse sit qui & eructavit, & ipse „ qui protulerit, & qui prolatus sit, si ipse est & sermo, & Deus. Ecce ego pro„ pono Patrem Filio dixisse: Filius meus es tu, Ego hodie generavi te. Si velis ut „ credam ipsum esse Patrem & Filium, ostende sic pronuntiatum alibi: Dominus di„ xit ad se, Filius meus sum ego, ego hodie generavi me. Quem autem verebatur „ Deus Dominus universitatis ita pronuntiare, si ita res erat; an verebatur ne non „ crederetur, si simpliciter se & Patrem, & Filium pronuntiasset? Unum tamen veri„ tus est, mentiri. Veritus autem semetipsum, & suam veritatem. Et ideo veracem „ Deum credens, scio illum non aliter quam dispositi pronuntiasse: nec aliter dis„ posuisse quam pronuntiavit. Tu porro eum mendacem efficias, & fallacem, & de„ ceptorem fidei hujus; si cum ipse esset sibi filius, alii dabat Filii personam, quando „ Scripturæ omnes & demonstrationem, & distinctionem Trinitatis ostendunt. A qui„ bus & præscriptio nostra deducitur, non posse unum atque eumdem videri qui lo„ quitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur: quia neque perversitas, neque „ fallacia Deo congruat, ut cum ipse esset ad quem loquebatur, ad alium potius, „ & non ad semetipsum loquatur.

Et *cap.* 14. probat Filium Dei esse personam distinctam a Patre, quia Pater invisibilis in Scripturis sacris asseritur. Filius autem hominibus visus est, etiam ante Incarnationem. „ Adhuc, *inquit*, & illa regula nobis adsistit, duos vindicantibus, Patrem „ & Filium, quæ invisibilem Deum determinavit ..... Invenimus enim & a multis „ Deum visum, & neminem tamen eorum qui eum viderant, mortuum ..... Jam „ ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri qui videbatur; „ & consequens erit ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis: „ visibilem vero Filium agnoscamus pro modulo derivationis.

Et *cap.* 15. urget idem argumentum. „ Si hunc articulum quæstionibus Scripturæ „ Veteris non expediam, de Novo Testamento sumam confirmationem nostræ inter„ pretationis; ne quodcumque in Filium reputo, in Patrem quoque defendas. Ecce „ enim & in Evangeliis, & in Apostolis, visibilem & invisibilem Deum deprehendo „ sub manifesta & personali distinctione conditionis utriusque. Exclamat quodammodo

„ Joan-

„ Joannes: Deum nemo vidit umquam, utique nec retro. Ademit enim temporis quæ-
„ ſtionem, dicendo Deum numquam viſum: confirmat & Apoſtolus de Deo, Quem
„ nemo vidit hominum, ſed nec videre poteſt, ſcilicet quia morietur, qui viderit.
„ Idem ipſi Apoſtoli, & vidiſſe ſe Chriſtum, & contrectaſſe teſtantur. Porro ſi ipſe
„ eſt Chriſtus, & Pater, & Filius, quomodo viſus eſt & inviſus?

Et cap. 27. probat Filium eſſe alium a Patre, quia unctus eſt, & non a ſemetipſo,
„ ſed a Patre. „ Si Pater Chriſtus eſt, *inquit*, Pater unctus eſt, & utique ab alio.
„ At ſi a ſemetipſo, proba. Sed non ita docent Acta Apoſtolorum, in illa excla-
„ matione Eccleſiæ ad Deum; Convenerunt enim univerſi in iſta Civitate adverſus
„ ſanctum Filium tuum Jeſum, quem unxiſti. Ita & Filium Dei Jeſum conteſtati ſunt,
„ & Filium a Patre unctum. Ergo Jeſus idem erit Chriſtus, qui a Patre unctus eſt;
„ non Pater, qui Filium unxit.

Denique cap. 31. ſic ſuam adverſus Praxeanos diſputationem concludit: „ Cæterum
„ Judaicæ fidei iſta res, ſic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis,
„ & poſt Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, niſi differentia iſta?
„ Quod opus Evangelii? Quæ eſt ſubſtantia Novi Teſtamenti; ſi non exinde Pater,
„ & Filius, & Spiritus, tres crediti, unum Deum ſiſtunt? Sic Deus voluit novare Sa-
„ cramentum ut nove unus crederetur per Filium & Spiritum, ut coram jam Deus
„ in ſuis *propriis* nominibus & perſonis cognoſceretur, qui & retro per Filium, &
„ Spiritum prædicatus, non intelligebatur. Viderint igitur Antichriſti, qui negant Pa-
„ trem, & Filium. Negant enim Patrem, dum eumdem Filium dicunt, & negant Fi-
„ lium, dum eumdem Patrem credunt, dando illis quæ non ſunt, auferendo quæ ſunt.

VI. Novatianus lib. de Trinitate, cap. 1. 12. 21. & 22. tres in Deo Perſonas diſerte adſtruit contra Sabellium. Lege Diſſertationis noſtræ IX. Sæculi II. Articulum 4. Propoſitione 2. ubi Novatiani de Trinitate ſententiam expendimus.

VII. S. Athanaſius in Oratione contra Sabellii Gregales, divinarum Perſonarum Trinitatem ex Scripturis ſacris luculenter probat; atque inter alia, hæc habet: Nam
„ & Pater ſuum eſſe ad plenum poſſidet, & citra ullum defectum radix & fons Fi-
„ lii, & Spiritus Sancti. Itidem quoque Filius eſt, vivitque in plena, integraque dei-
„ tate, ut Verbum & germen Patris ſui, citra ullum defectum. Plenus quoque Filio
„ Spiritus Sanctus, non pars alicujus, ſed integer per ſe, atque ita vere Trinitas coa-
„ dunata eſt ſine ullis intervallis; nihil enim eſt quod illos diſtineat; coexiſtunt æter-
„ naliter, cum nullum ævum intercedat. Formam porro unam & eamdem ex ſe red-
„ dunt, Patre quidem in Filio ſpectabili, Filio vero & in Spiritu intelligibili, & ab
„ homine in participatum recepto.

VIII. S. Baſilius Epiſt. 64. ad Neocæſareenſis Eccleſiæ DD. data, Sabellii errorem luculenter etiam expugnat. *Judaiſmus eſt*, inquit, *Sabelliſmus iſte, ſub prætextu Chriſtianiſmi in Evangelicam prædicationem ſubinvectus. Qui enim tres illas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti perſonas rem dixit eſſe unam, unamque trium poſuit hypoſtaſim, quid aliud fecit? An non ſempiternam, quæ ante ſæcula fuit, Unigeniti eſſentiam negat? Negat ſimul & per diſpenſationem illius ad homines adventum, deſcenſumque ad inferos, reſurrectionem & judicium. Negat autem & proprias ac diſcretas Spiritus operationes.*

Denique legendus eſt S. Epiphanius Hereſi 55. & 62.

Reſpondetur Objectionibus Sabellianorum, & recentium Antitrinitariorum.

Objicitur primo in gratiam Sabellianorum. Deus, Iſaiæ cap. 44. ſic de ſeipſo loquitur: *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Sed non extendiſſet cœlos ſolus, ſi tres in Deo eſſent perſonę: videtur ergo ſequi tres in Deo non eſſe Perſonas.

Reſp. nego minorem. Dictio enim excluſiva, *Solus*, ibi conſortium creaturarum excludit, non conſortium & ſocietatem divinarum Perſonarum. Sic Tertullianus reſpondet libro contra Praxeam, cap. 10. *Quantum ad cæteras virtutes ſolus*, inquit, *perſtruens adverſus conjecturas hæreticorum, qui mundum ab Angelis & Poteſtatibus diverſis voluint ſtructum; qui & ipſum Creatorem aut Angelum faciunt, aut ad alia quæ extrinſecus, ut opera mundi, ignorantem quoque ſubornatum. Aut ſi ſic ſolus ex-*

ten-

tendit, quomodo isti præsumunt in perversum Hæretici, quasi singularis non admittatur Sophia illa, dicens: cum pararet cœlos, ego aderam illi simul .... Sed & Evangelium recusetur, quod dicat: Omnia per sermonem a Deo facta esse, & sine eo nihil factum. Nisi enim fallor, & alibi scriptum est, Sermone ejus cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnes virtutes eorum, Et: Sermo autem Virtus & Sophia, ipse erit Dei Filius. Ita si per Filium omnia, cœlum quoque per Filium extendens, non solus extendit, nisi illa ratione, qua a cæteris solus.

Objectio secunda petitur ex verbis Christi, Joannis 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo solus Pater Christi est verus Deus, adeoque unica est in Deo persona.

Resp. nego consequentiam. Nam solus Deus verus nominatur Pater, non ut aliæ Personæ divinæ removeantur, sed ut ii tantummodo, qui ejusdem non sunt naturæ, & falso ab hominibus putabantur Dii, excludantur. Sic explicat hunc locum S. Athanasius Orat. 4. contra Arianos., p. 257. *Quapropter*, inquit, *cum Pater solus Deus & verus appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego sum veritas, sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater, & Patris verbum, neque veri Dii sunt. Ita enim illi in more est, in mentione alterutrius se cum Patre conjungere; quale est cum dicit: Et quem misisti Jesum Christum: qui si creatura esset, non ita coaptasset se, aut connumerasset cum suo Creatore. Quæ enim Communio, aut societas vero, & non vero? Nunc autem qui se coaptat Patri, ostendit se naturæ Patris esse, deditque nobis, ut illum cognosceremus esse veri Dei verum germen.* Ita etiam explicat S. Epiphanius Hæresi 62. ubi componit illa Christi verba: *Ego sum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, cum his, *Ut cognoscant te solum Deum verum*; aitque, quod sicut non sequitur, Patrem non esse lucem veram, quia Christus de ipso non dixit, Est lux vera, sed simpliciter, Deus lux est: Ita non sequitur Filium non esse verum Deum, licet Pater dicatur solus verus Deus. Resp. 2. has voces, *Solum verum Deum*, ad Christum æque pertinere, ac ad Patrem, ut sit sensus: *Ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, solum esse verum Deum.* Ita hæc verba intellexit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 36. *Verum*, inquit, *hæc verba, Ut cognoscant te solum verum Deum, ad eorum, qui quamquam falso, Dii tamen appellantur, sublationem dici existimo. Neque enim adjectum fuisset: Et quem misisti Jesum Christum; si ad eum opposita distinctione submovendum, illa, Solum verum, pertinerent, ac non de communi utriusque divinitate sermo esset.* Sic exposuit & S. Cyrillus lib. 2. in Joannem, cap. 5. *Cum unum*, inquit, *& verum dixit Patrem ac Deum, non excluſit seipsum. Nam cum in ipso sit, & ex ipso, secundum naturam, verus etiam idem erit, ac solus in solo. Præter ipsum enim nullus Deus verus erit, ac solus. Dii enim Gentium, dæmonia. Multis itaque Diis, qui falso Dii creduntur, unus ac verus Deus opponitur, & qui in ipso, & ex ipso est secundum naturam, Filius.* Sic & S. Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 1. *Conjunctione illa*, inquit, *& Patrem utique copulavit, & Filium, ut Christum verum Deum a majestate Patris nemo secernat: Numquam enim conjunctio separat. Et ideo dicendo: ut cognoscat te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, & Sabellianos interfecit, & Judæos excluſit: ne aut illi eumdem Patrem putarent esse quem Filium, si non addidisset, & Christum: aut isti a Patre Filium separarent. Quæro autem cur non putes subaudiendum, & ex superioribus colligendum, ut quod præmisit, solum verum Deum Patrem, subaudiamus etiam, Jesum Christum solum verum Deum? Exprimendum enim aliter non fuit, ne duos Deos dicere videretur.* Sic etiam exponit S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, & Tractatu 105. in Joannem.

Objectio tertia petitur ex Apostolo 1. ad Corint. 8. dicente: *Nam etsi sunt qui dicantur Dii sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia: & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et ad Ephesios 4. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Una est igitur dumtaxat in Deo Persona, scilicet Pater.

Resp.

Resp. nego consequens. Unus enim Deus asseritur ab Apostolo, ut Deos Gentium excludat, non ut Filium removeat, & Spiritum Sanctum. Sicut enim Pater non excluditur ab appellatione unius Domini, quamvis Filius *Unus Dominus* nuncupetur: ita Filius non removetur ab appellatione *unius Dei*, quamvis Pater dicatur unus Deus. Ita respondet S. Epiphanius Hæresi 57. ubi illis Apostoli testimoniis, quæ Noetus objiciebat, prolatis, ait: *Nonne iis verbis unum significari principium vides? Ne animum nostrum ad plura cogitanda principia converteret, ac mortalium ingenia vanissima illa Deorum multitudine decepta, rursus ad eamdem asserendam copiam adduceret. Vides enim quemadmodum uno nomine sit usus, & appellatione una: non ut Unigenitum Deum abnegaret: Dominum quippe esse illum intelligit, eumdemque Deum. Ideo singulari quadam cautione illud adjecit: Et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia. Quod cum voci illi, Dominus, præcipue affinxit, non eumdem indicavit esse Patrem eumdemque Filium. Nam & cum de Patre loquens, unum Deum esse dixit, nequaquam Filio divinitatem detraxit. Nam si Deus non est, neque Dominus est: cum autem Dominus sit, Deus quoque sit oportet.*

Et infra: *Nam neque cum de Patre agens, Unus Deus, inquit, ex quo omnia, esse illum Dominum negavit. Neque contra subjiciens: Et unus Dominus Jesus Christus: hunc esse Deum inficiari voluit. Sed quemadmodum in Patre, una appellatione contentus hoc tantum dixit,* UNUS DEUS, *qua voce etiam altera, Dominus, continetur; ita in Filio,* UNUS DOMINUS, *dumtaxat expressit: qua cum voce, Dei quoque est appellatio conjuncta.* Ita etiam hæc loca Apostoli explicat S. Ambrosius l. 5. de Fide c. 1. *Quemadmodum,* inquit, *cum legimus Dominum Jesum, nec Patrem a dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est: ita cum legimus Solum verum Patrem, nec Filium a solius veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est.*

Cur autem Apostolus eo loco Jesum Christum Deum diserte & aperte appellare noluerit, neque Patrem Dominum, ratio est, quia cum illis agebat hominibus, qui nuper a Gentili superstitione in plures Deos effusa, ad unius Dei professionem transierant, quibus proinde tamquam infantibus lac doctrinæ Christianæ propinandum erat, non altiora dogmata statim proponenda, & præsertim Dei ac Domini multiplex appellatio, ne plures esse Deos ac Dominos suspicarentur, seque antiquam non deseruisse superstitionem, sed mutasse. Lege S. Chrysostomum Hom. 20. in Epist. 1. ad Corint.

Eodem modo exponenda sunt illa Dei verba apud Isaiam, cap. 45. *Ego sum Deus, & non est alius præter me.* Filium etenim his verbis non excludi ex eo constat, quod ipsi quoque Dei nomen tribuat Propheta, cap. 9. *Parvulus enim,* inquit, *natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi.* Quæ verba verum, summum, ac præpotentem Deum designant. Solum igitur removet Propheta Deos Gentium, ut explicat Tertullianus libro contra Praxeam, cap. 18. *Non Filium negat,* inquit, *sed alium. Puta Solem dicere: Ego Sol, & alius præter me non est, nisi radius meus; nonne denotasses vanitatem? quasi non & radius in Sole deputetur. Itaque præter semetipsum non esse alium Deum, hoc propter idololatriam, tam Nationum, quam Israelis: etiam propter Hæreticos, qui sicut nationes manibus, ita & ipsi verbis, idola fabricantur, idest, alium Deum, & alium Christum. Igitur & cum se unum pronuntiabat, Filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Christus venisse credatur, sed ab illo, qui prædixerat: Ego Deus, & alius absque me non est; qui se unicum, sed cum Filio ostendit, cum quo cœlum solus extendit.*

Respondetur Objectionibus Sabellianorum, & recentium Antitrinitariorum

Objicitur quarto. Nullus alius Deus est, quam qui dictus fuit Deus Abraham, Isaac & Jacob, Deus Israelitarum; atqui hic nullus alius est præter Patrem: igitur nulla alia est Persona divina a Patre.

Probatur minor ex iis Scripturæ locis, in quibus Deus ille Israelitarum a Jesu Christo discernitur, ut Act. 3. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum.* Et Epist. ad Hebr. c. 1. idem ille Deus, qui per Prophetas antea locutus fuerat, *Novissime locutus in Filio* dicitur.

Resp. distinguo minorem: Hic nullus alius est Deus præter Patrem, concedo: Filius

ius enim & Spiritus Sanctus non sunt alius Deus a Patre. Hic nulla alia persona est præter Patrem, nego. Deus igitur Abraham, Isaac, & Jacob, tota Trinitas est, sed non distincte expresseque per omnes cognita personas vulgo Judæorum, sed eximiis dumtaxat, & insignibus quibusdam ex illo populo viris, ut Patriarchis, & Prophetis. Perfectior enim & explicita SS. Trinitatis notitia Christianis temporibus servabatur. Cujus rationem SS. Patres repetunt ex divinæ providentiæ suavitate, quæ hominum captui sese accommodavit, & per gradus quosdam ac mutationes, illos ad Evangelium sensim perduxit. Qua de re Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. p. 608. sic loquitur: *Vetus Testamentum Patrem aperte prædicabat, Filium obscurius: Novum autem nobis Filium perspicue ostendit; & Spiritus divinitatem suboscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari: nec Filii divinitate nondum admissa, Spiritum Sanctum nobis ingeri; ne alioqui velut cibis ultra vires gravati, ac Solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque quibus præditi eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, & ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus & incrementis, Trinitatis lumen splendidius illuceret.*

Theodoretus in libro De Curatione Græcarum Affectionum, Serm. 2. aliam rationem affert, cur in Testamento Veteri, obscurius adumbratum fuerit SS. Trinitatis Mysterium: quia *Cum Judæi in Ægypto diutissime versati essent, multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, Sapientissimus Deus nequaquam illis manifeste omnia Trinitatis Mysteria tradidit, ne multitudinis Deorum occasionem sumerent, ad impietatem Judæorum propendentes. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quasi semina quædam dispergens.*

Non absimilem hujus rei profert rationem S. Cyrillus Alexandrinus libro 9. Commentariorum in Joannem, illa Christi verba exponens: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis, & amodo cognoscetis eum.* Ibi enim vim illius vocis, ἀπάρτι, id est, *amodo*, sic declarat. *Lex enim Mosaica*, inquit, *Filiis Israel inclamabat: Dominus Deus tuus, Dominus unus est: neque veteribus de Filio mentionem faciebat; sed a multorum Deorum cultu eos dumtaxat abstractos, ad unius adorationem vocabat. Dominus autem noster Jesus Christus, cum homo factus est, per multa signa & opera manifestavit nobis, per seipsum, Patrem, unamque ostendit Deitatis naturam in Sancta Trinitate vere subsistentem.*

Objectio quinta petitur ex illis verbis Isaiæ, cap. 45. *Tu es Deus, & nesciebamus: & tibi servierunt, & ibunt post te vincti manicis, & in te orabunt: quoniam in te Deus est, & non est Deus præter te.* Una igitur dumtaxat in Deo persona est.

Respondeo, nego consequens. Excluditur namque his verbis multitudo Numinum, sed non removetur, immo potius intelligitur pluralitas personarum, ut ostendit S. Epiphanius Hæresi 57. ubi expendens hæc verba: *Quoniam in te Deus est*, ait: *In quo vero alio, quam in paterno Verbo Deum inesse dicemus? Vere quippe Deus Verbum Filius est: in eoque cognoscitur Pater, quemadmodum ipse testatur: Qui vidit me, vidit & Patrem.* Deinde hæc verba, *Ego suscitavi Regem cum justitia*, quæ sententiam in objectione relatam, in illo Isaiæ loco, antecedunt, propriam Partis Æterni vocem repræsentant. *Qui*, ut S. Epiphanius ibidem notat, *verum ex sese Verbum excitans, Regem omnium constituit: cum scilicet, quem vere ex se, sine ullo initio ac tempore genuit. Qui quidem eumdem rursus Regem excitavit, ut Apostolus his verbis expressit: Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis, habitat in vobis, &c. At cum dicit: In te Deus est; quanto cum Mysterio, quamque admirabiliter omnia Scriptura proponit? Etenim in carne, velut in Templo quodam prævidebatur, atque hominum spei, per conversionem ad Deum ostendebatur divinitas. Siquidem Dei Filius, ac Deus, ipse Verbum, quasi in sancta quadam Urbe, religiosoque Templo, nimirum in assumpta hominis natura Deus existens, ita loquitur: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

Objectio sexta depromitur ex illis Dei verbis, Is. 44. *Ego sum primus & novissimus, & absque*

& abſque me non eſt Deus. Atqui non eſſet primus & noviſſimus, ſi tres eſſent in Deo perſonæ: unica igitur in Deo videtur eſſe perſona.

Reſpondeo, nego minorem. His enim verbis plures Dii, non vero plures perſonæ excluduntur, ut S. Epiphanius reſpondet Hæreſi 62. *Nimirum plures Dii nequaquam exiſtunt*, inquit, *ſed unus dumtaxat primus ac poſterior, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Non ut confuſio quædam Trinitas illa ſit, aut ab unitate ſua diſcreta: ſed PaterFilium vere genuit, & Filius vere a Patre genitus, in perſona ſua ſubſiſtens, initii omnis expers ac temporis. Item Spiritus Sanctus a Patre & Filio, & eadem divinitate præditus a Patre procedit, & a Filio ſemper accipit; unus Deus, primus ac poſterior*. Notat ibidem S. Epiphanius, contra Judæos, qui Chriſtum venientem repudiaturi erant, & Meſſiam alterum expectaturi, Deum hæc verba dixiſſe: *Ego ſum primus & noviſſimus. Primus ſcilicet, qui huc carne præditus advenit, & noviſſimus venturus judicare vivos & mortuos*.

Objicitur 7. Ubi ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi tres Dii ſunt. Porro tres Deos admittere impium eſt: igitur & tres perſonas.

Reſpondeo, nego majorem: *Nos enim qui & tempora & cauſas Scripturarum, per Dei gratiam, inſpicimus, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto, ſecundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum: duos tamen Deos & Dominos numquum ex ore noſtro proferimus*, inquit Tertullianus cap. 13. libri adverſus Praxeam; ubi & addit: *Cæterum ſi ex conſcientia, qua ſcimus Dei nomen & Domini, & Patri, & Filio, & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, extinxiſſemus faces noſtras, etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occaſio, jurantibus ſtatim per Deos & Dominos, ut quidam Hæretici, quorum Dii plures*.

Reſpondeo 2. diſtinguo majorem: Ubi ſunt tres perſonæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi tres Dii ſunt: ſi diviſa ſit in illis divinitas, concedo; ſi una & individua ſit ipſarum natura, nego. At in tribus perſonis una eſt numero divinitas: qua de re Sanctus audiendus Athanaſius in Expoſitione Fidei. *Neque tres hypoſtaſes*, inquit, *ſeparatim diviſas, uti corporum more in hominibus, cogitare licet, ne quemadmodum Gentiles, Deorum multitudinem inducamus*. Quod ſubinde appoſita ſimilitudine declarat: *Ut enim fluvius ex fonte ortum habens ab eo non dividitur: nam una amborum eſt aqua: quamvis formæ duæ ſint, duoque nomina: ſic neque Pater Filius eſt, neque Filius Pater. Siquidem Pater, Filii Pater eſt; & Filius, Patris Filius. Atque ut fons non eſt fluvius, neque fluvius fons; ſed ambo una eademque ſunt aqua quæ ex fonte manat in fluvium: ita divinitas, quæ ex Patre transfunditur in Filium, perenniter & ſine diviſione continuatur*.

Contra. Gentilium Philoſophi, divinitatem unam agnoverunt, & plures nihilominus profeſſi ſunt Deos: apud nos univerſum genus eſt una humanitas, & tamen ſunt homines plures, quia ſunt plures perſonæ: igitur plures eſſe Deos conſequens eſt, ſi ſint plures perſonæ divinæ, quamvis una in ipſis divinitas adoretur.

Reſpondeo, nego conſequens, & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quia non perinde una eſt divinitas in tribus perſonis, ut in Diis Gentilium; vel ut natura communis in pluribus eſt individuis una, ſola ſcilicet ratione; ſed re ipſa una eſt, ſingularis, neque numero diviſa. Nam humanæ in individuis naturæ *Communitas unitatem habet cogitatione ſola conſiderabilem: ſingularia autem & tempore, & affectionibus, atque adeo potentia & facultate, plurimum inter ſe diviſa ſunt*. Sed divinarum quælibet perſonarum *Unitatem habet, non minus ejus cum qua conjungitur, quam ſui ipſius reſpectu, propter eſſentiæ, & potentiæ identitatem*: (ut ait S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 37.)

S. Gregorii Nyſſeni minus accurata comparatio.

Contra. Tres perſonæ ſunt unus Deus, ſicut Petrus, Paulus, & Joannes ſunt unus homo, ex Sancto Gregorio Nyſſeno in Epiſtola, ſeu in libro ad Ablavium: quo etiam exemplo uſus eſt Sanctus Baſilius: atqui Petrus, Paulus, & Joannes, ſunt tantum unus homo ſecundum rationem; ſunt vero plures homines reipſa, quia plures ſunt perſonæ: igitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres Dii ſunt, ſi tres perſonæ ſunt reipſa diſtinctę.

Reſ-

Respondeo, similitudinem illam, qua usi sunt laudati Patres in subjecta materia, non esse accuratam. Est enim arctior naturæ divinæ unitas in tribus personis, quam naturæ humanæ in pluribus individuis. Hæc enim unitas dumtaxat convenientiæ est ac similitudinis: illa vero unitas individua, simpliciſſima, & infinita: quam etsi PP. agnoverint, & adstruxerint aliquando, ipsam tamen interdum œconomiæ causa dissimularunt; unitatemque speciei humanę propriam in exemplum protulere. Hac autem eo lubentius usi sunt similitudine, quo & ad Arianam hęresim refellendam sufficiebat; & ad Sabellianum errorem confodiendum accommodatior videbatur.

Præterea, S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Ablavium, huic explicandæ unitatis ejusdem essentiæ divinæ in tribus personis rationi ita constanter non adhæret, ut neget commodiores alias afferri posse. Immo profitetur maximas habiturum se gratias illis, qui divinæ gratiæ lumine illustrati, faciliorem viam difficillimæ quæstionis utcumque exponendæ invenerint. Unde iniqui non erimus in S. Gregorium Nyssenum, nec veneration ipsi debitæ deerimus, si ejus explicatione posthabita, aliam afferamus. En ejus verba: *Igitur quæstio quidem tractatu multum difficilis est: nobiscum vero, siquidem aliquid tale possemus invenire, per quod mentis nostræ ambiguitas firmaretur, & non amplius ad absurdum dilemma dubia vacillaret, atque penderet, præclare ageretur: sin autem vestra oratio proposita quæstione infirmior arguatur; traditionem quidem, quam a Patribus per successionem accepimus, servabimus in perpetuum firmatam & immotam: orationem vero quæ fidei patrocinetur, a Domino requiremus: quæ si ab aliquo eorum, qui gratia præditi sunt, inventa fuerit, gratias agemus ei qui gratiam dederit: sin minus id nobis contigerit, nihilo secius in iis quæ decreta atque statuta sunt, fidem stabilem & firmam retinebimus.*

Tertio. Ipsa Epistolæ S. Gregorii Nyssęni ad Ablavium inscriptio satis ostendit, illum Tritheitarum errorem execrari. Hunc siquidem titulum præfert: *Quod non sunt tres Dii.*

Quarto. Idem S. Gregorius in Oratione Catechetica, c. 3. ait, quod in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis *Naturæ unitas non admittit divisionem: adeo ut neque Monarchiæ dominatus scindatur in diversas dissectus unitates, neque congruat id quod dicitur cum Dogmate Judaico: sed per medium duarum opinionum procedat veritas, & utramque tollens hæresim, & ab utraque accipiens id quod est usui. Nam Judæi quidem dogma tollit, & Verbum admittendo, & credendo Spiritum: eorum autem qui stant a Græcis aboletur error multorum Deorum; ea quæ est secundum naturam unitate circumscribente, & arcente multorum phantasiam. Rursus autem ex Judaica opinione maneat naturæ unitas: ex eo autem quod Græci opinantur, sola discretio in hypostasibus, impiæ opinioni utrinque congruo adhibito remedio. Est enim veluti quædam medicina, eorum quidem, qui in uno aberrant, numerus Trinitatis: eorum autem qui sunt dispersi in multitudinem ratio unitatis.*

Eamdem Theologiam tradit S. Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 18. „ Aut silen„ tio, *inquit*, honorantur ineffabilia, aut pie numerantur Sancta. Unus Deus & Pa„ ter, & unus unigenitus Filius, & unus Spiritus Sanctus. Unamquamque personam „ singulariter efferimus: cæterum ubi numerandum est, haudquaquam indocte nume„ rando eas proferimus, quasi plures Deos intelligamus. Neque enim juxta composi„ tionem numeramus ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus, unum, duo, „ tria; neque primum, secundum, ac tertium. Ego enim Deus primus, & ego po„ sterior. Secundum autem Deum numquam ante hac, ac ne hodie quidem audimus, „ eo quod Deum ex Deo adorantes etiam proprietatem profitemur personarum, ma„ nemusque in uno Principatu, non dissipantes divinæ naturæ rationem in multitudi„ nem subdivisam: eo quod unam in Deo Patre, & Deo Unigenito formam contem„ plamur, inseparabili Deitatis essentia unitam. Filius enim in Patre, & Pater in Fi„ lio, quandoquidem hic talis est, qualis ille; & ille qualis hic: atque hac quidem „ in parte unum sunt. Itaque juxta personarum proprietatem, unus sunt, & unus: at „ juxta communem naturam, unum sunt ambo. Quando igitur si unus, & unus sunt,

„ non ſunt duo *Dii* ? Quoniam Rex dicitur Regis imago , non autem duo Reges .
„ Neque enim poteſtas ſcinditur, neque gloria dividitur.

Reſpenditur Objectionibus Michaelis Severi & Tranſylvanorum.

Objectio octava conſtat rationibus Michaelis Serveti, qui Sabellii hæreſim poſtremo ſæculo ſuſcitavit, necnon Tranſylvanorum , qui ejus impietatem ſectati ſunt. 1. Aut perſona in Deo finita eſt, aut infinita; ſi infinita , ergo una tantum ; ſi finita , ergo infinitæ perſonæ admittendæ ſunt , quæ divinæ eſſentiæ infinitudini reſpondeant.

Secundo. Vel Pater genuit Filium exiſtentem, vel non exiſtentem ; ſi primum, fruſtra genitus eſt ; ſi ſecundum, aliquando non fuit Dei Filius. Plures igitur non ſunt in Deo perſonæ unius & ejuſdem eſſentiæ. Antecedens conſtat, alterutram enim diſjunctionum veram eſſe neceſſe eſt.

Tertio. Generare eſt ſumma perfectio in vivente : hanc autem perfectionem Pater habet , Filius non habet : non ſunt igitur ejuſdem perfectionis , & eſſentiæ Filius & Pater. Unde conſequens eſt non eſſe in Deo plures perſonas ejuſdem eſſentiæ.

Quarto. Si ſint plures in Deo perſonæ, Deus erit genitus , & non genitus , quod contradictionem involvit. Evidens eſt conſecutio , quia Pater ingenitus, Filius genitus erit.

Confirmatur. Vel genitum , & ingenitum ſignificant accidens , vel ſubſtantiam. Si primum, Deus igitur accidentium eſt capax. Si ſecundum , ſubſtantia igitur Filii diſtincta erit a ſubſtantia Patris. Plures igitur non erunt perſonæ unius eſſentiæ ; aut Deorum invehetur multitudo.

Quinto. Si tres perſonæ ſint unum in eſſentia, quaternitas in Deo admittenda eſt. Cum enim eſſentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quatuor nomina ſint nequaquam ſynonyma, res plane quatuor ſignificant.

Confirmatur. In Deo nihil eſt præter eſſentiam & relationem ; ſed nec eſſentia , nec relatio generant, aut generantur : nihil ergo in Deo generans , aut genitum eſt : ac proinde plures in Deo non ſunt perſonæ.

Sexto. *Quæ ſunt eadem uni tertio , ſunt eadem inter ſe* ; iſtudque principium eſt per ſe notum, & totius artis ratiocinandi baſis : ſed Pater & Filius ſunt eadem res cum eſſentia divina ; ſunt igitur eadem res inter ſe . Unde conſequens eſt non eſſe perſonas reipſa diſtinctas.

Reſp. ad primum, Perſonam divinam infinitam eſſe. Nego tamen inde ſequi, qu ſit unica : ſed ſolum colligitur unam eſſe trium perſonarum ſummam & indiviſam perfectionem.

Contra . Deus unus eſt , quia infinite perfectus eſt ; cum igitur divina perſona ſit infinite perfecta, nonniſi una erit.

Reſp. nego conſequens. Unus enim Deus alterius perfectionem omnem non contineret : at una perſona continet omnium aliarum perfectionem , propter unitatem ejuſdem eſſentiæ, & ratione circuminſeſſionis. „ Eſt enim Filius in Patre, *inquit S. Athaſius , Oratione contra Arianos*, quatenus intelligere licet eo ipſo, quod totum id „ quod eſt Filius, ſubſtantiæ Patris proprium eſt : quemadmodum ex luce ſplendor, „ & ex fonte fluvius. Adeo ut qui videt Filium , videat id quod proprium eſt Patris, „ & intelligat eſſe Filii ex Patre derivari, & ſic in Patre eſſe . Eſt autem & in Patre Filius, quoniam quod Patris proprium eſt, hoc ipſum eſt Filius : ſicut in ſplendore Sol, & in Verbo mens, & in fluvio fons. Ad hunc enim modum, qui contemplatur Filium , contempla tur id quod Patris ſubſtantiæ proprium eſt, & agnoſcit Patrem ineſſe Filio. Nam cum id quod proprium eſt, nempe divinitas Patris , ſit eſſe „ Filii, conſequens eſt ut & Filius in Patre ſit , & Pater in Filio. Etenim propterea „ merito cum ante dixiſſet : Ego & Pater unum ſumus ; adjecit : Ego in Patre , & „ Pater in me ; ut & identitatem divinitatis, & ſubſtantiæ unitatem oſtenderet.

Reſp. ad ſecundum. Patrem genuiſſe Filium ſemper exiſtentem , quia ſemper genuit. Nec ſequitur quod fuerit fruſtra genitus, quia æterna fuit ejus generatio, ut Patri coæternus eſſet. *In principio erat Verbum*, inquit S. Joannes, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Quo oraculo omnis illius objectionis argutiola diſſipatur :

Qui

Qui enim non existentem eum dicit, Qui in principio est, inquit S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, *nec sensum principii custodit, nec ipsi principio subsistentiam Unigeniti conjungit. Nihil enim excogitari potest principio antiquius; & esse Dei Verbi inseparabile est a principio. Quare quantumcumque volueris inutili mentis requisitione retro currere, pertransire tamen illud, Erat, & ultra illud ferri cogitationibus non poteris.*

Et infra. *Sed si erat*, inquit, *genitus non est. Respondeamus ergo: Immo quoniam genitus est, erat, cum ingenitum esse non habeat: existens semper & coexistens Patri, a quo etiam habet subsistentiæ causam. Quando igitur ad esse a Patre productus est? Ex quo Pater fuit. Sed ab æterno, inquit, Pater: ab æterno ergo & Filius, per generationem ingenitæ Patris naturæ conjunctus.*

Resp. secundo cum S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 35. Patrem neque genuisse Filium existentem, neque non existentem, *Sed argumentari pergunt*, inquit, *Existentem, vel non existentem genuit Pater? O futiles nugas! Hæc enim mihi ac tibi conveniunt, qui partim eramus, ut Levi ille in lumbis Abrahæ, partim procreati sumus, ac proinde partim ex entibus, partim ex non entibus sumus. At hæc generatio cum essentia ipsa concurrit, atque a principio extitit. Quid eo quod a principio erat, antiquius esse potest: ut illic tempus collocemus, vel quo erat Filius, vel quo non erat? Utroque enim modo illud*, a principio, *dissolvetur, & evertetur .... Ego quidem neutrum horum admitto: Quæstionem hanc tuam, absurditatis multum, difficultatis nihil habere ajo.*

Ad probationem antecedentis respondeo, quasdam esse propositiones disjunctivas, quarum neutra pars vera est. *Quod si tu*, inquit idem Pater, *juxta tuas Dialecticas sententias, in omni argumento in alterutram disjunctionem veram esse oportere existimas, parvam quamdam interrogatiunculam a me accipe. Tempus est ne in tempore, an non? Si in tempore, quo tandem? Quidque præter hoc existente? Quoque modo hoc continente? Si autem in tempore, quæ hæc eximia sapientia, tempus temporis expers inducere? Age hujus sermonis. Nunc ego mentior, da alterum, aut dumtaxat verum esse, aut falsum. Atque nullo modo hoc fieri potest. Vel enim mentiens verum dicet, vel mentietur verum dicens. Quid igitur mirum, si quemadmodum hic contraria concurrunt, ita etiam illic utraque pars a vero aberret? Ac velim, mihi hoc Ænigma solvas: Aderasne tibi, cum gignereris? Adesne etiam nunc tibi? An neutrum horum? Si enim aderas, & ades, quisnam tandem, & cui? Et quomodo unus, duo effectus es? Si autem neutrum horum, quomodo a te ipso disjungeris? Et quæ disjunctionis hujusce causa? Sed ineptum est, inquies, cum de uno disputatur, adsitne tibi, necne, curiosius inquirere. Hæc enim in aliis, non in nobis ipsis dicuntur. Ineptius, mihi crede, est, id, quod a principio erat, utrum ante generationem erat, necne, in quæstionem vocare. Hæc enim disputatio iis demum convenit, quæ tempore dividi possunt.*

Ad idem argumentum fuse respondet Sanct. Hilarius lib. 12. de Trinitate, ubi de æterna Filii Nativitate differens, ait: *Id ipsum Unigenito Deo esse proprium Evangelista testatur, cum in principio erat Verbum, cum apud Deum hoc erat, & cum lumen verum, & cum Unigenitus Deus in sinu Patris est, & cum Jesus Christus super omnia Deus est. Erat igitur, atque est: quia ab eo est, qui quod est, semper est. Ab eo autem esse, id est, ex Patre esse, Nativitas est. Esse autem semper ab eo qui est semper, æternitas est. Æternitas vero non ex se, sed ex æterno: ex æterno autem nihil aliud quam æternum: Quod si non æternum, jam nec Pater, qui generationis est auctor, æternus est, &c.*

Eamdem objectionem absurditatis convincit S. Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, Assertione 4.

Respondeo ad tertium, Summam perfectionem, quæ est generatio, Filio non deesse, nec tamen Filium generare. *Deesse nihil dicimus*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. *Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, mutuæque eorum Relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio) nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. Sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec essentiæ summissionem, quin*

potius ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur; atque ita inconfusa trium personarum distinctio, in una divinitatis natura & dignitate conservetur.

Itaque omnis perfectio divinæ generationis est in Filio, quia in eo eadem essentia est, cum qua generatio identificatur. Sed Filius non generat, quia generare spectat ad proprietatem Patris. Hinc S. Ambrosius lib. 4. de Fide ad Gratianum, simile Arianorum argumentum solvens, ait, *Cur, inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est; nec Pater minus habet quia Filius non est. Dixit enim Filius; Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis.*

Respondeo ad quartum, nego consecutionem majoris. Erit enim Deus ingenitus, & genitus, quod non repugnat: sed non erit genitus, & non genitus. Hæ propositiones, *Deus est genitus*, *Deus non est genitus*, sunt contradicentes; unde altera falsa est. Namque cum dicitur, *Deus est genitus*, τὸ Deus supponit pro Filio; cum dicitur, *Deus non est genitus*, supponit pro personis omnibus indistincte; & hic fit sensus: Nulla personarum divinarum est genita. Hæ autem Propositiones sunt contradictoriæ: Aliqua persona divina est genita, scilicet Filius: Nulla persona divina est genita. Hæ vero, *Deus est genitus*, *Deus est ingenitus*, non sunt contradictoriæ, quia in prima hæc vox, *Deus*, pro Filio; in altera, pro Patre supponit. Hinc S. Gregorius Nazianzenus argumentum istud solvens Oratione 35. ait: *Quomodo ingenitum & genitum non idem esse dicis? Si per hæc verba nihil aliud intelligis, quam id quod increatum, & quod creatum, in eadem ipse quoque sum sententia. Neque enim natura idem est, quod principio caret, & quod procreatum est. Sin autem his verbis, eum qui genuit & eum qui genitus est, accipis, haudquaquam recte id abs te dicitur. Idem enim omnino esse necesse est. Hæc quippe geniti natura est, ut idem, si naturam spectes, sit cum eo qui genuit. Vel ad hunc rursus modum agamus: Quid per ingenitum, ac genitum intelligis? Si ipsam ingeniti & geniti proprietatem, non idem sunt: sin autem ea quibus hæc insunt, quid vetat quominus idem sint?*

Ad confirmationem respondeo, *genitum* & *ingenitum*, nec accidens, nec substantiam significare. Quod non significent accidens, evidens est, quia Deus incapax est accidentium. Quod non importent substantiam, viginti rationibus probat invictissime S. Cyrillus Alexandrinus, in Thesauro Assertione 4. *Ingenitus* igitur, *non substantiam*, *sed existendi modum* significat, ut probat S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, p. 92. & sequentibus. Clarius id explico. *Genitus*, relationem significat, quippe cum sit idem quod Filius: *Ingenitus* vero, negationem relationis. Nam ut ait S. Augustinus lib. 5. de Trinitate, c. 7. *Nullum prædicamenti genus est, secundum quod aliquid ajere volumus, nisi ut secundum idipsum prædicamentum negare convincamur, si præponere negativam particulam voluerimus. Quæ cum ita sint, si substantialiter ajerem, dicendo, Filius, substantialiter negarem, dicendo, non Filius. Quia vero relative ajo, cum dico, Filius est: ad Patrem enim refero: relative nego, si dicam, Non Filius est: ad parentem enim eamdem negationem refero, volens ostendere quod ei parens non sit. At si quantum valet quod dicitur, filius, tantumdem valet quod dicitur, genitus: tantumdem ergo valet quod dicitur, non genitus, quantum valet quod dicitur, non Filius. Relative autem negamus, dicendo non Filius; relative igitur negamus, dicendo non genitus. Ingenitus porro quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex Genitore sit, ita cum dicitur, ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relativum vocatur, utraque significatio vertitur. Quod autem relative pronuntiatur, non indicat substantiam. Ita quamvis diversum sit, genitus, & ingenitus, non indicat diversam substantiam: quia sicut Filius ad Patrem, & non filius, ad non Patrem refertur: ita genitus, ad Genitorem, & non genitus, ad non genitorem referatur necesse est.*

Ad quintum respondeo, nego consecutionem antecedentis. Ad probationem dico, hæc nomi-

nomina, *Essentia*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, non esse synonima, nec tamen res quatuor significare, sed rem unam absolutam, tres relativas. Quæ cum ab absoluta illa indistinctæ sint, non quaternitas, sed Trinitas adoratur. Hinc S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 5. ait: *Res igitur quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea.*

Et Concilium Lateranense IV. cap. 2. definit, *Quod una quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quę veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quęlibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quę sola est universorum principium, prętер quod aliud inveniri non potest.*

Res nihilominus tres relativæ in Deo sunt, ut docet S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi c. 3. *Nihil*, inquit, *prohibet dicere, Patrem, & Filium esse duas res, si tamen intelligatur cujusmodi sunt res: non enim sic sunt Pater & Filius duę res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.*

Ad confirmationem respondeo. Relationem subsistentem, seu personam in Deo generare, & generari; non vero essentiam: de qua laudatum caput Lateranensis Concilii sic definit adversum Joachimum Abbatem: *Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit: nt distinctiones sint in personis, & unitas in natura.*

Ad sextum respondeo, prætermissis exceptionibus, quæ a Scholasticis ad hujusce limitationem principii afferri solent, nimirum, *Quę sunt eadem uni tertio, eadem esse inter se*: Si sint eadem cum illo tertio re & ratione, si sint eadem cum illo adæquate, si tertium illud sit incommunicabile: his, inquam, prætermissis, respondeo hoc effatum Philosophiæ, locum non habere in Mysteriis, quæ cum rationem superent, Philosophiæ Decretis non sunt explicanda, sed Scripturæ sacræ, & Traditionis oraculis. Certe commune est Philosophiæ effatum, *Ex nihilo nihil fit*: Istud tamen suam exceptionem habet, ac in iis dumtaxat quæ naturaliter agunt, verum esse illud fatentur Theologi, & Philosophi Christiani; aliam autem esse dicunt Conditoris rationem, qui quod vult sola voluntate perficit. Ita de illo principio dicenduni est, verum esse in iis quæ sunt secundum humanam rationem: non in iis quæ supra rationem esse exploratum est. Unde S. Cyrillo Alexandrino auscultandum est lib. 2. in Joannem, p. 99. dicenti: „ Si nihil inter nos & Deum est discriminis, divina nostris metiamur. „ Sin autem incomprehensibile est intervallum, cur naturæ nostræ defectus, canonem, „ & regulam, ac normam Deo præfiniunt, ex eis quæ nobis impossibilia sunt, neces„ sitati subjicientes naturam omni necessitate potiorem?

DISSERTATIO XXVI.

Adversus Manichæos.

MAnichæorum palmarem errorem, de duobus Principiis, impugnavimus in Panoplia adversus hæreses secundi Sæculi, cum egimus adversus Marcionem: alterum hic suscipimus evertendum, quo adversus liberum arbitrium pugnaverunt.

QUÆSTIO UNICA.

De libero Arbitrio hominis ad peccandum.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum libero arbitrio prędituſ ſit homo, quo peccatum vitare poſſit?

* *Lutherus lib. 4. de ſervo Arbitrio & in aſſertione articulorum a Leone X. damnatorum. Calvinus libro 2. Inſtitut capp. 2. 3. & 5. lib. 2. de Libero Arbitrio contra Pighium, & in Antidoto ad Artic. 2. Pariſienſium Theologorum.*

NOn adverſus Manichæos tantum, verum etiam contra Lutheranos & Calviniſtas * diſputare aggredimur, qui liberum arbitrium figmentum eſſe, ac inane ſimulacrum, & titulum ſine re, juxta ſuorum doctrinam Magiſtrorum contendunt; & voluntatem neceſſitate in malum trahi, neceſſarioque peccare hominem. Diſputamus & contra Janſenium Yprenſem, ejuſque partiarios ad Calvinum proxime accedentes. Hic enim lib. 3. de ſtatu Naturæ Lapſæ propugnat, primi hominis peccato periiſſe non ſolum libertatem ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendi a peccato, & loco illius libertatis inductam eſſe peccandi neceſſitatem; & indifferentiam ad bonum & malum eſſe penitus amiſſam.

PROPOSITIO.

Hominem libero prędituſ eſſe arbitrio, quo & bonum operari, & peccata vitare poſſit, veritas eſt, Scripturę ſacrę teſtimoniis, & omnium Sęculorum, ab Apoſtolicis temporibus, Traditione firmata, necnon Eccleſię judicio decreta.

Liberum hominis arbitrium probatur ex Scripturis.

PRobatur prima pars, proferendo Scripturæ divinæ loca, quæ S. Auguſtinus lib. de Gratia & libero Arbitrio congerit, c. 2. quod caput maxima ex parte repræſentare operæ pretium eſt. „ Revelavit autem nobis, *inquit*, Deus per Scripturas ſuas „ ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, „ commemoro vos, non humano eloquio, ſed divino. Primum quia ipſa divina præce„ pta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea fa„ ciens, ad promiſſa præmia perveniret. Ideo enim data ſunt, ut homo excuſationem „ de ignorantia non haberet: ſicut Dominus in Evangelio dicit de Judæis: Si non ve„ niſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem „ non habent de peccato ſuo . . . Et liber Eccleſiaſticus dicit: Ipſe ab initio fecit il„ lum, & reliquit in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem „ bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam: ad quodcumque volueris, extende ma„ num tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur „ ei. Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid „ illud, quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quo„ modo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Pſalmus dicit, „ quod in Lege Domini fuit voluntas ejus; nonne ſatis indicat voluntate ſua hominem „ in Lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata, quæ ipſam quodammodo no„ minatim conveniunt voluntatem: ſicut eſt, Noli vinci a malo, & alia ſimilia; ſi„ cut ſunt, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Et, Noli re„ pellere conſilia matris tuæ. Et, Noli eſſe ſapiens apud teipſum. Et, Noli deficere „ a Diſciplina Domini. Et, Noli negligere Legem. Et, Noli abſtinere benefacere egen„ ti. Et, Noli fabricare in amicum tuum mala. Et, Noli intendere fallaci mulieri. „ Et, Noluit intelligere ut bene ageret. Et, Noluerunt accipere Diſciplinam; & in„ numerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid oſtendunt, niſi libe„ rum arbitrium voluntatis humanæ? In Libris etiam Novis, Evangelicis, & Apoſto„ licis, quid aliud oſtenditur, ubi dicitur: Nolite vobis condere theſauros in terra. „ Et. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et, Qui vult venire poſt me, abneget „ ſemetipſum. Et, quod dicit Apoſtolus Paulus: Quod vult faciat; non peccat ſi nu„ bat: qui autem ſtatuit in corde ſuo non habens neceſſitatem, poteſtatem autem ha-

„ bens

„ bens ſuæ voluntatis, & hoc ſtatuit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit.
„ Item dicit: Si autem volens hoc facio, mercedem habeo. Et alio loco: Sobrii eſto-
„ te juſte, & nolite peccare. Et iterum: Ut quemadmodum promptus eſt animus vo-
„ luntatis, ita ſit & perficiendi, *&c.* Nempe ubi dicitur; Noli hoc, & noli illud,
„ & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis
„ exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur in cor-
„ de ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat. " Imprudens ſum ſi præteream inſi-
gnem illum Geneſeos locum, ubi Deus Cainum jam inviſum ſibi, & in Sacrificio pro-
pterea deſpectum, ſic alloquitur: „ Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Non-
„ ne ſi bene egeris recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed
„ ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. " Conſtat Cainum, ante medi-
tatam fratris necem, peccatum aliquod admiſiſſe. Id enim in prima Canonica S. Joan-
nes ſignificat. „ Non ſicut Cain, *inquit*, qui in maligno erat, & occidit fratrem ſuum.
Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem juſta.
At hunc ipſum ſceleratum, ſervumque peccati, Deus pronunciat ſub ſe habere concu-
piſcentiam, eique poſſe dominari. Quem locum S. Hieronymus in Traditionibus He-
braicis ſic enarrat; „ Tu dominaberis illius, nempe peccati. Non te invitum ſubjicere
„ poterit illius cupiditas: ſed, ſi vis, ſuperabis.

Quæ verba item S. Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel, ſic expendit, cap. 7. „ Non
„ habes quod excuſes. Non habes in quo neceſſitatem magis, quam mentem tuam ar-
„ guas. In te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non
„ te invitum, non imprudentem error attraxit: ſed voluntarius reus, judicio, non la-
„ pſu, feciſti dolum, quo te divinæ injuriæ reum ipſe convincis.

Probatur ſecunda pars teſtimoniis locupletiſſimis Sanctorum Patrum, qui ab Apoſto- *Liberum*
lorum ætate hanc ad poſteros Traditionem tranſmiſerunt. Primus occurrit S. Juſtinus *hominis*
Martyr Apologia 2. „ Sed enim, *inquit*, quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum *arbitrium*
„ genus ab initio creavit Deus, juſto judicio pro peccatis ſuis ſupplicium in igne ſem- *probatur*
„ piterno reportabunt. Illa quippe ortæ cujuſque rei natura eſt, ut virtutis & vitii *ex Tradi-*
„ ſit capax, neque quidquam eorum quæ creata ſunt, laude dignum eſſet, niſi vim *tione.*
„ ac poteſtatem altero verſum ſe convertendi obtineret.

Et Apologia 1. ad Antoninum Imperatorem, p. 80. „ Supplicia, *inquit*, & crucia-
„ tus, necnon remunerationes optatas, pro operum meritis unicuique retribui, per Pro-
„ phetas edocti, id quod in vero eſt, conſtituimus. Nam ſi hoc non ſit, ſed fato om-
„ nia fiant, nihil etiam plane in noſtra fuerit poteſtate ſitum. Si enim fatale ſit, hunc
„ quidem eſſe bonum, illum vero malum: neque ille fuerit probandus, neque hic
„ reprehendendus; Ac niſi arbitrio libero, & ad turpia fugienda, & ad honeſta digi-
„ genda, facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in cauſa ſive culpa qualium-
„ cumque demum factorum. Sed enim libero id delectu, tum recte per virtutem vi-
„ vere, tum per peccatum labi, ad hunc demonſtramus modum. Hominem eumdem
„ ad contraria ſubinde tranſire videmus. Quod ſi fato deſtinatum eſſet eum vel ma-
„ lum, vel bonum eſſe, non ille umquam contrariorum capax eſſet, nec toties muta-
„ retur. Sed neque alii quidem eſsent boni, alii autem mali: & fatum ita malorum cau-
„ ſam eſſe, atque ſibi ipſi contraria facere ſtatueremus: aut illud, quod antea diximus,
„ in vero eſſet, nihil eſſe neque virtutem, neque vitium, & opinione tantum bona
„ vel mala exiſtimari.

Secundus occurrit in ordine Patrum S. Irenæus, qui liberi arbitrii hoſtes confodit,
lib. 4. adverſus Hæreſes, c. 71. „ Aliud autem, *inquit*, quod ait *Chriſtus*, Quoties vo-
„ lui congregare filios tuos, & noluiſti? Veterem Legem libertatis homini manifeſta-
„ vit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem ſuam poteſtatem, ſicut &
„ ſuam animam, ad utendum ſententia Dei voluntarie, & non coactum a Deo. Poſuit
„ autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum in Angelis.

Et c. 72. „ Si igitur non in nobis eſſet facere hæc, aut non facere; quam cauſam habe-
„ bat Apoſtolus, & multo prius ipſe Dominus, conſilium dare, quædam quidem face-
„ re, a quibuſdam vero abſtinere? Sed quoniam liberæ ſententiæ ab initio eſt homo,

„ & li-

„ & liberæ ſententiæ eſt Deus, cujus ad ſimilitudinem factus eſt, ſemper conſilium
„ datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ eſt ad Deum, obedientia.
„ III. Eidem veritati ſuffragatur Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum. „ Quo-
„ niam, *inquit*, libera electio & appetitio peccata primum inchoat, jure infliguntur
„ ſupplicia.

IV. Eamdem Tertullianus confirmat lib. 2. contra Marcion. cap. 7. „ Ut ergo, *in-*
„ *quit*, bonum jam ſuum haberet homo emancipatum ſibi a Deo, & fieret proprietas
„ jam boni in homine, & quodammodo natura, de inſtitutione adſcripta eſt illi, quaſi
„ libripens emancipati a Deo boni, libertas & poteſtas arbitrii, quæ efficeret bonum
„ ut proprium jam præſtari ab homine; quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret vo-
„ luntarie exercendæ, ex libertate ſcilicet arbitrii, non favente inſtitutioni, non ſer-
„ viente: ut ita demum bonus conſiſteret homo, ſi ſecundum inſtitutionem quidem,
„ ſed ex voluntate jam bonus inveniretur, quaſi de proprietate naturæ: proinde ut &
„ contra malum fortior homo prætenderet, liber ſcilicet & ſuæ poteſtatis: quia ſi ca-
„ reret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, ſed neceſſitate, uſurpabi-
„ lis etiam malo futurus eſſet ex infirmitate ſervitii, proinde & malo, ſicut bono, fa-
„ mulus. Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui Do-
„ minus conſtanter occurreret, bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando: quoniam
„ & alias poſitum hominem ſub Judicio Dei, oportebat juſtum illud efficere de arbi-
„ trii ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces, jure penſare-
„ tur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate. In hoc
„ & lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem, de obſequio ſponte præ-
„ ſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda: ita & in utrumque exitum libertas
„ patuit arbitrii.

V. Idem probatur ex Origene lib. 6. in Epiſtolam ad Romanos. *Hoc eſt ergo*, inquit, *quod hoc in loco Apoſtolus docet: quia unuſquiſque in manu ſua habet & in arbitrii poteſtate, ut aut peccati ſervus ſit, aut juſtitiæ. Ad quamcumque enim poteſtatem inclinaverit obedientia, & cuicumque parere voluerit, hęc ſibi eum vendicat ſervum. In quo, ut dixi, abſque nulla cunctatione in nobis eſſe oſtendit arbitrii libertatem. In nobis namque eſt exhibere obedientiam, vel juſtitiæ, vel peccato. Nam & ipſi nos exhibemus, nullo cogente, vel peccato ſervire, vel juſtitiæ, per obedientiam noſtram. Et ideo ſemper horum memmiſſe debemus, ne inanes querelas in peccati excuſatione proferamus; quod diabolus fecit, ut peccatorem, aut naturę neceſſitas, aut fatalis conditio, aut curſus aſtrorum efficiat.* Lege eumdem in Proęmio Operis de Principiis, & Homilia 20. in librum Numerorum.

VI. Idem probatur ex S. Cypriano Epiſt. 55. ad Cornelium data, ubi de Chriſto a quibuſdam ſuorum Diſcipulorum deſerto, ait: „ Et tamen ille non increpuit receden-
„ tes, aut graviter comminatus eſt; ſed magis converſus ad Apoſtolos ſuos dixit:
„ Numquid & vos vultis ire? ſervans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus,
„ & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem.

VII. Idem probatur ex S. Athanaſio in Oratione contra Gentes, p. 4. ubi de anima
„ ſic loquitur: „ Movetur igitur, ſed jam non ſecundum veritatem, neque Deum ſpe-
„ ctat, ſed res nihili, eaſque veras ac ſolidas arbitrata eſſentias, vires ſuas occupat,
„ iiſque ad eas, quas commenta eſt, voluptates abutitur, ideo, quod libera ſit, & ſui
„ arbitrii. Poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.... Quæ cum
„ liberum ſui jus arbitriumque intuetur, & ſentit ſe in utramque partem corporeis
„ membris uti poſſe, tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt. Ea autem quæ
„ ſunt, appello bona: quæ non ſunt, mala.

VIII. Idem probatur ex Euſebio Cæſareenſi lib. 6. Præparationis Evangelicæ, c. 6. qui locus inſignis eſt, ſed quia prolixior, ab eo referendo abſtinemus.

IX. Eidem veritati ſuffragantur S. Baſilius Homilia 31. de libero Arbitrio, S. Gregorius Nyſſenus in Oratione Catechetica, c. 30. & 31. S. Hilarius in Enarratione Pſalmi 2. S. Epiphanius Hæreſi 16. quæ eſt Phariſæorum, S. Chryſoſtomus Homilia 23. in Geneſim, & Homilia 14. in Epiſt. 1. ad Corinthios, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4.

contra Julianum, p. 140. & alibi passim, S. Basilius Seleuciensis Oratione tertia, quæ est secunda de Adamo, S. Ambrosius lib. 6. Commentarii in Lucam, S. Hieronymus Epist. 146. ad Damasum data lib. 2. contra Jovinianum & in Epist. ad Ctesiphontem contra Pelagianos, Nemesius Christianus Philosophus lib. de Natura hominis, capp. 39. 40. & 41. Quorum loca, insignia licet ac luculenta, studio brevitatis omittimus.

X. Sed nemo Sanctorum Patrum pro libero arbitrio fortius S. Augustino pugnavit. Legendi sunt tres ejus libri de libero Arbitrio, contra Manichæos conscripti, & notandus maxime iste locus lib. 3. c. 18. „ Reminiscere superiorum, quæ a nobis tam multa de peccato & voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare „ memoriæ, hoc brevissimum tene ... Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei „ potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut „ caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo „ quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: Caveri igitur potest.

Et c. 19. illis respondens qui nobis imputari peccata non posse effutiebant, quia cum ignorantiæ cœcitate & difficultatibus cruciantibus nascimur, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, præcepta justitiæ implere non valemus, hæc habet: „ Recte fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: „ cum vero ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod „ invitus ignoras: sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare, contemnis. Ista tua propria peccata sunt.

Catholico de Arbitrii libertate dogmati æque suffragatur libro de vera Religione c. 14. „ Defectus autem iste, *inquit*, qui peccatum vocatur, si tamquam febris invitum „ occuparet, recte injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut „ nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum „ est, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut „ negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi ..... „ Postremo, si non voluntate male facimus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus, quibus sublatis, Christiana Lex & Disciplina omnis Religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo „ fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

Et lib. de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 11. „ Peccatum, *inquit*, est „ voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quamquam si liberum non sit, non est voluntas. Sed malui crassius, quam „ scrupulosius definire eam rem. Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia „ velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant „ & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in „ Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod si nemo vituperatione, vel damnatione dignus est, aut „ non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest non faciens; omne autem „ peccatum vel vituperandum est, vel damnandum: quis dubitet tunc esse peccatum, „ cum & velle injustum est, & liberum nolle?

Et c. 12. „ Dicere animas, & esse malas, & nihil peccare, plenum est dementiæ: „ dicere autem peccare, sine voluntate, magnum deliramentum est; & peccati reum „ teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & „ insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt: „ id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum, motu animi carent; si deni-

„ que

„ que his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non „ poſſumus. „ Lege eumdem *lib.* de Actis cum Felice Manichæo, *c.* 3. & 4.

Idem Fidei Catholicæ dogma confirmatur ex controverſia S. Auguſtini & Eccleſiæ Catholicæ cum Pelagianis. Admittebant infenſiſſimi illi gratiæ Chriſti hoſtes *Liberum Arbitrium* in homine & per illud *non ſolum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina, humanam ſibi ſufficere naturam*, ut conſtat ex Epiſt. 95. S. Auguſtini ad Innocentium Primum Pontificem Maximum, ex libro de Spiritu & Litera, c. 2. & ex aliis locis. Quid ad hæc S. Auguſtinus? Arguitne Pelagianos erroris, quantum ad hoc quod liberum arbitrium propugnarent? Nequaquam; ſed quantum ad hoc dumtaxat, quod gratiæ neceſſitatem negarent. Liberum vero arbitrium cum ipſis confitetur. Sic enim habet Epiſtola mox laudata: *Ad non peccandum, id eſt, ad non male faciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficit, niſi adjuvetur infirmitas.*

Et libro de Spiritu & Litera, c. 3. „ Nos autem dicimus, *inquit*, humanam volun„ tatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut præter quod creatus eſt ho„ mo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur quemad„ modum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delecta„ tio, dilectioque ſummi illius atque incommutabilis boni, quod Deus eſt.

Denique in lib. 2. de Nuptiis & concupiſcentia, c. 3. cum Julianus quereretur negari a Catholicis liberum arbitrium: quod ſi quis aſſereret, ſtatim *Cœleſtianum & Pelagianum vocari*: ita inter cætera occurrit S. Auguſtinus: *Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium Conditorem, utrique dicimus: Non hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani: Liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non erui parvulos a poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani.*

Legendi etiam S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de Fide Orthodoxa, capp. 25. 26. 27. & 28. & S. Bernardus in Tractatu de Gratia & libero Arbitrio.

Liberum hominis arbitrium probatur ex Eccleſiæ definitione.

Probatur tertia pars propoſitionis, quod ſcilicet Eccleſiæ Judicio declaratum ſit, hominem eſſe libero præditum arbitrio: primo namque id teſtantur SS. Patres, qui Manichæos hæreticos vocant, non ob alia tantum errorum flagitia; verumetiam ob negatum liberum arbitrium.

Secundo, id conſtat ex Innocentio Primo in Reſcripto ad Concilium Carthaginenſe. *Quid tam mortiferum*, inquit, *tam præceps videatur ad caſum, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium nocum naſceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quæramus: id eſt, Auctoris noſtri obliti, ejus potentiam, ut nos oſtendamus liberos, abjuremus: quaſi jam amplius quod dare poſſit non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit?*

III. Id conſtat ex Cœleſtino Primo Pontifice Maximo in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ſive in Collectione auctoritatum ipſis adnexa, c. 9. ubi de gratia Dei ſic loquitur: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur: ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum.*

IV. Id conſtat ex Concilio Arauſicano II. Canone 13. ita decernente: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi. Unde veritas ipſa dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*

V. Id conſtat ex Bulla Leonis X. adverſus Lutherum: in qua inter damnatos illius Hæreſiarchæ Articulos hic habetur 31. *Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo.*

VI. Denique Concilium Tridentinum, Seſſione 6. tribus Canonibus Catholicam de libero arbitrio doctrinam firmavit. Canone 4. ſic habet: *Si quis dixerit, Liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.*

Canon

Canon V. ita decernit: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.*

Tandem Canon ſextus libertatem ad peccandum ineſſe homini declarat: *Si quis*, inquit, *dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit ejus proprium opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.*

Objiciuntur primo teſtimonia Scripturæ Sacræ, quibus Hæretici liberum arbitrium impugnant. Primum eſt illud Jeremiæ 10. *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Non eſt igitur homo ſuarum actionum dominus, adeoque non eſt liber.

Secundum eſt illud Chriſti Servatoris oraculum Joannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Ubi verbum iſtud, *traxerit*, necetatem ſignificat peremptricem libertatis. Item illud Joannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, libertati repugnare videtur.

Tertium eſt illud Joannis 8. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati:* & illud Apoſtoli 2. ad Timotheum 2. *Reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ad ipſius voluntatem.* Atqui ſervitus, & captivitas perimunt libertatem: non eſt igitur in homine peccatore liberum arbitrium.

Hæreticorum objectionibus contra liberum arbitrium reſpondetur.

Reſpondeo ad primum, Jeremiam loqui de actionibus externis, quæ variis eventibus impediri poſſunt quos humana prudentia prævidere aut avertere non poteſt. Unde hujus loci ſenſus eſt, non eſſe ſemper in hominis poteſtate ut conſilia ſua optatum ad exitum perducat, & quæ propoſuit feliciter exequatur. Cæterum in hominis poteſtate vias ejus eſſe, id eſt, liberi eſſe in omnibus operationibus ſuis arbitrii, conſtat ex verbis ejuſdem Prophetæ, cap. 18. *Dirigite*, inquit, *vias veſtras, & ſtudia veſtra.*

Reſpondeo 2. non eſſe in homine ut dirigat greſſus ſuos abſque gratia Dei; ſed ipſum gratia divina præveniente & adjuvante, in via ſalutis progredi poſſe: at ſeipſo poſſe peccatum admittere. Qua de re S. audiendus eſt Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione, c. 17. *Quapropter*, inquit, *niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt, ſed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus quod dictum eſt: Quid enim habes quod non accepiſti?* Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala: bona vero voluntas ex nobis eſt, melius eſt id quod a nobis, quam quod ab illo eſt. Quod ſi abſurdiſſime dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipiſci . . . Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, reſtat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioqui neſcio cum ab eo juſtificamur, quo alio munere ipſius gaudere debeamus. Et hinc ſcriptum arbitror: Paratur voluntas a Domino. Et in Pſalmis: A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Et quod Apoſtolus ait: Deus eſt enim qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod a Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quod vero ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona.

Ad ſecundum reſpondeo, Patrem homines trahere ut ad Chriſtum veniant, illæſa ipſorum libertate: unde illa verba, *Niſi Pater traxerit eum*, neque vim neque neceſſitatem voluntati illatam ſignificant, ſed operationem divinæ gratiæ potentiſſimam. Qua de re audire Sanctum Auguſtinum Tractatu 26. in Joannem, operæ pretium eſt. *Noli*, inquit, *te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, & a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti ſunt, in hoc Scripturarum ſanctarum Evangelico verbo forſitan reprehendamur, & dicatur nobis; Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico: Parum eſt voluntate ire; etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœle-*

leſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas ; non neceſſitas , ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio; quanto furtius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum , qui delectatur veritate, delectatur beatitudine , delectatur juſtitia , delectatur ſempiterna vita quod totum Chriſtus eſt? . . . Ramum viridem oſtendis ovi , & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Et quia quo currit trahitur , amando trahitur , Sine læſione corporis trahitur , cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt , quoniam verum eſt: Trahit ſua quemque voluptas : non trahit revelatus Chriſtus a Patre ? Quid enim fortius deſiderat anima quam veritatem? . . . . Videte quomodo trahit Pater : docendo delectat , non neceſſitatem imponendo, &c. Ecce quomodo trahit: Erunt omnes docibiles Dei: Trahere Dei eſt. Omnis qui audivit a Patre , & didicit , venit ad me : Trahere Dei eſt.

Ad verba Chriſti, Joannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, reſpondeo , illis evinci hominem ſeipſo & propriis viribus nihil boni agere poſſe, & gratia indigere divina ad omnium bonorum operum initium, progreſsum, & conſummationem. Sed ex illis inferri non poteſt, illum gratia Dei præventum & adjutum, nihil agere, vel non agere libere: aut ſeipſo, & liberi arbitrii propenſione præcipitem non labi in peccatum. Ita hunc locum explicat S. Auguſtinus Tractatu 81. in Joannem. *Ne quiſquam putaret*, inquit, *ſaltem parvum aliquem fructum poſſe a ſemetipſo palmitem ferre , cum dixiſſet, Hic fert fructum, non ait; Quia ſine me parum poteſtis facere; ſed, Nihil poteſtis facere. Sive ergo parum attulerit palmes , eum purgat agricola ut plus afferat. Tamen niſi in vite manſerit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum a ſemetipſo non poteſt ferre. Quamvis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet : tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet, niſi Deus eſſet. Verum quia ita ſine iſta gratia non poteſt vivi, ut & mors in poteſtate ſit liberi arbitrii, &c.*

Ad tertium reſpondeo diſtinguo minorem. Servitus & captivitas perimunt libertatem; aliqua concedo; omnis nego. Servitus peccati perimit libertatem a peccato, ſervitus miſeriæ perimit libertatem a miſeria, ſed libertatem naturæ non evertunt, ſola autem ſervitus naturæ, ideſt, neceſſitas & determinatio ad unum, & coactio , libertatem illam deſtruit. De triplici illa ſpecie libertatis S. Bernardus in Tract. de Grat. & lib. arb. hæc habet: *Cum igitur triplex ſit nobis propoſita libertas, a peccato, a miſeria, a neceſſitate, hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura; in prima reſtauramur a gratia: media nobis reſervatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ , ſecunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem , ac voluntariam libertatem conditi ſumus nobilis Deo creatura . Secundo reformamur in innocentiam, nova in Chriſto creatura . Tertio ſublimamur in gloriam perfecta in Spiritu creatura. Prima libertas multum habet honoris: ſecunda plurimum etiam virtutis: tertia cumulum jucunditatis.*

De libertate deinde a neceſſitate hæc ſubjungit Sanctus Bernardus, quæ inſtitutum noſtrum propius ſpectant: „ Verum libertas a neceſſitate, æque & indifferenter, Deo, „ univerſæque, tam malæ, quam bonæ , rationali convenit creaturæ . Nec peccato , „ nec miſeria amittitur, vel minuitur, nec major in Juſto eſt, quam in peccatore, nec „ plenior in Angelo, quam in homine .... Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam „ fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam & in bonis , ſed in bonis „ ordinatior: tam integra quoque pro ſuo modo in creatura, quam in Creatore ; ſed „ in illo potentior.

Objectio 2. petitur ex teſtimoniis S. Aug. luculentiſſimis , quibus paſſim aſſerit hominem in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe liberum , ut qui liberum arbitrium per peccatum amiſerit. Sic enim habet in Enchiridio ad Laurentium, c. 30. „ Libero arbitrio „ male utens homo & ſe perdidit & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit; ſed ſe occidendo non vivit , nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cum occiderit: Ita cum libero peccaretur arbitrio , victore peccato , amiſſum eſt liberum „ arbitrium ". Et Epiſtola 107. Liberum , *inquit* , arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.

Et lib. 14. de Civ. Dei c. 11. *Arbitrium igitur voluntatis*, inquit, *tunc eſt vere liberum, cum vitiis, peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt a Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi a quo dari potuit, reddi non poteſt.*

Reſp. ex his S. Aug. teſtimoniis colligi quidem quod liberum arbitrium amiſſum ſit per peccatum quantum ad ſtatum; non vero quantum ad ſubſtantiam. Duo quippe in libero arbitrio ſpectari poſſunt: primo eſſentia illius, quatenus ingenita facultas eſt, qua pro libito poteſt voluntas hominis alterutrum e duobus eligere, quorum videlicet neutri neceſſario eſt affixa. Secundo, ſpectari poteſt liberi arbitrii ſtatus multiplex nempe felix ille quem habebat in Adamo, cum nulla ipſi ad recte agendum inerat difficultas, nullus concupiſcentiæ dominatus, nulla ſervitus peccati, nullum vulnus, ſed plenæ & integræ vires ad bonum faciendum, & præſto omnia dona ac præſidia neceſſaria. Alter ſtatus liberi arbitrii eſt ille in quem incidit per peccatum, quo vulneratum eſt, & recte agendi contraxit difficultatem, & dominantis ac urgentis cupiditatis imperio ſubjectum eſt. Quo in ſtatu ſervus dicitur peccati, qui illud admittit. Tertius liberi arbitrii ſtatus eſt, quem per gratiam Chriſti medicinalem aſſequitur, qua ſuis vulneribus ſanata voluntas & adjuta, peccati, ſub quo captiva tenebatur, vinculis, & concupiſcentiæ laqueis expedita, ad bonum eligendum & amplectendum eniti poteſt. Primum itaque liberi arbitrii ſtatum amiſit homo cum peccavit; & in ſecundum detruſus eſt, e quo non emergit niſi per gratiam Salvatoris: ſed ipſam liberi arbitrii naturam non amiſit, nec id contendit S. Auguſtinus. Ait enim hominem male utentem libero arbitrio & ſe perdidiſſe, & ipſum: at ſeipſum ita non perdidit, ut non eſſet, ſed ſolum ut deterior fieret; quo ſenſu dicuntur homines perditi, ideſt, vita & moribus depravati. Nec igitur liberum ſic amiſit arbitrium, ut ejus natura deſtrueretur, ſed ut languidum & captivum evaderet. Quod ſignificant illa ejuſdem S. Auguſtini verba: *Victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium. Amiſsum*, inquit, quia captivum factum eſt, ſicut amiſſa dicuntur, quæ tempore belli in poteſtatem hoſtium devenerunt. Epiſtola autem 107. non ſimpliciter ait, nos perdidiſſe liberum arbitrium primi parentis, ſed illud perdidiſſe ad diligendum Deum, quia nimirum voluntas hominis lapſi, niſi reparata per gratiam, Deum ſuper omnia diligere non poteſt.

Liberum hominis arbitrium peccato vulneratum eſt, non peremptum.

Porro eum eſſe, quem diximus, S. Auguſtini ſenſum, conſtat ex ipſius libro 1. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 2. ubi ait: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia.* Tum illud Apoſtoli memorat: *Cum eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Et ſubjungit: *Liberi ergo a juſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis; liberi autem a peccato non ſunt, niſi gratia Salvatoris.* Ibidem etiam notat S. Paulum prudenter *verba ipſa diſcreviſſe.* Cum enim dixiſſet: *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ: ac liberos juſtitiæ, non liberatos* ſcripſiſſet: Mox, *A peccato, non liberos*, ait, *ne ſibi hoc tribuerent, ſed vigilantiſſime maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini ſententiam: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et cap. ſequenti, de libero arbitrio loquens, hæc habet: *Nec liberum in bono erit, quod Liberator non liberaverit: ſed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus, vel manifeſtus deceptor inſeruit, vel ſibi ipſe perſuaſit ... Sed hæc voluntas, quæ libera eſt in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non eſt, quia liberata non eſt.*

Contra. S. Auguſtinus negat in homine eſſe liberum arbitrium, antequam per gratiam liberetur: peccator igitur libero exutus eſt arbitrio, & neceſſitate peccat.

Antecedens certum eſt, tum ex locis mox laudatis, tum ex Epiſtola 154. ad Anaſtaſium data, ubi ait: *Quod ſine gratia Dei nullo modo voluntas impiet humana, quia nec libera dicenda eſt, quamdiu eſt vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita: A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.*

Et libro 1. Retractationum, cap. 15. *Qui cogenti cupiditati*, inquit, *bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.* Et infra: *Quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante*

cupi-

cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium; in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.

Homo sine gratia Christi per se efficaci non habet potestatem proximam & ultimo completam ad bonum.

Respondeo, distinguo antecedens. Negat in homine esse liberum arbitrium, antequam per gratiam liberetur: & loquitur S. Augustinus de libertate a peccato, concedo; & loquitur de libertate a necessitate, nego. Fatemur sine gratia hominem non esse liberum a peccato; & voluntatem in tantum esse liberam, in quantum est liberata: sed contendimus sine gratia manere libertatem a necessitate, quamvis ad bonum non sufficiat, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Cum autem ait S. Augustinus, cogenti cupiditati bona voluntate resisti interdum non posse, loquitur de potestate proxima & ultimo completa, qualem non habet ad graviores tentationes vincendas, absque gratia: nec cum gratia ipsa sufficiente, quæ bonam quidem voluntatem inspirat, sed adhuc parvam & invalidam, non vero magnam illam & robustam, quam solius efficacis gratiæ adjumento consequitur. Eam esse S. Augustini mentem constat ex aliis ipsius locis; præcipue ex libro de Gratia & libero Arbitrio, cap. 17. ubi ait: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robustam.*

Et ex cap. 15. „ Per hanc, *inquit*, gratiam fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui „ prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse „ cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim habet quod scriptum est: Si vo„ lueris, conservabis mandata (*inquit cap.* 16.) ut homo qui voluerit, & non potue„ rit, nondum se plene velle cognoscat: & oret ut habeat tantam voluntatem, quan„ ta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur. Tunc „ enim utile est velle, cum possumus; & tunc utile est posse, cum volumus. Nam „ quid prodest, si, quod non possumus, volumus; aut si, quod possumus, nolumus?

Et libro de Perfectione Justitiæ, c. 10. *Non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia divina præcepta, nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta, qualia commendantur, levia scilicet atque suavia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

Et libro 1. Retractationum, cap. 15. *Invenit ergo se*, inquit, *ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit.*

Contra. Qui non potest bonum operari, non habet libertatem ad bonum: sed homo sine gratia non potest bonum operari ex Scriptura sacra, & ex S. Augustino: liberum igitur arbitrium ad bonum non habet.

Resp. disting. maj. Si non possit absolute, concedo: Si non possit potestate proxima & ultimo completa, nego. Distinguo etiam min. Homo sine gratia non potest bonum operari: potestate proxima & completa, concedo: non potest absolute, nego. Unde S. Aug. Ep. 89. contra Pelagianos, qui liberi arbitrii vires immodice jactabant, ita „ scribit: „ Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantum pos„ sunt, liberum arbitrium, non ut superba voluntate respuant adjutorium, sed ut pia „ voluntate invocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior, quan„ to sanior; tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. „ Et Ep. 107. Si vere volumus defendere liberum arbitrium, *inquit*, non oppugnemus „ unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam qua nostrum ad declinandum a ma„ lo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse „ captivum.

Fatalis & absoluta peccandi necessitas primi hominis peccato non est invecta.

Objicitur 3. Homines ex peccato primi parentis fatalem peccandi necessitatem contraxerunt: ergo liberum arbitrium ad bonum & ad malum non habent.

Probatur antecedens ex S. Augustino pluribus in locis, ubi illam definitionem peccati a se adductam, *Peccatum est voluntas retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*, ait spectare dumtaxat naturæ integrum statum, qualis fuit in Adamo quasi solus habuerit libertatem abstinendi a peccato. Id patet ex libro 1. Retract. cap. 15. ubi

15. ubi definitionem illam exponit: *Quod propterea dictum est*, inquit, *ut hac definitione volens a nolente discerneretur, & sic ad eos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando; quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit.*

Et lib. 1. Operis Perfecti contra Julian. c. 15. *Ipse est Adam*, inquit, *quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum diceremus: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum; & propter quod diceret: Non quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Ac per hoc id egit quod justitia vetat, & unde illi liberum fuerat abstinere. Nunc ei qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago, abstinere inde liberum non est.*

Et loco laud. Retract. de eadem definitione loquens: *Propterea vera est*, inquit, *quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.*

Denique lib. 3. de Lib. Arbit. c. 18. cum dixisset, neminem peccare in eo quod caveri nullo modo potest, addit continuo: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur. Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere & non potest.* Censet igitur S. Augustinus hanc sententiam: *Nemo peccat in eo quod caveri non potest*, ad statum naturæ lapsæ non esse referendam; proindeque hominem in illo statu necessario peccare.

Resp. illam S. Augustini definitionem Adamum quidem præcipue spectasse, sed Adami posteros excluisse nusquam: immo illa comprehendisse peccata, quæ ab ipsis deliberato committuntur. Id patet primo ex lib. 1. Retract. cap. 15. ubi ait: *Peccatum, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem intravit in mundum.* Si convenit præcipue, proculdubio & aliis, quamvis minus præcipue convenit. Id sequentia S. Augustini verba clarissime demonstrant. *Quamquam*, inquit, *& hoc peccatum, quo consentitur concupiscentiæ, nonnisi voluntate committitur.*

Secundo, id patet etiam ex alio capite. Cum enim objecisset S. Augustino Julianus: *Peccatum, secundum definitiones tuas, jam nec in moribus invenitur:* S. Antistes hanc a se calumniam depellit libro 1. Operis Perfecti contra Julianum: „ Cum igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur, non necessitate, „ sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere; „ & peccatis de ignorantiæ & affectionum necessitate venientibus, quæ jam non solum „ peccata sunt, verum etiam pœnæ peccatorum, plenum sit genus humanum; quo- „ modo dicis, definitionibus nostris, peccatum nec in moribus inveniri?

Tertio id constat ex eodem libro, ubi ait S. Augustinus: *Multa sunt quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est, quam illi fuit.* Quibus verbis continetur argumentum a minori ad majus, quasi diceret: Multa sunt quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere: ergo a fortiori liberum erat Adamo.

Respond. secundo. Per peccatum, quod etiam pœna peccati est, & a quo S. Augustinus negat liberum esse abstinere, non intelligi omnia peccata, quæ in hoc naturæ lapsæ statu deliberato a nobis fiunt, sed ea solum quæ ex omnium opinione caveri non possunt, videlicet Originale peccatum, quod proprie peccatum est, & concupiscentiam cum motibus ejus indeliberatis, atque iis peccatis, quæ ex ignorantia invincibili committuntur, quæ licet proprie peccata non sint, vocat tamen peccata, quod primi peccati fructus sint & pœnæ. Id ex eo compertum est, quod Pelagiani ex superiori definitione solum Peccatum Originale impugnaverint, & quod illud tantum, & concupiscentiam ab ea definitione Sanctus segregaverit Augustinus.

Ista ex argumento Juliani, & responsione S. Augustini magis elucescent. Ita porro disputat Julianus l. 1. Operis Perfecti, c. 43. & 48. „ In libro cui titulus est, de „ duabus Animabus, sic loquens: Peccatum est voluntas admittendi, vel retinendi „ quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. O lucens aurum in stercore! Quid „ ple-

„ plenius dici a quoquam vel Orthodoxo potuiſſet? Oſtende ergo hæc duo in parvu-
„ lis poſſe conſtare, ſi nullum eſt ſine voluntate peccatum, ſi nulla voluntas, ubi non
„ eſt explicita libertas, ſi non eſt libertas, ubi non eſt facultas per rationem electio-
„ nis, quo monſtro peccatum in infantibus invenitur, qui rationis uſum non habent?
„ Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem: atque his irrefutabili-
„ ter conceſſis, nec aliquod omnino peccatum.

Hoc autem Juliani argumentum ita ſolvit S. Auguſtinus cap. 47. „ Si tria iſta di-
„ ſcernas, & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque; id
„ eſt, ita peccatum, ut ipſum ſit etiam pœna peccati; intelligis quid horum etiam
„ pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi quod juſtitia vetat, & un-
„ de liberum eſt abſtinere. Peccatum namque iſto modo definitum eſt, non pœna pec-
„ cati, non utrumque. Habent autem tria iſta genera etiam ſpecies ſuas, de quibus
„ nunc longum eſt diſputare. Horum ſane trium generum ſi requirantur exempla, pri-
„ mi generis in Adam ſine ullo modo quæſtionis occurrit. Multa quippe ſunt quæ
„ agunt homines mala, a quibus eis liberum eſt abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt,
„ quam illi fuit, qui Deo ſuo, a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depra-
„ vatus adſtabat. Secundi autem generis, ubi tantummodo eſt pœna peccati, exem-
„ plum in eo malo eſt, quod quiſque ex nulla parte agit, ſed tantummodo patitur,
„ velut cum pro ſuo ſcelere, qui peccavit, occiditur, ſive alia corporis pœna quacum-
„ que cruciatur. Tertium vero genus, ubi peccatum ipſum eſt & pœna peccati, po-
„ teſt intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam
„ omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam
„ putantur bona .... Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet quod primo lo-
„ co poſuimus, ubi eſt voluntas malum operandi, unde liberum eſt abſtinere; alio-
„ quin non eſſet in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad aliud
„ quod ſecundo commemoravimus: de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quod
„ non eſt peccatum quamvis peccati merito, ſubſequatur. Adhuc genus tertium, ubi
„ ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati, quod ineſt quidem naſcentibus,
„ ſed in eis creſcentibus incipit apparere, quando eſt inſipientibus neceſſaria ſapientia,
„ & mala concupiſcentibus continentia: origo tamen etiam hujus peccati deſcendit a
„ voluntate peccantis: Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: perïit Adam, &
„ in illo omnes perierunt". Ex quibus colligitur, Pelagianos ex ſupra dicta peccati
definitione adverſus originale dumtaxat peccatum pugnaſſe, & S. Auguſtinum ab illa
peccatum originale tantum, & ejus appendices ſegregaſſe.

Ad locum ex libro 3. de Libero Arbitrio, cap. 18. reſpondeo, loqui S. Auguſtinum de ſola neceſſitate morali, quæ ex concupiſcentia fluit, a qua unuſquiſque tentatur abſtractus, & illectus. Id patet ex hominum inſipientium querela, quam eodem in capite ſubtexit his verbis; *Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim: Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cœcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur? Et primo erraremus neſcientes quid nobis eſſet faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate non valeremus?* Si S. Auguſtinus in ea fuiſſet opinione, quam ipſi Novatores affingunt, reſpondiſſet, ideo homines non excuſari a peccato, licet neceſſario peccent, quia non eſt de ratione peccati, in ſtatu naturæ lapſæ, ut caveri poſſit. An ita reſpondeat, expendamus. *Quibus*, inquit, *breviter reſpondetur ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant. Recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cum vero ubique ſit præſens, qui per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras. Iſta tua propria peccata ſunt.*

Reſp. 2. Ibi loqui S. Auguſtinum de ſola concupiſcentia & motibus ejus indeliberatis, quæ improprie ſolum peccata ſunt, cum protinus adjiciat: *Nam nude ſunt illæ voces?*

ces? *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago.* Sed hoc peccatum de quo ſic locutus eſt Apoſtolus: *Ideo peccatum vocatur, quia in peccato factum eſt, & pœna peccati eſt. Quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur,* (inquit ipſe Auguſtinus libro 1. Retractationum, cap. 15.)

Id confirmatur ex alio S. Auguſtini principio, lib. 3. de libero Arbitr. cap. 20. Ait enim quod, *Ignorantia & difficultas, quamvis eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus Deus eſſet: Quia*, inquit, *anima facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & a difficultate cruciante, & ab ignorantia cœcante liberetur. Etiam in ipſa ignorantia & difficultate, liberam voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus.* Ex mente igitur S. Auguſtini, gratiæ dantur omnibus hominibus, quibus frænare concupiſcentiam, & peccatum quodvis cavere poſſint.

Denique nihil omnino probarent S. Auguſtini argumenta allatæ definitioni peccati innixa, ſi ad ſolum primi hominis peccatum referretur. Duplici continentur illa genere. Alia enim Manichæorum de anima ſubſtantialiter mala commentum directe impugnant, & ad hunc Syllogiſmum poſſunt revocari. Malum quod caveri poteſt, & unde liberum eſt abſtinere, non poteſt eſſe ab anima ſubſtantialiter mala; atqui primi hominis peccatum eſt malum quod caveri poteſt, & unde liberum eſt abſtinere: non poteſt igitur eſſe ab anima ſubſtantialiter mala. Sane ſi S. Auguſtinus illam definitionem de peccato hominis ignorantia & concupiſcentia carentis intellexiſſet, nihil egiſſet adverſus Manichæos, qui primo homini ignorantiam & concupiſcentiam velut naturæ primordia tribuebant, ideoque peccatum referebant ad animam ſubſtantialiter malam. Secundi generis argumenta, Catholicam de libero arbitrio propugnant ſententiam, & hoc uno Syllogiſmo comprehendi poſſunt. Malum quod caveri poteſt, & unde homini liberum eſt abſtinere, debet eſſe a libero arbitrio: atqui primum hominis peccatum eſt hujuſmodi: ergo debet eſſe a libero arbitrio. At ſi illa definitio conveniret ſolum peccato hominis nulla concupiſcentia irretiti, ne feriret quidem Manichæos illa argumentatio; cum ipſi ſolum hominis concupiſcentia impliciti peccatum negarent a libero arbitrio proficiſci.

Inſtabis. Sanctus Auguſtinus diſerte in homine lapſo peccandi neceſſitatem agnoſcit: cenſet igitur in ipſo non remanere liberum arbitrium ad bonum, & ad malum.

Probatur antecedens ex Diſputatione ipſius contra Fortunatum Manichæum. *Liberum*, inquit, *voluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt. Ille ſic factus eſt, ut nihil omnino voluntati ejus poſſet reſiſtere, ſi vellet Dei præcepta ſervare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus.*

Reſp. S. Auguſtinum his verbis moralem dumtaxat peccandi neceſſitatem adſtruere, non phyſicam & abſolutam. Unde ipſam comparat cum illa peccandi neceſſitate, quæ ex conſuetudine fluit. Addit enim poſt verba laudata: „ Poteſt autem unuſquiſque „ noſtrum mediocri conſideratione invenire verum eſſe quod dico. Hodie namque in „ noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus ar„ bitrium faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem iſta libertate fecerimus aliquid, „ & facti ipſius tenuerit animum pernicioſa dulcedo, & voluptas eadem ipſa conſue„ tudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabrica„ ta eſt “. Quæ ſit autem peccandi neceſſitas a mala conſuetudine profecta, accipe „ a S. Th. Q. 6. de Malo, A. un. ad 24. ubi cum ſibi objeciſſet illud S. Auguſtini in Confeſſionibus: *Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*, reſpondet: *Dicendum, quod conſuetudo facit neceſſitatem, non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipue. Nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus, poteſt contra conſuetudinem agere.*

Reſpondeo 2. loqui S. Auguſtinum in hoc aliiſque ſimilibus locis, de neceſſitate peccandi in genere, non de neceſſitate peccandi hic & nunc, & abſoluta. Peccandi enim neceſſitas quædam hypothetica, & in genere, invecta eſt ex peccato primi Parentis, quatenus homo in ſtatu naturæ lapſæ diu vitare non poteſt mortalia peccata;

nec omnia collective cavere, absque gratia medicinali Salvatoris, qua carendi meritum invehit peccatum originale: & quatenus ipsi homines justi peccata venialia vitare generatim non possunt absque singulari Privilegio ac Gratiæ dono, quod soli Beatæ Virgini concessum est. Sed necessitas peccandi absoluta nulla est etiam in homine ipso, quia singula peccata mortalia hic & nunc vitare potest, & justus a singulis venialibus hic & nunc cavere. Porro necessitas illa peccandi in genere, & hypothetica in statu naturæ lapsæ, antequam voluntas divina gratia visitetur, sanetur, liberetur, multis in locis adstruitur a Sancto Augustino, ut libro 3. ad Bonifacium, cap. 8. ubi ait: *Liberum arbitrium captivatum, nonnisi ad peccatum valet: ad justitiam vero nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet.*

Id confirmat ex dominatu concupiscentiæ, & tyrannide diaboli in liberum arbitrium: cujusmodi dominatus, qui viribus humanis excuti non potest, directe repugnat libertati ad bonum. Hinc Epistola 89. ad Hilarium, de voluntate loquens ait: *Ipsa quippe fideliter orat, & dicit: Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur.* Hinc frequenter illa ad bonum libertatem per peccatum amissam dolet; quo spectant illa verba libri de Correptione & Gratia, c. 12. *Nunc posteaquam illa magna, peccati merito, amissa est libertas, etiam maioribus donis adjuvanda remansit infirmitas.*

Eamdem veritatem confirmat celebris quatuor statuum populi Dei distinctio, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. „ * Ante legem actio est, *inquit*, cum pec- „ catum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum „ jam prohibemur a peccato, & tamen consuetudine victi peccamus, quoniam non- „ dum nos adjuvat fides. Tertia actio est quando jam firmissime credimus Liberatori „ nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed misericordiam ejus diligendo, non „ jam vincimur delectatione consuetudinis malæ. In prima ergo actione, quæ est an- „ te legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda, quæ sub le- „ ge est, pugnamus, sed vincimur. In tertia, pugnamus, & vincimus. In quarta, „ non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus ". Hoc ex principio probatur gratiæ liberatricis necessitas. Nam ex ipsis Christianæ Fidei principiis constat, arbitrium non posse esse liberum a dominante sibi carnalium rerum concupiscentia, sub qua post peccati ruinam jacet, nisi per spiritum gratiæ & fidei, secundum illud Apostoli: *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis.* Unde cum exclamasset idem Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum.* Hinc S. Augustinus libr. 4. ad Bonifacium, cap. 3. ait: *Non potest captiva voluntas, nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.*

* *Lib. 83. Quæstionum, Q. 66.*

Rom. 8 2.

Rom. 7. 24.

Objicitur quarto. Præscientia Dei, Providentia, Prædestinatio, Gratia efficax, libertatem perimunt. Cum enim præscientia divina & providentia falli non possint, nec prædestinatio, & gratia efficax deficere, sed suos effectus infallibiliter ponant (ut Theologi de Schola loquuntur) necessitatem imponunt hominibus, qua destruitur libertas. Igitur solus remanet libertatis titulus, & inane nomen.

Præscientia Dei, Providentia, Prædestinationis & Gratiæ concordia cum libero arbitrio.

Respondeo, nego antecedens. Libertatem namque lædere non possunt, cujus actibus obstetricantur, non solum quoad ipsorum actuum substantiam, sed etiam quoad modum, ut Scholastici loquuntur. Jus enim singulare est supremi Entis & primæ Causæ, ut aliarum de actionibus decernat, illas ordinet, illas moveat, sese illarum indoli attemperando, ut cum necessariis necessario, cum liberis libere, cum contingentibus contingenter quadamtenus agat: quia rerum naturas non destruit, sed servat & perficit. Unde necessitatem tantum hypotheticam & consequentem, præscientia, prædestinatio, & gratia invehunt, non antecedentem, & absolutam. Hæc Theologice explicat S. Anselmus libro de Concordia Præscientiæ & Prædestinationis, nec non Gratiæ Dei cum libero arbitrio, ubi de præscientia divina hæc habet: *Si aliquid est futurum sine necessitate, hoc ipsum præscit Deus, qui præscit omnia futura: quod autem præscit Deus, necessitate futurum est, sicut præscitur; necesse] est itaque aliquid esse*

futurum sine necessitate. Nequaquam ergo recte intelligenti hæc repugnare videntur, præscientia quam sequitur necessitas, & libertas arbitrii a qua removetur necessitas: quoniam & necesse est, quod Deus præscit futurum esse, & Deus præscit aliud aliquid esse sine omni necessitate.

Et infra: *Si quis intellectum verbi proprie considerat, hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. Non enim nisi quod futurum est, præscitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico, quia si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam, Si erit, ex necessitate erit: Sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse; aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate; non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cum dico: Si erit, ex necessitate erit, hinc sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Idem valet si sic pronuntietur: Quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse.*

Et infra: *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. In hujusmodi ergo verum est, quia necessitate fit opus peccati, quod vult homo facere, quamvis non necessitate velit.*

De concordia vero liberi arbitrii cum Prædestinatione hæc subjungit: *Quamvis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & prædestinantur; quædam tamen præscita, & prædestinata non eveniunt ea necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed ea quæ rem sequitur. Non enim ea Deus, quamvis prædestinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa potestate dimittendo. Quamvis tamen sua voluntas utatur potestate, nihil facit, quod Deus non facit; in bonis, sua gratia; in malis, non sua, sed ejusdem voluntatis culpa. Et sicut præscientia, quæ non fallitur non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium aut spontaneum; ita Prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicut est in præscientia. Et quemadmodum quod præscitur, licet in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando, antequam sit, mutari potest: ita est per omnia de prædestinatione.* Et infra multa habet de concordia gratiæ cum libero arbitrio, & concludit: *Deo largiente invenimus gratiam ejus, ad salvandum hominem, cum libero arbitrio concordare.*

Eamdem Gratiæ & Prædestinationis divinæ cum voluntate concordiam diserte explicat S. Bernardus in Tractatu de Gratia & Libero Arbitrio, ubi hæc habet: *Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis; primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit. Ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus Opifex innotescit .... Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum, utramque præveniens cogitatio tantummodo ad exercitandum. Cavendum ergo ne cum hæc inviſibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen, quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Et infra: *Deus igitur Auctor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.*

Illius concordiæ modum Sanctus Augustinus explicatu difficillimum professus est libro de Gratia Christi, cap. 47. *Ista quæstio ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei Gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut cum defenditur liberum arbi-*

trium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Semper tamen conteſtatus eſt gratiam Dei jura liberi arbitrii illæſa ſervare. Sic enim habet Epiſtola 89. ad Hilarium: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur.*

Et Epiſtola 105. ad Sixtum: *Quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium; ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere ut per inania feratur, non in Domino tamquam in petra ſtabili collocetur. Paratur enim voluntas a Domino.*

Et libro de Correptione & Gratia, cap. 8. de oratione Chriſti pro Sancto Petro loquens, ait: *Quando rogavit ergo ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* Et infra: *Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.*

Eidem concordiæ liberi arbitrii cum gratia Sanctus Proſper ſuffragatur in Epiſtola ad Rufinum: *Liberum arbitrium*, inquit, *cum ſolum eſſet, ſibique permiſſum, nonniſi in ſuam perniciem movebatur: Ipſum enim ſe excæcaverat, & ipſum ſe illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium converſum eſt, non everſum, & donatum eſt ei aliter ſapere, aliter agere.*

Et Sententia 6. poſt Reſponſionem ad Capita Gallorum: *Qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum, ſive ad malum Prædeſtinatio Dei in hominibus operetur, non eſt Catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, ſed adolet, & ab errore in viam revocat ac reducit, ut quod ſua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente ſit rectum.*

Et in Carmine de Ingratis, cap. 26. Pelagianorum inanem querelam refellit, qui liberum arbitrium per gratiam deſtrui effutiebant:

Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrii ſublatum vociferantes,
Currere currentum, ſi non & velle volentum eſt,
Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi:
Numquid non eadem ſapiunt, eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba Magiſtri?

Et Cap. 28.

Hoc itaque arbitrium cum ſanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi, vita aſpirante, putatis.

Et Cap. 45.

Et tamen in ſanctos animum cum intendimus actus,
Cum deſideriis carnis mens caſta repugnat,
Cum tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæſo corde manemus;
Libertate agimus: ſed libertate redempta.
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus, tu corda moves, tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis, ſervans largita, creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui ſtudiumque reſolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum eſt,
Quod bona Sanctorum tua ſunt, & quidquid in illis
Aut ſanum, aut validum eſt, de Te viget, ut videatur
Nil actura hominis, Te cuncta gerente, voluntas.
Quæ ſine te quid agit, niſi quo procul exulet a te?
Præcipites ſemper calles, & devia motu

Ingreſſura ſuo: niſi feſſam, Tu bone, & ægram
Suſcipias, referas, foveas, tuearis, boneſtes.
Tunc fiet curſus velox, oculique videntes.
Libera libertas, ſapiens ſapientia, juſtum
Judicium, & fortis virtus, & ſana facultas.

Cœleſtinus Primus Pontifex Maximus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, c. ultimo, ejuſdem concordiæ teſtis eſt. *Quo utique auxilio, & munere Dei*, inquit, *non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum*. Ex quibus omnibus colligitur, Gratiam Dei, Prædeſtinationem, Providentiam, & Præſcientiam, non officere libertati.

SCHOLION.

In Reſponſione ad quartam Objectionem, & ad p. 898. & 900. Editionis primæ, Religioſi Cenſores Propoſitiones iſtas in Indiculo ſuo notant: *Gratia ſufficiens non importat potentiam proximam ad reſiſtendum, ſed ulterius requiritur gratia efficax. Homo ſine gratia non poteſt operari bonum proxime.*

R. Veram & proprie dictam tentationibus reſiſtendi, & bonum operandi poteſtatem per gratiam ſufficientem dari cenſeo; proximam quodam ſenſu eſſe non nego: ſed *completam* non eſſe dixi, & eo ſenſu *proximam*, ut nova gratia, ſcilicet efficax, ad reſiſtendum tentationibus, & ad bonum operandum neceſſaria non ſit. Propoſitionem meam truncarunt & interpolarunt Indiculi Cenſorii Auctores, & vocem illam, *completam* ſuppreſſerunt. En verba mea. *Cum autem ait S. Auguſtinus, cogenti cupiditati bona voluntate reſiſti interdum non poſſe, loquitur de poteſtate proxima & completa, qualem non habet ad graviores tentationes vincendas abſque gratia: nec cum gratia ipſa ſufficiente, quæ bonam quidem voluntatem inſpirat, ſed adhuc parvam & invalidam; non vero magnam illam & robuſtam, quam ſolius efficacis gratiæ adjumento conſequitur*. Hominem libero arbitrio quo & peccata vitare, & bonum operari poſſit, præditum iſta Diſſertatione probavi contra Manichæos. Objectionibus inde petitis contra neceſſitatem gratiæ reſpondi ex principiis *Sancti Auguſtini*; hominem quidem ſine gratia poſſe abſolute bonum operari dixi, quia liber eſt; non poſſe proxime & complete ſine gratia, quia voluntas ejus ægra eſt & infirma; & ad actus ſupernaturales per ſe impotens. Quo vero ſenſu poteſtas per gratiam ſufficientem collata ſit proxima, quo ſenſu proxima non ſit & completa modis omnibus, ſed neceſſaria ſit ulterius gratia efficax illam applicans, perficiens & complens ad bonum opus exequendum, explicare non erat hujus loci, nec id meum patiebatur inſtitutum, Dogmaticam, non Scholaſticam Quæſtionem tractantis. „ Fateor hominem in ſtatu etiam naturæ corruptæ poſſe „ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere (ſicut ædificare domos, „ & plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, „ ita quod in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum „ habere, non tamen perfecte poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio „ medicinæ. „ *Sic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur: quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum*. Doctrina eſt Sanctus Thomæ Prima Secundæ, Quæſtione 109. Articulo 2. Denique ſi gratia abſolute & ſimpliciter neceſſaria eſt ad bonum ſupernaturale volendum & operandum; ſi dicendum eſt, *Gratiam Dei ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare*, ut Fides Catholica contra Pelagianos confitetur: Propoſitio iſta, quam Religioſi Cenſores notant; *Homo ſine gratia non poteſt operari bonum proxime*, ad Fidem pertinet: contraria Pelagianus error eſt, ſcilicet; *Homo ſine gratia proxime poteſt bonum operari*. Propoſitionem alteram quod ſpectat: Si gratia ſufficiens tribuit pote-

BIBLIOTECA O. F. M. CAP. MONTEFUSCO (Av)

poteſtatem modis omnibus *proximam & completam*, ſequitur ſecundum Sancti Thomæ principia Gratiam efficacem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad bonum ſupernaturale volendum & perficiendum. *Illud* enim *ſimpliciter neceſſarium dicitur* (inquit S. Thomas) *ſine quo finem conſequi non poſſumus:* Illud ſimpliciter neceſſarium ad agendum, ſine quo agere non poſſumus illa poteſtate *quæ cum effectu in ſanctis provenit* (ut S. Auguſtinus loquitur.) Verum poteſtas quæ per gratiam ſufficientem conferatur, quam veram & proprie dictam profiteor, vocetur etiam *proxima & expedita*; non repugno: (Quæſtio forte erit ſic de nomine) modo gratiam per ſe efficacem Salvatoris ulterius neceſſariam eſſe ad volendum & perficiendum bonum mihi detur, ſive ad *actus primi complementum*; utque poteſtas illa, quam actum primum Theologi de Schola vocant, *compleatur*, & ad actum ſecundum reducatur, ut vulgo loquuntur Thomiſtæ. Hoc uno ſenſu dixi & cenſeo Gratiam ſufficientem non tribuere poteſtatem modis omnibus *proximam & completam*.

ANIMADVERSIONES in eam operandi potentiam, quam dicendum eſt Gratiam ſufficientem voluntati conferre.

QUandoquidem viſum ſit Natale non ſatis explicaſſe vires, quæ a Gratia ſufficiente humano conferuntur arbitrio; atque id hac maxime noſtra ætate neceſſe ſit dilucide exponere propter Janſenianum de Gratia ſyſtema, quod non modice Eccleſiæ pacem turbavit, ideo ab hujuſmodi explicando dogmate non ſuperſedendum duxi.

§. I.

Janſeniſtæ gratiam ſufficientem agnoſcunt, quam tamen proximam ad agendum potentiam negant ſuppeditare.

NOn ſatis verſatum in Janſenii, & Janſeniſtarum libris ſe oſtenderet, qui putaret ſolam efficacem gratiam agnoviſſe, eo quod Janſenius ita diceret: „ Voluntas „ tali cœleſti impellitur delectatione, ut quamcumque contrariam, quæ ſit in volun„ tate, vincat, ſuperetque; atque ita neceſſario ex ea ſequitur præcepti adimplemen„ tum, cum minor, quæ eſt in voluntate ad illud non adimplendum, inclinatio, om„ nino illi cœleſti majori delectationi, qua voluntas divinæ obſequitur legi, cedere „ neceſſe ſit „. Ita explicabat Janſenius gratiam efficacem, quam ſemper comitatur victoria tentationum & præceptorum adimplementum. Verum aliam etiam agnovit delectationem, ſeu gratiam, cui tantum tribuit inefficacia parere deſideria, non autem præceptis obſequi, ſeu velle id, quod nobis imperatur: „ Delectatio victrix „ *ait lib.* „ 8. *de Grat Chr. c.* 2. quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc ete„ nim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat alteram ardentiorem eſ„ ſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod „ volendum eſt.

Ut tamen quæcumque e medio tollantur æquivocationes, animadvertere eſt huic gratiæ, quam parvam & aliquando etiam ſufficientem Janſeniani appellant, eam videri virtutem tribuere, ut voluntas ex ipſius adjutorio ſufficientiſſimam, completiſſimamque potentiam obtineat. At dum ita loquuntur, ipſam ad oppoſitam ſuperiorem ejuſdem voluntatis reſiſtentiam non conferunt; quando etenim eam ad validiorem referendo oppoſitam concupiſcentiam conſiderant, non tales ex ea vires obtinere voluntatem fatentur, ut completam habeat ad parendum præceptis poteſtatem. Addunt hujuſmodi gratiam etiam efficacis nomine non fruſtrandam, ſi ad parva, quæ ſemper parit deſideria, imbecillemque voluntatem comparetur, non vero ſi ad ulteriorem effectum referatur. „ Si de aliquo, *ait Arnaldus in Diſſert. de Grat. efficaci, par.* 2. *art.* „ 4. Juſto, cui gratia efficax in aliqua tentatione deſit, quæratur, an ſine gratia effi„ caci ad vincendam tentationem vincere potuerit, hunc ex communi omnium loquen„ di ratione reſpondetur, non quidem abſolute, ſed in illa hypoteſi ſine hac gratia

„ non

„ non potuiſſe. „ Concedit igitur voluntati gratia efficaci exutæ, *abſolute* potentiam ad tentationem ſuperandam, non vero *in illa hypotheſi*, relative nempe ad majorem cupiditatem; atque ita ex ipſius mente ſola gratia ſufficiens, quamcumque ex ſe referat virtutem, non ſubminiſtrat expeditam potentiam ad agendum, quia ſemper ſupponitur illi majorem terrenam obſiſtere delectationem. Ut id explicet *par. 3. art. 5.* ignis utitur exemplo, cui generatim urendi abſolutam tribuimus facultatem; quam tamen eidem negamus, ſi inquiratur an exiguus ignis lapidem in calcem poſſit redigere. Et *art. 12.* ejuſdem gratiæ ſufficientis vires deſcribendo, dicit, quod *in nobis initia voluntatis* producit, atque adeo quamdam bene agendi potentiam, & virtutem largitur; quæ, niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modo boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus reipſa produceret.

Plurima in hanc rem Janſeniſtarum teſtimonia poſsem afferre, ſed unum ſufficiat audire Queſnellum, qui pro ſui, atque Archiepiſcopi Sebaſteni defenſione ſcribens ad Dominum Deker Eccleſiæ Melchlinienſis Decanum, ait „ Gratias inefficaces non dari ex „ voluntate Dei antecedente ad aliquos particulares effectus, v. g. converſionem, perſeverantiam, ſalutem: quia nempe voluntas hujuſmodi in genere tantum, ſeu abſolute tendit ad illos effectus, abſtractione facta præſentium ſubjecti circumſtantiarum, „ ad quas attendere debet, qui vera, & proprie dicta voluntate effectus illos intendit, „ mediaque illis obtinendis idonea, & proportionata atteimperare. Adeoque gratias illas idcirco tantum ſufficientes appellari reſpectu alicujus effectus, quia ex ſe, propriaque natura ad eum tendit, cujus in ſe activum continet principium; quem de facto aſſequerentur, niſi ſuperior cupiditas primo Dei conſilio in illis gratiis decernendis obſiſteret, ac perfectam impediret mandati exequutionem. Namque gratiæ illæ veram conferunt voluntati ad bonum potentiam, tametſi debilem & infirmam, „ non quidem defectu propriæ virtutis, ſed exceſſu majoris cupiditatis, quæ illis gratiis prævalet, ac præponderat. „ Ubi igitur Janſenius, ejuſque Aſſeclæ videntur voluntati ſola gratia ſufficiente ſuffultæ concedere completam bene agendi præceptaque ſervandi poteſtatem, ſemper in eo aſſerunt ſenſu, quod eadem gratia ex ſe talem valeret potentiam ſubminiſtrare; cum tamen eam denegent ſubjecto, in quo eſt, propter contrariam validiorem concupiſcentiæ reſiſtentiam. Si hæc duplicis poteſtatis agendi diſtinctio, abſolutæ ſcilicet, & relativæ præ oculis habeatur, facillime Catholicus Janſeniſtarum fallacias deteget, & æquivocationes.

Neque præfatis officere quiſquam putet, Janſenium in ſtatu naturæ lapſæ non agnoviſſe gratiam interiorem, cui aliquis reſiſtat, ut conſtat ex ipſius ſecunda proſcripta propoſitione; & idcirco nullam aliam gratiam quam victricem, ſeu quæ præcepti adimplementum, & tentationum inferat victoriam, admiſiſſe. Animadvertendum igitur Janſenium docere numquam poſſe voluntatem fruſtrare gratiam illo effectu, cujus eſt capax relative ad oppoſitam cupiditatem; adeoque ubi major ſit cœleſtis in voluntate delectatio ad completum bonum effectum inducens, numquam ex ipſo fiet eumdem voluntatem non parere. Ubi vero major ſit terrena delectatio, effectum quidem plenum, & perfectum interior gratia non conſequitur; at nihilominus ex eodem Janſenio nequaquam fiet ei reſiſti quantum ad effectum, quem juxta ſubjecti circumſtantias poteſt obtinere, quantum nempe ad bonam voluntatem, ſeu inchoatum boni deſiderium. Semper proinde juxta ſyſtema Janſenianum verum eſt interiori gratiæ numquam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti, numquam nempe eo fruſtrari effectu, cujus juxta idem ſyſtema capax eſt relative ad majorem, ſeu minorem, cæleſtem, aut terrenam delectationem. Id manifeſte ipſe docet Janſenius, perſpiciens etenim *lib. 2. de Grat. cap. 17.* doctrinæ de gratia ſemper victrice opponi poſſe *multos motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*, ſic tandem reſpondet: *Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandatum operetur . . . Ad hoc tamen facit aliquid, ut iſtarum, vel alterius cujuſdam rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates, vel complacentias excitet.* Ita detexit Janſenius numquam voluiſſe ex hujuſmodi gratia completam ad recte agendum oriri poteſtatem, ſed tamen nuſquam eſſe ſui effectus expertem.

§. II.

§. II.

Eam elargiri Gratiam sufficientem ad bene agendum potestatem omnino dicendum est, ut proxima sit, & completa.

EX dictis in superiore paragrapho numquam satis Vir catholicus Jansenii errores declinabit, nisi fateatur gratiam, qua justi Dei præcepta adimplere satagunt, eas voluntati suppeditare vires, quæ saltem pares sint actuali propriæ cupiditati reprimendæ, adimplendisque præceptis. Si ita expeditam, completamque non conferat gratia sufficiens potentiam, ut proxime voluntas valeat terrenam subjicere cupiditatem, semper verum erit aliqua Dei præcepta *hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires, esse impossibilia; deesse quoque illis gratiam, quæ possibilia fiant*: quod ut a fide Catholica alienum Catholica proscripsit Ecclesia primam Jansenii damnando propositionem. Et quidem Fides, quæ Deum summe bonum, summeque misserentem ostendit, cogit nos fateri divinum Legislatorem hominibus legem indicere non potuisse ipsis nec utilem, nec salutarem; quæ tamen hujusmodi esset, immo & pernicioſa, & jugis peccandi occasio, quoties gratia sine qua adimpleri non potest, completas vires juxta diversas cujusque circumstantias non conferret, ut unusquisque eidem posset obtemperare. Sapit præterea Tyranni indolem tam grave imponere onus, cui ferendo impar sit hominis virtus: potuitne ergo Deus, cujus natura bonitas, suorum præceptorum adimplementum imperare, absque eo quod gratiam largiretur, quæ proximum, & completum adjutorium ad operandum suppeditaret? Illud demum ad cumulum humanæ adderetur miseriæ, quod in æternum cruciarentur homines ob non servatam legem, cui adimplendæ integram non habebant, expeditamque potentiam. Si hujusmodi satis considerentur, statim apparet, fidem non permittere ea expoliare virtute Gratiam sufficientem, ut hac voluntas adjuta complete Deo præcipienti obedire non possit. Nec nos terrere debent illæ difficultates, quæ in hoc explicando dogmate occurrunt; neque etenim fas est a dogmate discedere, quia non satis nobis ingenii est ad illud explicandum. Quod si mihi liceat hic exprimere quid sentiam, dimissis tot inextricabilibus quæstionibus, quæ in Scholis agitantur, cum Cl. Thommasino *Tr. 3. Consens. Schol. de Grat. cap. 13.* ac doctissimo Norisio in Libello, cui titulus: *Jansseniani erroris calumnia sublata*, dicerem solius gratiæ sufficientis auxilio aliquando de facto faciliora adimpleri, seu mentem oratione in Deum assurgere ad uberius obtinendum auxilium, quo difficiliora possint observari. S. Augustinum vero huic opinioni suffragari apud præfatos Auctores edisces.

Cæterum hic non prætereundum, quod dum dixi ad dogma catholicum pertinere ex gratia sufficiente completam in eo, cui datur oriri ad agendum, seu servanda præcepta potestatem, ita velim hoc intelligendum, ut ab ea tales vires voluntati tribuantur, ut mediate, vel immediate possit eadem adimplere. Satis proinde est, si gratia sufficiens completas ad orandum vires elargiatur: iis etenim, si bene voluntas utatur, uberius, proximiusque auxilium ad obsequendum legi Dei poterit impetrare; atque ita vires ei non deficient ad præceptis obtemperandum.

DIS-

DISSERTATIO XXVII.

Contra Origeniſtas.

ARTICULUS I.

Utrum animæ creatæ fuerint ante corpora, & propter peccata ante Mundi corporei creationem commiſſa fuerint in illa velut in carceres detruſæ.

PROPOSITIO.

Origenis errorem de Animarum creatione ante corpora, & de illarum in corporibus quaſi in ergaſtulis recluſione, Scriptura Sacra coarguit, Sancti Patres refellunt, Eccleſia damnat.

PRobatur prima pars ex illis verbis, Geneſis 2. c. 2. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem.* Quibus verbis creatio animæ rationalis ſignificatur, ut conſtat ex S. Auguſtino lib. 22. de Civitate Dei, c. 23. Ergo primi hominis anima non eſt ante Corpus ipſius creata, idemque de aliis animabus dicendum eſt.

Idem colligi poteſt ex illis verbis Zachariæ 12. *Ego Dominus formans ſpiritum hominis in medio ejus.* Si enim animam hominis in medio ejus format, ante productionem corporis eam non condidit.

Probatur ſecunda pars ex S. Gregorio Nyſſeno, libro de opificio hominis, c. 29. ubi Catholicum Dogma contra Origenem ſic adſtruit: „ Sed cum unus & idem homo ſit, „ qui corpore & animo conſtat: unum eſſe communeque tribuendum ei dicimus exi„ ſtendi principium, ne parte hac ſeipſo prior, altera junior ſit & poſterior. Dei ſci„ licet vim cuncta proſpicientem, initio ſpeciem totam in creatione complexam eſſe. „ Quocirca alterum alteri præponi non debere; quaſi ſingularum in partium creatio„ ne, vel animus ſit ante corpus conditus, vel e contrario corpus ante animum: idque „ hanc potiſſimum ob cauſam, ne ſecum ipſe diſſidere videatur homo, tamquam di„ verſas in partes, ob temporis in harum ortu diſcrimen, diviſus. Nam cum de Apo„ ſtoli ſententia alia ſit ejus hominis natura qui cerni a nobis poteſt, alia hominis in„ terius velut abditi, & occultati: ſi ſtatueremus alterum de his aliquanto prius or„ tum extitiſſe, quam alterum eſſe inciperet, plane hoc indicio foret, Conditoris po„ teſtatem non omnino perfectam eſſe, propterea quod operi univerſo ſimul abſolven„ do non ſuffecerit; ideoque operas quaſi interruperit, ac viciſſim in perficiendis ſingu„ lis partibus ex ſemiſſe prius abſolutis occupata fuerit.

Probatur ſecundo ex S. Hieronymo Epiſtola 61. ad Pammachium data. *Si fuit anima*, inquit, *antequam Adam in Paradiſo formaretur, in quolibet ſtatu & ordine & vixit, & egit aliquid (neque enim poſſumus incorporalem & æternam in modum glirium, immobilem torpentemque ſentire:) neceſſe eſt ut aliqua cauſa præceſſerit, cur quæ prius ſine corpore fuit, poſtea circumdata ſit corpore. Et ſi animæ eſt naturale eſſe ſine corpore: ergo contra naturam eſt eſſe in corpore. Si contra naturam eſt eſſe in corpore: ergo reſurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet reſurrectio contra naturam: ergo juxta ſententiam noſtram, corpus, quod contra naturam eſt, reſurgens, animam non habebit.* Lege eumdem lib. 6. Commentariorum in Jeremiam ad c. 28.

Probatur tertio ex S. Auguſtino in libro contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas ad Oroſium, cap. 8. „ Quod autem dicunt, *inquit*, de rationalibus creaturis, id eſt, SS. „ Angelis & immundis dæmonibus, & ipſis animabus hominum, quod maiorem locum „ minor culpa promeruerit, qua impudentia conentur Eccleſiæ Chriſti perſuadere, non „ video. Melius itaque credimus, Deum non peccatis rationalium Spirituum adductum

„ eſſe

„ esse ad fabricam mundi, ne illa sequantur absurda, quod duo Soles, vel tres, vel „ quatuor, vel quotlibet nobis esset necesse, si plurimorum spirituum per liberum ar„ bitrium tanta culpa præcederet, quanta illos in similibus corporum cœlestium glo„ bis oporteret includi; sed factum esse mundum Dei bonitate, magnum bonum, a „ summo & non facto bono; in quo fierent omnia bona valde secundum naturam, & „ aliis alia meliora, a summis creaturis usque ad infima, distinctis gradibus ordi„ nata.

Et lib. 11. de Civitate Dei, c. 23. de Origenistis loquens, ait: „ Sed animas di„ cunt, non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a Conditore recedendo; „ & diversis progressibus, pro diversitate peccatorum, a cœlis usque ad terras, diver„ sa corpora, quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque causam mundi „ fuisse faciendi, non ut conderentur bona; sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes „ jure culpatur. In libris enim quos appellat περὶ ἀρχῶν, id est, de Principiis, hoc „ sensit, hoc scripsit. Ubi plusquam dici potest, miror hominem in Ecclesiasticis lite„ ris tam doctum & exercitatum non attendisse, primum quam hoc esset contrarium „ Scripturæ hujus tantæ auctoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei subjun„ gens: Et vidit Deus quia bonum est: completisque omnibus, inferens: Et vidit Deus „ omnia quæ fecit, & ecce valde bona: nullam aliam causam faciendi mundi intelli„ gi voluit, nisi ut bona fierent a bono Deo; ubi si nemo peccasset, tantummodo „ naturis bonis esset mundus ornatus & plenus.

Secundam rationem addit S. Augustinus: „ Deinde, *inquit*, videre debuit Origenes, „ & quicumque ita sapiunt, si hæc opinio vera esset, mundum ideo factum, ut ani„ mæ pro meritis peccatorum suorum tamquam ergastula, quibus pœnaliter include„ rentur, corpora acciperent, superiora & leviora, quæ minus; inferiora vero & gra„ viora, quę amplius peccaverunt: dęmones quibus deterius nihil est, terrena corpo„ ra, quibus in ferius & gravius nihil est, potius quam homines etiam malos habere „ debuisse. Nunc vero ut intelligeremus animarum merita, non qualitatibus corpo„ rum esse pensanda, aereum possidet pessimus dæmon: homo autem & nunc licet ma„ lus, longe minoris mitiorisque malitię, & certe ante peccatum, tamen luteum corpus „ accepit.

Tertiam denique rationem, quam ex libro contra Priscillianistas & Origenistas su„perius protulimus, hic nitidius proponit. „ Quid autem stultius dici potest, *inquit*, „ quam per istum Solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel „ etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius evenisse, „ quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si con„ tigisset ut non una, sed duæ; immo non duæ, sed decem, vel centum, similiter „ æqualiterque peccassent: centum Soles haberet hic mundus.

Probatur quarto ex S. Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Joannem, c. 9. ubi rationibus viginti quatuor Origenis refellit errorem, & Catholicum dogma probat.

Primam sic proponit. „ Si anima hominis ante fabricationem corporis existebat, sed „ in vitium delapsa, ut quidam suspicantur, pœnæ loco in corpus detrusa est: quomo„ do quæso, Evangelista ipsam in hunc mundum venientem illuminari dicit? Honor „ enim istud est, & illustrium gratiarum accessio. Sed nemo plectitur, dum honora„ tur. Neque punitur, cum divinorum bonorum fit particeps, sed cum in punientis „ iram incurrit. Cum autem homo veniens in hunc mundum minime puniatur, sed „ contra potius illuminetur; patet utique pœnæ loco ei non esse corporationem, quæ in „ carne honoratur.

Secunda ratio est hujusmodi. „ Si ante corpus anima mens erat pura in felicitate „ degens, sed conversione in vitium delapsa est, atque idcirco innexa est carni, quo„ modo in hunc mundum veniens illuminatur? Necessario enim dicendum est ipsam „ lucis expertem esse, antequam veniat: Quod si ita est, quomodo mens pura erat, „ quæ vix tum primum illuminari incipit, cum venit in mundum, idque non absque „ carne?

Tertia ratio. „ Si ante corpus anima hominis extitit, & proinde mens pura erat

„ bono-

„ bonorum cupiditati propius conjuncta, sed conversione in vitium terreno corpori im-
„ pacta est, & in eo existens peccare non vult amplius: quomodo non ei fit injuria,
„ quæ tum maxime id facere jussa non sit, cum ad virtutem erat expeditior, nondum
„ malis corporis illigata, sed intempestive id præstare cogitur, cum est inquinata pec-
„ cato? Atqui Deus nihil intempestive jubet, neque injuriam facitis, qui natura sua
„ nocere nequit. Opportune igitur & juste a nobis exigit, ut in hac carne non pec-
„ cemus cum existendi tempus illud solum habeamus, qno in hunc mundum venimus,
„ illud prius non esse ceu locum quemdam relinquentes.

Quarta ratio. „ Libenter ab eis quærerem, qui consentaneum sit animam quæ an-
„ te corpora peccavit, in corpus detrudi, ut experimento ipso discat cupiditatum sua-
„ rum turpitudinem. Atqui ab ipso alorum aspectu avellenda potius esset, quam in
„ ipsum turpissimarum voluptatum profundum detrudenda. Illud enim remedii genus
„ est, potius quam istud: Si ergo ut corporeis voluptatibus immergatur, malorum ac-
„ cessionem habet, quod in corpus detruditur; Nemo laudaverit Medicum, qui ægrum
„ adjutum iri putat per ea ipsa quibus ei nocet. Sin autem ut peccandi finem faciat;
„ quomodo in ipsum cupiditatis delapsa profundum emergere potuit, ac non potius
„ ipsum morbi initium depulit, cum nihil adhuc esset quo ad peccandum pertraheretur?

Quinta ratio. *Si ante corpus existens anima peccavit, ideoque impacta est carni & sanguini, loco pœnæ id accipiens: quomodo non oporteat credentes in Christum, & idcirco peccati remissionem consecutos, illico de corporibus exire, & sarcinam istam pœnæ loco impositam excutere? Quomodo enim, quæso, perfectam peccati remissionem consecuta est anima hominis, si pœnæ adhuc tenetur obnoxius? At videmus tantum abesse, ut Fideles corporibus liberari velint, ut cum fidei Christi confessione carnis resurrectionem conjungant. Non erit ergo pœnæ loco id quod fidei quoque confessione honoratur, & ad Salvatoris omnipotentiæ testimonium affertur, ex eo quod sic ad vitam redierit.*

Sexta ratio. *Si ante corpus existens anima peccavit & idcirco innexa est carni, quam ob causam lex graviora quidem peccata morte plectit, innocentem vero vivere permittit? Præstaret quippe permittere turpissimorum criminum reos diu in corporibus hærere, ut hoc pacto gravius punirentur, innocentes vero corporibus exsolvi, si pœnæ loco inclusæ sunt in corporibus animæ. Sed contra, morte quidem punitur homicida, Justus autem corpore nihil patitur, non est igitur supplicii loco inclusa corpori anima.* Cæteras rationes apud ipsum lege.

Probatur quinto secunda pars Propositionis ex S. Joanne Damasceno lib. 2. Fidei Orthodoxæ, c. 12. dicente: *Porro corpus & anima una creata sunt; non autem, ut Origenes deliravit, hæc prius, illud posterius.*

Probatur tertia pars, quod scilicet Origenis error de Animarum creatione ante corpora, fuerit ab Ecclesia damnatus: primo ex S. Leone, Epistola 93. ad Turribium Asturicensem Episcopum, c. 10. ubi contra Priscillianistas illum errorem suscitantes, hæc habet: *Decimo capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inferuntur, fuisse in corpore, & in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis Principes incidisse, & per aereas & sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse inclusas sorte diversa & conditione dissimili, ut quidquid in hac vita varie & inæqualiter provenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos Catholica Fides a corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere; nec ab alio incorporentur, nisi ab Opifice Deo, qui & ipsarum est Creator, & corporum.*

Probatur secundo ex Concilio Bracarensi II. quod anno Christi 563. contra Priscillianam hæresim celebratum est Canone 6. ita decernente: *Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana, in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

Probatur tertio ex Anathematismo primo inter eos, qui leguntur ad finem Tractatus Justiniani Imperatoris adversus Origenis errores, quique a Synodo Quinta Œcumenica sunt probati. *Si quis dicit, aut sentit præexistere homines animas, utpote quæ an-*

ante mentes fuerint, & ſanctæ Virtutes, ſatietatemque cepiſſe divinæ contemplationis, & in deterius converſas eſſe, atque idcirco refrixiſſe a Dei charitate, & inde animas eſſe nuncupatas, demiſſaſque eſse in corpora ſupplicii cauſa, anathema ſit.

Probatur ultimo ex Concilio Lateranenſi Tertio, c. *Firmiter, de Fide Catholica*, ubi decernit: *Deum ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam*. Ergo ab Eccleſia damnatus eſt Origenis & Origeniſtarum error, aſſerentium animas ante corpora conditas fuiſſe.

Objiciuntur momenta Origenis. Regius Vates perſpicue ſignificat animas ante corpora creatas fuiſſe & propter admiſſa peccata, corporibus veluti carceribus addictas. Quid enim aliud indicant illa verba Pſalmi 65. *Induxiſti nos in laqueum*? Et illa Pſalmi 118. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*? Et illa Pſalmi 141. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo?*

Reſpondeo, iſta Sacræ Scripturæ loca nequaquam Origenis errori favere. In priori namque, laquei nomine corpus ſignificari falſum eſt: ſed vel captivitas Iſraelitici populi in Ægypto intelligitur, cujus ob ſolutionem Regius Vates Deum laudat, vel Martyrum paſſiones & cruciatus: vel denique omnes ærumnæ, quibus Juſti ipſi in hac mortali vita obnoxii ſunt, quibus eos reſurrectio æternum liberabit. Hunc ſenſum verba Pſalmi antecedentia & conſequentia indicant: *Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, Tranſivimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium*. Lege S. Auguſtini Commentarium in illum locum.

Neque etiam Origenis errori ſuffragatur alter locus: ibi enim loquitur David de peccatis commiſſis in corpore, priuſquam humiliatio per flagella accederet, maxime per filii perſecutionem; non vero de peccatis quæ patrata ſint ab anima, antequam in corpore degeret, cum non extiterit antea, ſed tunc tantum creata & immiſſa ſit in corpus, quando id per generationem diſpoſitum eſt. Quo temporis puncto, propter Originale Peccatum, quod contrahitur, & ratione cujus omnes in Adamo peccaſſe cenſentur, vere humiliari dicuntur, & excidere ab eo honore in quo fuiſſent, ſi ſtatus innocentiæ perſeveraſſet. Unde S. Auguſtinus Concione 17. in Pſalmum citatum, ait hæc verba: *Ad illam humiliationem melius referri, quæ facta eſt in Adam; in quo omnis creatura humana tamquam in radice vitiata, quoniam veritati ſubjecta eſse non voluit, ſubjecta eſt vanitati. Quod vaſis miſericordiæ profuit experiri, ut dejecta ſuperbia, diligatur obedientia, & pereat non reditura miſeria*. Lege S. Ambroſium Enarratione in eumdem Pſalmum. Denique poſterior locus, Origenis errorem non juvat. Verba enim illa non ſunt animæ poſtulantis liberationem a corpore, tamquam e carcere, ſed David orantis Deum, ut e ſpelunca in qua latebat, Saulis perſecutionem declinans, evaderet. Ea namque occaſione Pſalmum illum fuiſſe a Davide conſcriptum, conſtat ex ipſius inſcriptione, quæ eſt hujuſmodi: *Intellectus David, cum eſset in ſpelunca, Oratio*. Quamquam & corpus ipſum carcer dici poteſt, non in quem detrudatur præexiſtens anima, ſed quo ſimul condita, propter corruptionem aggravetur. Qua de corruptione ut eruatur Juſtus rogat. Sic explicat S. Auguſtinus Enarratione hunc in Pſalmum. *Duo conſideranda ſunt*, inquit, *in noſtro corpore, figmentum Dei, & pœna meriti. Tota iſta forma, ſtatus, inceſſus, membra ordinata, ſenſuum diſpoſitiones, omnis hæc compago & fabricæ diſtinctio, non potuit fieri niſi a Deo. Quid ergo ibi pœnale noſtrum? Quod corruptibilis caro, quod fragilis, quod mortalis, quod indigens: hoc non erit in præmio. Non enim corpus non erit, cum reſurgat corpus. Sed quid ibi non erit? Corruptio: Corruptibile enim hoc induet incorruptionem. Ergo ſi caro tibi carcer eſt, non corpus eſt carcer tuus, ſed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonus, quia bonum eſt: corruptionem intulit juſtus, quia Judex eſt: illud habes de beneficio: illud habes de ſupplicio: Hoc ergo forte dixit: Educ de carcere animam meam. Si ſic intelligamus, non eſt blaſphemia, intellectus conſtat*. Lege & alias iſtius loci expoſitiones apud S. Auguſtinum, ibidem.

Obje-

Objectio ſecunda petitur ex illis verbis Joannis 1. cap. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quibus ſignificatur animam extitiſſe antequam veniret in mundum, & lumen divinum ipſi affulſiſſe, cum primum in corpus delapſa eſt.

Reſpondeo, iſtud S. Joannis oraculum Origenis errorem non confirmare. Non enim dicitur homo venire in mundum, quaſi ante extiterit: ſed venire in mundum, idem eſt ac naſci, ſecundum modum loquendi Hebræorum: & illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, idem eſt ac illuminare omnem hominem naſcentem. *Locum enim veluti quemdam creaturarum animo concipimus*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *nimirum aliquando non eſſe, unde ad eſſe quodammodo prodeuntes, alium tandem locum in exiſtentia capiunt. Accommodatius ergo, atque decentius de natura hominum dici poteſt, primis ſtatim temporibus illuminari, & una cum ipſo eſſe, vim etiam intelligendi, ab ea quæ in mundo eſt luce, nimirum Unigenito ſuſcipere*. Quod ſi de anima præexiſtente hæc verba Sancti Joannis intelligenda eſſent, male diceretur anima illuminari, quæ in corpus velut in carcerem punienda truderetur, ut S. Cyrillus adverſus Origeniſtas urget.

ARTICULUS II.

Utrum finem habitura ſit dæmonum, & hominum im priorum damnatio?

PROPOSITIO.

Æternam fore dæmonum, & hominum impiorum damnationem, Scriptura Sacra diſerte aſſerit, cæterique Patres contra Origenem propugnant.

PRobatur prima pars, ex Iſaiæ ultimo c. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Et ex ſententia Chriſti in ſupremo judicio, Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Et ex Servatoris ejuſdem verbis Marci 9. *Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.*

Probatur ſecunda pars, primo ex S. Juſtino Martyre, Apologia 2. *Sed enim*, inquit, *quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, juſto judicio pro delictis ſuis ſupplicium in igne ſempiterno reportabunt.*

Probatur ſecundo ex Tertulliano Apologetici cap. 45. *Enim vero nos, qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum ſempiterni, eum timentes.*

Et libro de Carne Chriſti c. 14. *Homo perierat, hominem reſtitui oportuerat. Ut hominem geſtaret Chriſtus, nihil tale de cauſa eſt: nam etſi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo & Angelis ejus, numquam tamen illis reſtitutio repromiſſa eſt. Nullum mandatum de ſalute Angelorum ſuſcepit Chriſtus a Patre. Quod Pater neque repromiſit, neque mandavit, Chriſtus adimplere non potuit.*

Probatur tertio ex Minutio Felice in Octavio: *Et tamen*, inquit, *admonentur homines doctiſſimorum libris, & carminibus Poetarum, illius ignei fluminis, & de ſtygia palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indiciis, & de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipſe Rex Jupiter per torrentes ripas, & atram voraginem, jurat religioſe. Deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultoribus pœnam, præſcius perhorreſcit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit, & reficit: carpit, & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, non abſumunt. Sicut ignes Æthnę & Veſuvii Montis & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.*

Probatur quarto ex S. Hilario Capite 27. in Matth. ubi de impio ſic loquitur: „ Quod ſi contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ ſalutis ex-

„ ten-

„ tenditur, adverſum conſervos inſoleſcet, & ſæculi malis, vitiiſque ſe tradet, præ-
„ ſentium tantum curam in cultu ventris exercens, deſperata die Dominus adveniet,
„ cumque a bonis quæ ſpoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœ-
„ næ perennitate conſtituet, quia mandatis non obtemperaverit, quia præſentibus ſtu-
„ duerit, quia vita Gentium vixerit.

Miſſum facio S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonium Homilia 9. in Epiſtolam 1. ad Corinthios.

V. Probatur ex S. Hieronymo, contrariam ſententiam velut hæreſim in Origene, & Origeniſtis refellente, tum in Apologia adverſus Rufinum, tum alibi paſſim, ut ex multis ipſius teſtimoniis a nobis recenſitis in Diſſertatione de fide Origenis, comperтum eſt.

Et lib. 4. Commentarii in Matthæum: *Prudens Lector attendat*, inquit, *quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.*

Probatur 8. ex S. Aug. lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum. „ Sunt & alia, *inquit*,
„ Origenis dogmata, quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit: in quibus nec ipſum
„ falſo arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari: maxime de purgatione, & li-
„ beratione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione univerſæ ra-
„ tionalis creaturæ. Quis enim Chriſtianus Catholicus, vel doctus, vel indoctus, non
„ vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum? Id eſt etiam eos,
„ qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & ſacrilegiis, atque impietatibus quam-
„ libet maximis finierunt: ipſum etiam poſtremo Diabolum, atque Angelos ejus quam-
„ vis poſt longiſſima tempora purgatos, atque liberatos regno Dei, lucique reſtitui: &
„ rurſus poſt longiſſima tempora, omnes qui liberti ſunt, ad hæc mala denuo relabi &
„ reverti: & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ
„ ſemper fuiſſe, ſemper fore?

Et lib. 21. de Civit. Dei, c. 17. „ Nunc jam, *inquit*, cum miſericordibus noſtris agen-
„ dum eſſe video, & pacifice diſputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos ju-
„ ſtiſſimus Judex dignos gehennæ ſupplicio judicabit, vel quibuſdam eorum, nolunt
„ credere pœnam ſempiternam futuram, ſed poſt certi temporis metas pro cujuſque
„ peccati quantitate longiores, ſive breviores, eos inde exiſtimant liberandos. Qua in
„ re miſericordior profecto fuit Origenes, qui & ipſum Diabolum atque Angelos ejus,
„ poſt graviora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruendos, atque
„ ſociandos ſanctis Angelis credidit. Sed illum, & propter hoc, & propter alia non-
„ nulla, & maxime propter alternantes ſine ceſſatione beatitudines & miſerias non im-
„ merito reprobavit Eccleſia: quia & hoc quod miſericors videbatur, amiſit, faciendo
„ Sanctis veras miſerias, quibus pœnas luerent, & falſas beatitudines, in quibus verum
„ ac ſecurum, hoc eſt, ſine timore certum ſempiterni boni gaudium non haberent.

Et cap. 23. „ Quamobrem prorſus nec alia cauſa, nec juſtior, nec manifeſtior inveni-
„ ri poteſt, cur veriſſima pietate teneatur fixum & immobile, nullum regreſſum ad
„ juſtitiam vitamque Sanctorum Diabolum & Angelos ejus habituros, niſi quia Scri-
„ ptura quæ neminem fallit, dicit eis Deum non peperciſſe, & ſic ab illo eſſe interim
„ prædamnatos, ut carceribus inferni retruſi traderentur ſervandi, atque ultimo judicio
„ puniendi, quod eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in ſæcula ſæculorum.
„ Quod ſi ita eſt, quomodo ab ejus æternitate pœnæ, vel univerſi, vel quidam ho-
„ mines, poſt quantumlibet temporis ſubtrahentur, ac non ſtatim enervabitur fides,
„ qua creditur ſempiternum dæmonum futurum eſſe ſupplicium? Si enim quibus dice-
„ tur: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Ange-
„ lis ejus; vel univerſi, vel aliqui eorum non ſemper ibi erunt: quid cauſæ eſt cur
„ Diabolus & Angeli ejus ſemper ibi futuri eſſe credantur? An forte Dei ſententia,
„ quæ in malos & Angelos & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines
„ falſa? Ita plane hoc erit, ſi non quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines, plus
„ valebit. Quod fieri quia non poteſt, non argumentari adverſus Deum, ſed divino po-
„ tius, dum tempus eſt, debent parere præcepto, qui ſempiterno cupiunt carere ſup-
„ plicio. Deinde quale eſt, æternum ſupplicium pro igne diuturni temporis exiſtima-

re,

„ re, & vitam æternam credere ſine fine? Cum Chriſtus in eodem ipſo loco, in una „ eademque ſententia dixerit, utrumque complexus: Sic ibunt iſti in ſupplicium æter- „ num, juſti autem in vitam æternam.

Probatur nono ex Sanct. Fulgentio lib. de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 43. l. 2. de Remiſſione peccatorum, capp. 13. 15. & 21. Loca ſunt inſignia, quæ per otium legere poteris; tot enim exſcribere capita neceſſe non arbitror: ea tibi indicaſſe ſatis.

Probatur decimo ex S. Gregorio Magno lib. 34. Moralium, c. 16. & lib. 4. Dialogorum, cap. 44. cujus verba protulimus in Diſſertatione de liberatione Trajani ab inferis, S. Gregorii precibus.

Objicitur 1. S. Gregor. Nyſſ. Origenis ſententiam de pœnis dæmonum, hominumque damnatorum aliquando finiendis, ſectatus eſt, & propugnavit. Non fuit igitur hæc opinio cæteris a Patribus erroris damnata.

Probatur antecedens. Qui cenſet poſt longos temporis circuitus auferendum e natura malum, hominem a malitia liberandum, ipſum inventorem malitiæ ſanandum, ut omnibus in priſtinum ſtatum reſtitutis, una voce creatura omnis gratias agat, Origenis ſententiam de pœnis dæmonum, hominumque damnatorum aliquando finiendis ſectatur: atqui S. Gregorius Nyſſenus aſſeruit, poſt longos temporis circuitus auferendum e natura malum, hominem a malitia liberandum, ipſum inventorem malitiæ ſanandum: ſectatus eſt igitur ſententiam Origenis.

Probatur minor ipſius S. Gregorii Nyſſeni verbis in Oratione Catechetica, cap. 26. ubi Deum opponens dæmoni, ſic loquitur: *Ille quidem fraude uſus eſt ad perimendam naturam: hic autem ſimul & juſtus, & bonus, & ſapiens, excogitatam adhibuit deceptionem ad ſalutem ejus qui perierat; per hæc beneficio afficiens, non ſolum eum qui perierat, ſed eum quoque qui nobis attulerat interitum. Nam ex eo quod vitæ quidem mors appropinquavit, luci autem tenebræ, interitus incorruptioni; deletur quidem id quod eſt deterius, & ad id, quod non eſt, tranſitur, & juvatur id quod ex iis expurgatur. Quomodo enim ſi vili materiæ auro admixta, aurifices, per ignem, eo conſumpto quod erat alienum & rejiciendum, ad naturalem ſplendorem præſtantiorem reducunt materiem: neque tamen citra laborem fit illa ſecretio, cum ignis ſua conſumendi potestate, tempore deleat id quod eſt adulterinum: Verum enim vero auri quædam eſt medicatio, quod in ipſo eliquetur id quod ad boni exitium, in eo poſitum fuerat: Eodem modo etiam, cum mors & interitus, & tenebræ, ſi quis eſt alius vitii fœtus, inventori adnata eſſent: divinæ virtutis appropinquatio, tamquam ab igne, deleto eo quod eſt præter naturam, naturam incorruptionis afficit beneficio, etiamſi laborioſa ſit ſecretio. Ergo ne ipſe quidem dubitare poterit adverſarius, quin quod factum eſt, ſit juſtum & ſalutare, ſi venerit ad ſenſum beneficii: Nunc enim quomodo ii qui, ut curentur, ſecantur & uruntur, iraſcuntur iis qui curant, ut quibus acris & aſpera ſentiatur ſectio: Quod ſi acciderit ut per id ſani fiant, & dolor tranſeat ſectionis, habebunt gratiam iis qui ipſos curaverint: Eodem modo, cum per longum temporis ambitum ablatum fuerit naturæ malum, quod nunc eſt iis immixtum & coalitum, & eorum qui nunc jacent in malis, in antiquum ſtatum facta fuerit reſtitutio, una voce agentur gratiæ ab univerſa creatura, & ab iis qui caſtigati fuerint in purgatione, & ab iis qui ne omnino quidem opus habuerunt ut purgarentur.* Et infra: *Per hoc quod mixtus fuit humanitati,* Dei Filius, *effecit ea omnia quæ prius dicta ſunt, & hominem a vitio liberans, & vitii medens inventori.*

Præterea. Qui aſſerit vitium & nequitiam aliquando in rerum natura non futuram, quia Deus erit omnia in omnibus, & dæmones, poſt longos ſæculorum anfractus, dominationem Chriſti concorditer confeſſuros, ille Origenianam de pœnis dæmonum, & hominum damnatorum quandoque finiendis, doctrinam propugnat: ſed S. Gregorius Nyſſenus id aſſerit: ſententiam igitur Origenis tantum abeſt ut damnet, quin potius eam propugnet.

Probatur minor ipſius verbis libro de Anima & Reſurrectione, ubi explicans illa verba 1. ad Corinth. 15. *Deus erit omnia in omnibus*, hæc habet: „ Hoc in loco mihi „ videtur perfectum & abſolutum interitum vitioſitatis ac nequitiæ tradere Scriptura.

„ Si enim in omnibus Deus erit, vitiositas nequitiaque in rerum natura non erit.
„ Nam si quis vitiositatem etiam & nequitiam esse posuerit, quomodo servabitur ea
„ sententia, qua dicitur, quod in omnibus Deus sit? Illius enim videlicet vitiositatis,
„ nequitiæque exemptio atque subtractio, imperfectam, ac non plenam efficit omnium
„ comprehensionem.

Et in eodem libro, pertractans locum illum Pauli ad Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genuflectatur*, &c. Triplex ibi genus ratione præditorum complexum esse dicit Apostolum; Angelos, qui cœlestium nomine continentur; homines qui in terra degunt; & animas corpore solutas, necnon dæmones, qui subterranei censentur. *Subterraneum est*, inquit, *id quod jam a corpore separatum atque disjunctum sit: aut certe si alia quoque præter enumeratas natura inter ratione præditas animadvertitur; quam sive quis dæmones, sive spiritus, sive aliquid tale voluerit denominare, non contendimus. Persuasum est enim tam ex communi opinione, quam ex Scripturarum traditione, esse quamdam naturam extra talia corpora, quæ recto atque honesto adversa contrariaque sit, & in humanæ naturæ detrimentum atque perniciem incumbat; quæ sponte sua a meliore sorte exciderit atque defluxerit, & in locum boni & honesti a quo defecit, id quod ex contrario intelligitur, in se substituerit: quam ajunt Apostolum inter subterranea & inferiora numerare, id illo sermone significantem, quod vitiositate longis sæculorum anfractibus, & circuitionibus aliquando abolita, atque extincta, nihil præter bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer dominationem Christi confitebuntur.* Sanctus itaque Gregorius Nyssenus asserit vitium & nequitiam aliquando in rerum natura non futuram, quia Deus erit omnia in omnibus, adeoque in ipsis dæmonibus, qui post longos sæculorum anfractus imperio Christi subjicientur.

S. Gregorius Nyssenus Origenis errorem de pœnis dæmonum hominumque damnatorum aliquando finiendis non propugnavit.

Resp. ad 1. nego min. Idemque dico ad secundum. Hæc namque verba, quibus Origenis error manifeste adstruitur, non sunt S. Gregorii Nysseni, sed sunt Origenistarum qui ejus Opera violaverunt, & in ea suos errores intruserunt, præsertim vero in librum de Anima & Resurrectione, & in librum Catecheticum. Id asserit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in libro qui inscribitur: *Retribuens & legitimus*; idest, de vera & legitima retributione, quæ rependitur hominibus prout vixerint. Eo in Opere, ut refert Photius in Bibliotheca, Cod. 233. S. Germanus contendit „ Gre-

S. Gregorii Nysseni opera ab Origenistis violata.

„ gorium Nyssæ Episcopum, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim
„ quibus delirium illud placet, dæmonibus & hominibus in æternam pœnam conjec-
„ tis liberationem inde expectandam, illi (quod virum doctrina singularem & elo-
„ quentia insignem eum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium
„ ora decantatam viderent) aggressi sunt claris & salutaribus ejus Scriptis, obscura ac
„ perniciosa Origeniani somnii venena admiscere, virtutique hominis & doctrinæ cele-
„ bri hæreticam occulte amentiam subjicere. Quare partim additamentis falsis, partim
„ rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis
„ calumniari conati sunt. Contra quos Germanus pietatis patronus acutum veritatis
„ gladium stringens, & vulnere prostratos hostes relinquens, victorem superioremque
„ eum constituit, in quem hæretica colluvies insidias struxerat & posuerat.

Et infra, de eod. S. Germani Opere Photius: „ Has porro sacras sententias adducens de Origenistis in propriis sententiis convictis, quibus illi male utebantur: triumphum egit: reprehendens, tum quod legitima quidem audacibus & impudentibus
„ additamentis illegitima redderent; tum vero quod additamenta continuantes, magna
„ arrogantia & stupiditate, ad hæreticam suam opinionem ea audacter detorquerent.
„ Et ut breviter dicam, omnia S. hujus Patris Scripta ab omni hæretica pravitate &
„ calumnia, quæ in impietatem vergit, immunia esse declarat. Hæc porro imminutas
„ & improbitatis refutatio, & ex antecedentibus loci depravati, & ex consequentibus
„ conficitur, & demonstratur, & ex aliis sexcentis B. Gregorii Nysseni libris, qui orthodoxe & legitime sentiunt, recte excutiens, ut nemo melius in salutares preces
„ ac laudes Dei laborem finiit. Libri autem quos insidiis excipere hæretici moliti sunt,
„ & quos Germanus veritatis Propugnator primarius ab latronum insultu sine noxa
„ servavit, sunt Dialogus ad Macrinam sororem, de Anima, & liber Catecheticus, &

„ ille

„ ille qui de perfecta vita rationem continet “. Hæc Photius. Interpolatum etiam ab hæreticis, & Origenicis dogmatibus inſperſum librum de Anima, quem S. Gregorius Nyſſenus Macrinæ ſorori dicavit, Nicephorus teſtatur lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 19.

Quod autem S. Gregorius Nyſſenus pœnarum inferni crediderit æternitatem, conſtat ex illius Oratione *In eos qui differunt Baptiſma*, ubi dicit: „ In electione malo„ rum magis eſt eligendum ut ſalutare lavacrum aſſecutus, rurſus ſit in peccato, quam „ ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortaſſe conſequitur, „ aut clementiam, cujus magna eſt ſpes apud bonos: alteri autem eſt omnino vetita „ ſalus ex certa ac definita ſententia. Nam cum audiero vocem, quæ non mentitur, „ dicentem: Amen, amen dico vobis: niſi quis natus fuerit deſuper, non poteſt vide„ re regnum Dei: nihil boni poſſum expectare iis qui Myſteriis non ſunt initiati “. Et infra, de illius anima, qui abſque Baptiſmate decedit, hæc habet: „ Cum non ſit „ obſignata, quam eſt veriſimile per aerem ferri errantem, & minime quæſitam, ut „ quæ Domino careat, quærentem quietem & locum in quo maneat, & non inveniem„ tem; fruſtra deflentem, & inutiliter pœnitentem, non ſecus atque divitem qui in„ duebatur purpura & byſſo, quemque lautus, ac delicatus omnis generis cibus ale„ bat, materiam ignis qui non poteſt extingui.

Objectio ſecunda petitur ex S. Gregorio Nazianzeno, Orat. 39. *In Sancta Lumina*. In qua Novatianis, niſi reſipiſcant, & Chriſti viam incedant, ſupplicia poſt mortem comminatur, ſed purgatoria, minimeque perpetua. Atque hi quidem, *inquit*, noſtra, „ ſi velint, atque adeo Chriſti via; ſin minus, ſuæ inſiſtant. In altero ævo igne for„ taſſe baptizabuntur, qui poſtremus eſt Baptiſmus, nec ſolum acerbior, ſed & diu„ turnior, qui craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vitiique omnis levitatem ab„ ſumit.

Et Orat. 40. dubium ſaltem eſſe ſignificat an pœnæ inferni æternæ ſint, & liberum cuique eſſe ea de re, quod voluerit opinari: „ Eſt alter ignis, *inquit*, non purgans, „ ſed ſcelerum vindex, ſive Sodomiticus ille, quem ſulphure & procella permixtum „ Deus in peccatores omnes fundit: Sive ille qui Diabolo ejuſque Angelis paratus eſt: „ Sive etiam ille qui ante faciem Domini procedit, & in circuitu inimicos ejus inflam„ mat: Sive denique ille omnibus his formidabilior, qui cum inſomni illo verme con„ junctus eſt, nec umquam extinguitur, verum in ſceleratorum hominum pœnam pe„ rennis eſt, & ſempiternus. Hi enim omnes eam vim habent ut perdant ac deleant: „ niſi tamen hoc quoque loco quiſpiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum „ eſt, intelligendum putet “. Origenis igitur opinio de pœnis damnatorum aliquando finiendis, non eſt a cæteris Patribus damnata.

Obſcuriora S. Gregorii Nazianzeni loca explicantur.

Reſp. S. Gregorium Nazianzenum in priori loco improprie & obſcure locutum eſſe, & per Baptiſmum ignis poſtremum & diuturniorem, intellexiſſe ignis ſempiterni ſupplicia, qui terrenam & craſſam materiam tamquam fœnum comedit, hoc eſt, craſſis & obſcænis corporis voluptatibus ſervientes exurit, atque homines peccato leves & aridos ita excruciat, ut tamen non abſumat, ut explicat Nicetas in ſuis ad illam Orationem Commentariis. In Oratione autem 40. pœnarum tartarearum æternitatem diſerte adſtruit, his verbis: *Omnibus his formidabilior ignis, qui cum inſomni illo verme conjunctus eſt, nec umquam extinguitur, verum in ſceleratorum hominum pœnam perennis eſt, & ſempiternus.* Quod autem addit, *Niſi quiſpiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum eſt, intelligendum putet*: Non refertur ad æternitatem ſupplicii, quaſi arbitrarium ſit aſſerere, pœnas damnatorum finiendas eſſe, nec adeo acerbas eſſe ut in perpetuum durent: ſed ad pœnæ magnitudinem & intenſionem referendum eſt, quam ſi quis noſtrorum atrocitati ſcelerum non adæquari contendat, ſed mitiorem intelligi velit, quam criminum immanis magnitudo mereatur, quia Deus vindex juſtam pœnam miſericordia & lenitate temperare ſolet; Sanctum Gregorium Nazianzenum repugnantem non habebit. Porro quod æternitatem pœnarum inferni propugnaverit, conſtat ex illius Oratione 15. „ Mitto, *inquit*, dicere futuræ vitæ tribunalia, „ qui-

„ quibus hujuſce vitæ indulgentia & impunitas eos tradit: ita ut ſatius ſit nunc „ caſtigari ac purgari, quam ad cruciatum illum tranſmitti, cum jam pœnæ tempus „ erit, non purgationis. Quemadmodum enim, qui Dei memor hic eſt, morte ſupe- „ rior eſt, idque a Davide optime dictum eſt: ita his qui e vita exceſſerint, non eſt „ in inferno confeſſio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam & actionem, illic „ rerum geſtarum cenſuram concluſit". Et infra de damnatis ſic loquitur: „ Hos au- „ tem ſimul cum aliis, vel potius ante alia iſtud excruciabit, quod a Deo projecti „ ſint, atque inuſtam in conſcientia ſempiternæ ignominiæ notam gerant.

Objectio tertia nititur auctoritate Sancti Ambroſii in Pſalmum 118. Octonario 20. verſic. 2. ubi diaboli quidem æterna fore ſupplicia cenſet: Ideoque pœnam illius differri, ut ſempiterna ſit; hominum vero, quia miſericordia temperari, ac circumſcribi ſupplicia debent, ſubinde poſt obitum ea repræſentari. *Diabolus enim*, inquit, *& miniſtri ejus cum hominibus non flagellabuntur. Separata eſt pœna, ubi diſtat & culpa.* Hinc & Divitem illum, qui Lazari opem imploravit, evaſurum aliquando putat. *Differtur*, inquit, *Diaboli judicium, ut ſit ſemper in pœnis reus; ſemper improbitatis ſuæ innexus catenæ, conſcientiæ ſuæ, ut in perpetuum ſubeat ipſe judicium. Ideo Dives ille in Evangelio, licet peccator, pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius poſſit evadere. Diabolus autem nequaquam puniri ad judicium demonſtratur, nequaquam adhuc pœnis eſſe ſubjectus, niſi quas ipſe, tantorum conſcius ſcelerum, ſolvit timore perpetuo, ne aliquando ſecurus ſit.*

Confirmatur ex Auctore Commentariorum in Epiſtolas Sancti Pauli, Sancto Ambroſio adſcriptorum, qui in cap. 3. Epiſtolæ ad Epheſios exponens illa verba: *Ut innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus, in cœleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei*, &c. aſſerit dæmones, qui diaboli tyrannidi aſſenſum præbuerunt, Apoſtolorum prædicatione fuiſſe ab errore liberatos, & ad Chriſtum converſos. *Tam bene*, inquit, *de hoc* ſenſit Deus (id eſt de Sancto Paulo) *ut non ſolum Gentibus hunc Magiſtrum daret, verum etiam ut per eum veritas Chriſti innoteſcat Spiritibus in cœleſtibus, qui ſunt Principes & poteſtates: ut agnoſcentes per Eccleſiam, quæ multifarie ad vitam attracta eſt, in Chriſto unius Dei manere myſterium, deſinant ab errore. Id enim agitur, ut Prædicatio Eccleſiaſtica etiam his proficiat, & deſerant aſſenſum tyrannidis diaboli, qua ſe adverſus unius Dei fidem impia præſumptione armavit.* Tum illa Pſalmi 23. verba huc accommodat: *Tollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quæ ſic interpretatur: *Dicetur ergo his Principibus, qui in errore ſunt in cœleſtibus, ſive Miniſtris ejus in terris, ut auferant portas Principis ſui, ideſt diaboli, de mentibus ſuis, per quas multorum Deorum aſſerendorum error intravit.* Quibus verbis, non alii, quam impii Spiritus deſignantur, qui fide carent, & in errore ſunt, ac tyrannidi aſſenſi ſunt diaboli, quos etiam ab errore illo, prædicatione Eccleſiæ liberari docet. Nam ad bonos Spiritus, *Qui vident faciem Patris cœleſtis* & Chriſtum, ſtatim atque introductus eſt in orbem terrarum, adorare juſſi ſunt, iſta verba referre abſurdum eſt.

Reſpondeo ad primum, S. Ambroſium ibi non opponere pœnas, quas homines impii patiuntur in inferno, dæmonum ſuppliciis, quoad durationem: quaſi dæmonum quidem pœnas æternas fore exiſtimet, hominum vero impiorum aliquando finiendos cruciatus; cum in ejuſdem Pſalmi Enarratione, & eodem in loco dicat: *Chriſtus ſuos caſtigat, quos diligit; alienos, tamquam generali damnatione impietatis adſtrictos, pœna damnat æterna*: Sed opponere pœnas dæmonum, & hominum peccatorum, in genere ſpectatas, in eo quod homines peccatores, quandoque in hac mortali vita, vel etiam in futura temporaliter a Deo puniantur, pœnis nimirum purgatoriis; idque conſequantur temporariis hujuſmodi ſuppliciis, ut ex æternis evadant. Unde nomine Divitis Evangelici, quem pœnalibus ærumnis ait urgeri, ut citius poſſit evadere, non intelligit Divitem illum epulonem, qui ſepultus eſt in inferno, ſed Divitem Avarum, de quo Lucæ 12. capite, qui a Deo ultore de morte ſibi imminente commonitus eſt his verbis: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?*

erunt ? Quem proinde ſic a Deo increpitum S. Ambroſius exiſtimavit ex eorum eſse numero, qui temerariis pœnis plectuntur, ut æternas evadant. Quamobrem in eo S. Ambroſii loco, duodecimum Lucæ caput ad marginem annotatur.

Quod autem S. Ambroſius damnatorum pœnas æternas fore exiſtimaverit, conſtat ex ejus Enarratione in eumdem Pſalmum in fine Octonarii 20. ubi hæc habet: *Scienter igitur in æternum manſura judicia omnia juſtitiæ Dei, caveamus ne opera noſtra diſpliceant, & in æternum incipiamus ſubire judicium.* Conſtat ex ejus 2. capite de Fide, cap. 4. ubi ait: *Tu te a diabolo creatum, Manichæe, arbitraris: ad illius ergo feſtina ſedem, ubi ignis & ſulphur: ubi non reſtinguitur ejus incendium, nec umquam pœna moritur.*

Ad confirmationem reſpondeo, Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, qui S. Ambroſii nomine inſcribuntur, Auctorem, ea fuiſſe in ſententia, quod mali Angeli, errorem quo Luciferi tyrannidi aſſenſum præbuerunt, prædicantibus Apoſtolis depoſuerint; quia exiſtimavit illos ex errore peccaſſe: ſed non aſſeruit ipſos pravum affectum depoſituros, & convertendos ad Deum, atque ex ſuppliciis inferni liberandos. Quamquam etſi ea in ſententia fuiſſet, nihil adverſus noſtram Propoſitionem ejus probaret auctoritas. Diximus enim Patres æternam dæmonum & impiorum hominum damnationem propugnare. At Ambroſiaſter non eſt inter Patres numerandus, qui vel Hilarius Diaconus Luciferianus fuit, ut viri plerique eruditi putant, vel alius Scriptor multis nævis inſperſus. Sed Auctorem illum æternas damnatorum pœnas credidiſſe, conſtat ex ipſius Commentario in caput ſecundum Epiſtolæ ad Romanos, ubi hæc ſcribit: *Neceſſe eſt ſeveriori pœna ut plectatur; immo flammis perennibus torqueatur, qui longa Dei patientia non ſolum ſe emendare noluit: ſed adhuc addens ad contemptum, exaggeravit peccata.*

S. Hieronymus æternitati pœnarum inferni reſpectu omnium damnatorum minime contrarius.

Objectio quarta petitur ex Sancto Hieronymo lib. 1. Dialogorum adverſus Pelagianos, ubi ſolos impios, id eſt, Deum ignorantes, aut negantes, perpetuis tormentis excruciandos aſſerit, Chriſtianos vero iniquos & peccatores a damnatione liberandos. „ Illud vero, *inquit*, quod in ſequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis & pec„ catoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis poteſt, & „ interdicere te miſericordiam Dei, & ante diem judicii de ſententia Judicis judica„ re: ut ſi voluerit iniquis & peccatoribus parcere, te præſcribente, non poſſit? Di„ cis enim: Scriptum eſt in centeſimo tertio Pſalmo: Deficiant peccatores a terra, & „ iniqui, ita ut non ſint. Et in Iſaia: Comburentur iniqui & peccatores ſimul, & qui „ relinquunt Deum, conſummabuntur. Et non intelligis comminationem Dei interdum „ ſonare clementiam? Non enim dicit eos æternis ignibus exurendos, ſed a terra de„ ficere, & iniquos eſſe ceſſare. Aliud enim eſt ipſos a peccato & iniquitate deſiſte„ re: & aliud ipſos perire in perpetuum, & æternis ignibus concremari ..... Dein„ de cujus eſt temeritatis, iniquos & peccatores impiis jungere, qui a nobis ſic defi„ niuntur? Omnis impius iniquus eſt & peccator; nec reciprocatur ut poſſimus dicere: „ Omnis peccator & iniquus etiam impius eſt. Impietas enim proprie ad eos pertinet, „ qui notitiam Dei non habent, vel cognitam tranſgreſſione mutarunt. Peccatum au„ tem & iniquitas, pro qualitate vitiorum, poſt peccati & iniquitatis vulnera, re„ cipit ſanitatem. Unde ſcriptum eſt (Pſalmo 31.) Multa flagella peccatoris, & non „ interitus ſempiternus: & per omnia flagella atque cruciatus emendatur Iſrael". Mox inter impios & peccatores ita diſtinguit: „ Quod impii non reſurgant in judicio, „ jam enim in perditionem ſunt præjudicati: *Peccatores autem in judicium veniant*; „ Sed in conſilio juſtorum non reſurgant: aliud enim eſt, gloriam perdere reſurgen„ di, aliud perire perpetuo. Veniet, inquit, hora, in qua omnes qui in ſepulcris „ ſunt, audient vocem ejus, & egredientur qui bona fecerunt, in reſurrectionem vi„ tæ: qui autem mala egerunt, in reſurrectionem judicii. Unde & Apoſtolus eodem „ ſenſu, quia eodem Spiritu, loquitur ad Romanos: Quicumque enim ſine lege pec„ caverunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judi„ cabuntur. Sine lege impius eſt, qui in æternum peribit. In lege peccator credens „ in Deum, qui per legem judicabitur, & non peribit.

Porro non de Purgatorii pœnis intelligendus est hic S. Hieronymi locus, ut quidam respondent, sed de inferorum cruciatu. Etenim ignem illum intelligere se dicit, quo Hæretici & impii soli in sempiternum cremantur. Deinde peccatores & impios eos ipsos in æternum perituros esse negat, qui in gloria non resurgent, neque in resurrectionem vitæ, sed in resurrectionem judicii; Judicium autem pro condemnatione hic sumitur. Tertio, solos impios, hoc est infideles, excludit a judicio: eos autem qui in judicio sistentur, per legem judicandos ait, non tamen perituros in æternum. Igitur illi quibus dicturus est Dominus: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. qui utique judicantur, & in resurrectionem judicii veniunt, a pœnis longo intervallo liberi fient.

Confirmatur ejusdem Sancti Hieronymi testimonio in calce Commentariorum in Isaiam, ubi postquam sententiam Origenis tacito ejus nomine proposuit, ostenditque quibus Scripturæ locis utantur, qui asseverant, post cruciatus & tormenta, futura refrigeria, quæ nunc abscondita sunt ab his, quibus Dei timor utilis est, ut dum supplicia reformidant, peccare desistant: Primum sententiam hac de re suam suspendit. *Quod nos*, inquit, *Dei solius debemus scientiæ derelinquere, cujus non solum miseriæ, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare*. Deinde vero eo descendit, ut solos dæmones, & impios homines, hoc est a fide alienos, sempiternis mactandos esse cruciatibus affirmet. Christianos vero post expiationem operum suorum esse liberandos. *Et sicut diaboli*, inquit, *& omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia sententiam Judicis*. Hæc autem de purgatoriis ignibus intelligi non possunt, ut patet ex orationis contextu. Nam de illis agit suppliciis, quæ Origenistæ aliquando finiri, licet post multa tempora, sentiebant: ea vero damnatorum sunt, quæ illi nonnisi purgatoria, Platonicorum more, esse volebant.

Respondeo, Sanctum Hieronymum contendere solum Christianos, quantumvis peccatores & impios, salvari posse per ignem; non tamen omnes, sed qui pœnitentiam egerunt. Opponit namque Christianos peccatores Ethnicis, Hæreticis, & Apostatis, qui peribunt omnes in æternum: ut autem ea salvetur oppositio, satis est quod Christiani peccatores, omnes in perpetuum non pereant; sed quidam, quos scelerum in hac vita pœnituit, purgatoriis expiati flammis evadant; quamvis tam eminentem gloriæ gradum ac cæteri Justi non consequantur. Sic autem exponi debere hæc S. Hieronymi loca, hancque interpretationem ipsa pati posse, quantumvis difficilia videantur, ex eo constat, quod S. Hieronymus, quem sibi in re tanti momenti contradixisse & pugnantia scripsisse nequaquam verisimile est, æternitatem pœnarum Inferni diserte asseruit, etiam quoad Christianos, qui mortalibus illigati peccatis moriuntur. Ubi enim hæc verba (Is. 5.) *Dilatavit infernus animam suam*, ad Judæos retulit, qui non habuerunt scientiam Filii Dei, quos ait *infernum absque ullo numero, & satietate devorasse in perpetuum puniendos*, addit continuo: *Quidquid de populo diximus Judæorum, tropologice referri potest ad eos, qui sæculi deliciis occupati, nec respicientes opera Dei, captivi ducuntur in peccatum, & non habent scientiam Dei: & idcirco fame, & siti pereunt bonorum operum atque virtutum: & detrahentur in gehennam; ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam & superbiam miseria cernent & humilitate mutari*. Quod etiam in c. 25. Matthæi profitetur, ut ex nostris probationibus constat.

Sed luculentissimus locus est ex Commentariis in Jonam Prophetam, ad illa capitis quarti verba: *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo*, &c. Ubi Origenistarum errorem impugnans, qui illa verba de diabolo allegorice interpretabantur, qui in fine mundi descendens de superbia sua acturus sit Pœnitentiam, & in locum pristinum restituendus, hæc habet: „ Sed hoc quia Scriptura sacra non „ dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia; pu„ tantes etiam diabolum qui auctor malorum est, & omnium peccatorum fons; acta „ pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, & sciamus peccatores in „ Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit Diabolo, & Angelis ejus, „

„ & de

„ & de his dici : Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.
„ Scimus quidem clementem esse Deum; nec, qui peccatores sumus, crudelitate il-
„ lius delectamur. Sed legimus: Misericors & justus Dominus, & Deus noster mise-
„ retur. Justitia Dei vallatur misericordia, & tali ad judicium ambitione procedit:
„ sic parcit ut judicet, sic judicat ut misereatur. Misericordia & veritas obviaverunt
„ sibi, justitia & pax osculatæ sunt se. Alioquin si omnes rationabiles creaturæ æqua-
„ les sunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis, sponte propria aut sursum eriguntur,
„ aut in ima merguntur; & longo post circuitu, atque infinitis sæculis, omnium re-
„ rum restitutio fiet, & una dignitas militantium: Quæ distantia erit inter virginem
„ & prostibulum? Quæ differentia erit inter Matrem Domini, & (quod dictu quoque
„ scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel & Diabolus? Idem
„ Apostoli & dæmones? Idem Prophetæ & Pseudoprophetæ? Idem Martyres & Per-
„ secutores? Finge quodlibet: annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere
„ cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non
„ quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futu-ri simus.

Cum autem ait Sanct. Hieronymus in cap. ultimum Isaiæ: *Quod nos debemus Dei solius scientiæ derelinquere, cujus non solum misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare*: Id ait de pœnis peccatorum generatim sumptis, non autem de pœnis Inferni, de quibus eodem loco paulo ante dixerat: „ Qui prævaricati sunt in Domino, æternis tradentur ardoribus.
„ Vermis autem qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, a plerisque conscien-
„ tia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos: ita dumtaxat ut
„ non negent prævaricatorum, & Dominum negantium æterna supplicia, dicente Do-
„ mino in Evangelio: Ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Ange-
„ lis ejus.

Deinde hæc Sancti Hieronymi verba: *Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, mixtam clementia arbitramur sententiam Judicis*, ad pœnas Purgatorii referenda sunt, non ad pœnas Inferni, quibus Christianorum opera non purgantur, atque probantur. Vel, si quis ad pœnas Inferni ea referenda esse pertinaciter contendat, dicam Sanctum Hieronymum solum velle, quod Deus damnatos ipsos Christianos citra condignum puniat, & mitioribus pœnis eos plectat; quam Diabolum, & omnes negatores, & impios, *Qui dixerunt in corde suo: Non est Deus*. Id autem Origeniano errori nequaquam favet, asserenti dæmonum & hominum impiorum damnationem ac supplicia finem aliquando habitura.

Quæ quidem supplicia meorum numero & gravitate peccatorum cum fuerim promeritus, Filium Dei Christum Dominum ac Salvatorem omnium hominum, ad misericordiæ ipsius tribunal prostratus, humillime precor, ut Passionis suæ merito, Sanguinisque pretiosi virtute, quem pro hominibus universis, & pro me peccatore miserrimo fudit; nec non Virginis Mariæ Matris suæ Sanctissimæ, cujus in clientelam me contuli, patrocinio ac suffragiis, ab iis me eripiat, meque suo dignum efficiat Regno, ut ipsum amare, laudareque æternum possim: cui laus, honor & gloria in sæcula. AMEN.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

INter multa quæ a Theologis Catholicis reponi solent ad exponendam S. Hieronymi mentem, præferendam censeo interpretationem Cl. Vallarsi in nova edit. Operum S. Hieronymi Veronensi ann. 1735. Censet ille præ oculis haberi a S. Hieronymo in Dialogo Pelagianos, quos toto hoc opere exagitat. Hæreticis illis levia etiam peccata gravissima habebantur; hinc divitem *non posse ingredi in regnum Dei, nisi omnia sua vendiderit*, contendebant. In his ergo levioribus culpis, quas Pelagiani gravissimas rebantur, deprehensos Christianos salvandos esse post pœnas rectissime S. Hieronymus asse-

asseruit; post pœnas scilicet in Purgatorio subeundas. Quid autem senserit de Inferni pœnis idem S. Doctor in calce Commentariorum in Isaiam facile est discernere; neque enim ibi negat pœnarum æternitatem, sed durationem illarum, quoad Christianos decernendam arbitrio Judicis æterni relinquit. Perfacile est enim ibidem mentem ejus assequi, ut de peccatis utcumque Christianorum sive gravia sint, sive levia, agi credatur. Judicis ergo ponderationi datur, ut quæ graviora cognoscit, æternis ignibus puniat; quæ vero leviora, minoribus, & levioribus pœnis subjiciat.

Cæterum iis, qui pro pœnarum æternitate saltem quoad Diabolum pugnant, accensendus est Theophilus Alexandrinus, qui in recensione errorum Origenis, hunc etiam, qui æternitatem supplicii in Diabolo negat, accenset.

Finis Tertii Sæculi, Tomique Sexti.

INDEX
RERUM PRECIPUARUM,
Quæ in hoc Sexto Tomo continentur.

A

ABSOLUTIO. Præcipitata Abſolutio animalibus impedimentum eſt ad ſalutem, 93. Abſolutio Sacramentalis jure divino ſolis Sacerdotibus conceſſa, 107. Abſolutio duplex, Canonica & Sacramentalis, 109. De Abſolutionis denegatione in ſupremo vitæ diſcrimine quorumdam criminum reis 155. Canonicorum criminum reis in ſupremo vitæ diſcrimine Abſolutio Sacramentalis negata eſt, *ibid.* Ratio hujus ſeveritatis, 156. Diſcrimen quod intercedit inter veterem Eccleſiæ diſciplinam qua Abſolutio etiam in extremis aliquando denegabatur, & errorem Novatianorum, *ibid.* In extremis Abſoluti ſi iterum convaluiſſent, iterum pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur, 155. In extremis conceſſæ Abſolutionis incertus effectus, *ibid.* De hujus Abſolutionis efficacia Eccleſia ſemper dubitavit. *ibid.* Quidam Epiſcopi Africani ante S. Cyprianum mœchis etiam in exitu Abſolutionem Sacramentalem negaverunt, 156. Nullæ Orientis Eccleſiæ Abſolutionem Sacramentalem lapſis pœnitentia functis dare unquam recuſarunt, 157. Celeberrimæ Occidentis Eccleſiæ, ut Romana, Carthaginenſis, Hiſpanienſis Abſolutionem lapſis moribundis qui pœnitentiam ſani inchoaverant, dari voluerunt, 157. Satisfit objectionibus, 164. Graviorum peccatorum reis Abſolutio Sacramentalis poſt peractam dumtaxat pœnitentiam & impletam ſatisfactionem primis Eccleſiæ ſæculis, ordinaria lege concedebatur, 177. Cum urgebat mortis periculum, aut in diſcrimine verſabatur pœnitentis ſalus, Abſolutio ante impletam omnino ſatisfactionem concedebatur, 138. Imminente perſecutione, lapſis nulla impleta aut inchoata ſatisfactione Abſolutio concedebatur, 180. Vide Lapſi. Diſpoſitiones quibus ad Abſolutionem Sacramentalem & veniam a Deo obtinendam peccator præparatur, 185. Abſolutio quibus tribuenda, 186. Eccleſia ſatisfactionem deſiderabat ut diſpoſitionem ad Abſolutionem Sacramentalem obtinendam, *ibid.*

Æmilianus Imp. 81.

Æra Chriſtiana Julius Africanus Chronologus inſignis, 64. Libros Ceſtorum compoſuit, *ibid.* Reliqua opera, quæ extant, & quæ deſiderantur, *ibid. & ſeq.*

Alexander Mammeæ filius, virtutes ejus & egregia facinora, 78. Venales Magiſtratus eſſe prohibuit, 79. In Chriſtianorum religionem propenſiſſimus, *ibid.* Bellicæ expeditiones Alexandri, *ibid.*

Ammonius, Alexandrinus, Philoſophus Chriſtianus a Porphyrio falſo accuſatus, 64. Opera ejus genuina, *ibid.* Diateſſaron falſo præfert nomen Ammonii, *ibid.*

Angelici. De Angelicorum hæreſi & auctore, 29. Quare ſic dicti, *ibid.*

Anima. Magni ſuper extinctam Animam dandi planctus 90. Animarum vulnera divinæ medicinæ lege curanda, 184. Utrum animæ creatæ fuerint ante corpora, & propter peccata ante mundi corporei creationem commiſſa, fuerint in illa velut in carceres detruſæ, 411. Origenis errorem de animarum creatione ante corpora Scriptora ſacra coarguit, *ibid.* Sancti Patres refellunt, *ibid. & ſeq.* Eccleſia damnat, 413. Origenis momenta minorantur, *ibid.*

Anterus Pont. Max., 3.

Apoſtolici. Quinam fuerit illorum Hæreticorum error palmaris, 29.

Arabes. Eorum errores, 9. In Concilio Arabico multis ab Epiſcopis damnati ſunt, *ibid.*

Arbi-

Arbitrium. De libero hominis Arbitrio, 392. Utrum libero Arbitrio præditus sit homo, quo peccatum vitari possit, *ibid.* Liberum hominis Arbitrium probatur ex Scriptura, & ex Traditione, *ibid.* Ex Ecclesiæ judicio & definitione, 396. Homini peccatori utpote libero, jure infliguntur supplicia, *ibid.* Hæreticorum objectionibus contra liberum Arbitrium respondetur, 397. Homo liber non est quoad actiones externas, *ibid.* Liberum hominis Arbitrium peccato vulneratum est, non peremptum, 398. Homo sine gratia Christi per se efficaci non habet potestatem proximam & ultimo completam ad bonum, 399. Fatalis & absoluta peccandi necessitas primi hominis peccato non est invecta, 400. Præscientiæ Dei, providentiæ; prædestinationis & gratiæ concordia cum libero Arbitrio, 404.

Arelatense primum Concilium. Utrum nomine Plenarii in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, S. Augustinus Arelatense primum intellexerit, 363. An Arelatensi primo Concilii Plenarii rationes conveniant, 365.

Auditio, secunda pœnitentiæ publicæ statio, 171. Auditio, quid sit, & quibus communis erat, 172. Quomodo cum pœnitentibus Audientibus agebatur, *ibid.* Audientibus non imponebantur manus, 173.

Aureliani Imperatoris persecutio, 2.

B

Albinus (Clodius) Imperator, 79.

Baptismus. De Baptismo ab Hæreticis collato, 32. De Rebaptizantium errore, *ibidem*. Quis primus illius auctor, *ibidem*. Error ille in Orientem pervasit & Conciliis ibi firmatus est, 23. Eidem errori, scilicet de Baptismo Hæreticorum non recipiendo, magnas vires addidit S. Cyprianus, & tria sub ipso Carthagine celebrata Concilia, *ibid.* S. Stephanus Romanus Pontifex veritatem sedulo defendit Traditionis clypeo, 24. Quomodo S. Cyprianus Stephani Pontificis Romani decretum exceperit, 26. Quæ momenta S. Cypriani errorem elevent, *ibid.* Utrum S. Cyprianus & Firmilianus ob errorem de Baptismo Hæreticorum iterando, a Stephano revera fuerint excommunicati, 204. Utrum Baptisma in nomine Christi solius collatum validum sit, 224. Explicita trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum invocatio ad validitatem Baptismi necessaria, 225. Ab Apostolis collatum est ex dispensatione Baptisma in nomine solius Christi, 227. Utrum solum Christi nomen in forma Baptismi ab Apostolis proferebatur, 228. Quo sensu in nomine Christi dicuntur baptizati Discipuli, *ibid.* Quare in nomine Christi baptizabant Apostoli, *ibid.* De fide Stephani circa Baptismum Hæreticorum, utrum in oppositum errorem S. Cypriani errori lapsus sit 232. Origenes Baptizatorum crimina absolute irremissibilia non sensit, 335. De Baptismo Hæreticorum, 342. Baptismum ab Hæreticis collatum verbis Evangelicis, validum esse probatur ex Traditione, 342. Ex Conciliis, 343. *& seq.* ex Patribus, *ibid.* Solvuntur objectiones, 347. Respondetur rationibus S. Cypriani, contra Baptismum Hæreticorum, 349. *& seq.* Rationes Africanorum Antistitum de Hæreticorum Baptismate iterando exsufflantur, 353. *& seq.* S. Athanasii locus explicatur, 357. Respondetur testimonio S. Cyrilli Hierosolymitani 358. Sententia S. Basilii de Baptismo Hæreticorum, *ibid.* S. Optatus Milevitanus Baptisma omnium Hæreticorum nom improbat, 361.

Beryllus Bostrorum in Arabia Episcopus, & ejus de Filio Dei error. 8.

Blasphemia in Spiritum S. utrum remitti possit, 277. S. Hieronymus Blasphemiam in Spiritum Sanctum irremissibilem esse non censet, 334.

C

Cain, Utrum ante meditatam fratris necem peccatum aliquod admiserit, 393.

Cajus Pont. Max. Diocletiani Imperatoris ex fratre Maximino nepos, 5.

Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, & opera ejus, 58.

Calixtus Pont. Max., 3.
Caracalla quare ſic dictus, 77. Antonini Caracallæ mores, & vitia, *ibid.* Macrino Præfecto Prætorio per Martialem Centurionem interficitur, 78.
Carinus Cęſar creatus, 81. Flagitioſus fuit Princeps, *ibid.*
Charus (Aurelius) Imp. 81.
Chriſtus. De Baptiſmo in nomine Chriſti collato, utrum validum ſit ac legitimum, 224.
Claudius Imperator. Hujus Principis præclarę dotes, 80. Reportata de Gothis Victoriæ celebris fuit, *ibid.*
Clerici. De pœnitentia Clericorum, 197. Clerici minores non ſecus ac Laici publicę olim pœnitentię addicebantur, *ibid.* Majoribus Clericis poſt tertium ſęculum pœnitentia publica ex Eccleſię diſciplina non imponebatur, 198. Sacerdotes & Diaconi in Monaſteriis aut in aliis locis hominum a conſpectu remotis pœnitentiam agere cogebantur, cum in grave crimen lapſi erant, *ibid.* Tribus prioribus Eccleſię ſęculis Clerici majores publicę pœnitentię legibus, ex Eccleſiæ diſciplina ſubditi fuerunt, 199. Objectionibus reſpondetur, 200. Nuſquam ritus impoſitionis manuum celebrari ſolitus ſuper publicos pœnitentes in gradu ſubſtrationis, uſurpatus eſt erga majores Clericos publicam pœnitentiam agentes, 203. Clericis majoribus poſt tertium ſęculum pœnitentia pubblica imponebatur, ſi eam pietatis & humilitatis animo poſtularent, 204. Clerici majores propter peccata occulta deponebantur, 139.
Clerus. Diſciplina Cleri ab Illiberitana Synodo conſtituta, 310.
Communicatio. Exitioſa properatę Communicationis venena, 97.
Conſiſtentia, quarta pœnitentię publicę ſtatio, quid ſit, 174. Conſiſtentium functiones, 175. Hujus ſtationis ſitus, *ibid.* Quot hominum genera complectebatur, 176.
Cornelius Romanus Pontifex, 4. Concilium Romanum a Cornelio celebratum eſt, in quo decretorio judicio Lapſorum cauſa finita eſt, *ibid.*
Cornelii Epiſtolę quę genuinę, quę ſuppoſitę, 65.
S. Cyprianus. Quid de Baptiſmo ab Hæreticis collato ſenſerit, 26. Utrum Hęreſeos notam incurrerit, *ibid.* S. Cypriani opera dubia, 65. Liber de Cardinalibus operibus Chriſti ad Cornelium Papam, non eſt S. Cypriani, ſed Arnoldi Abbatis Bonęvallis, qui anno Chriſti circiter 1160. vixit, *ibid.* Liber de Aleatoribus non eſt S. Cypriani, 66. Liber de Montibus Sina & Sion S. Cypriano perperam inſcribitur, *ibid.* Carmina S. Cypriano ſuppoſita, *ibid.* Liber de Singularitate Clericorum S. Cypriano falſo adſcriptus, *ibid.* Alia opera S. Cypriano ſuppoſita, *ibid.* Libri de unitate Eccleſię S. Cypriani genuinum opus, 67. Cypriani ſtylus, 69. In S. Cypriani Operibus cavendus eſt error de rebaptizandis Hęreticis, 68. Utrum S. Cyprianus propter hunc errorem a Stephano Sum. Pont. excommunicatus fuerit, 204. An errorem de Baptiſmo Hęreticorum iterando S. Cyprianus depoſuerit, incertum, 216. S. Cyprianus & Africani Epiſcopi non exiſtimaverunt, dogma de rebaptizandis Hęreticis ad finem pertinere, *ibid.*

D

Dæmones. De pœnis Dęmonum, utrum aliquando finem accipient, 415. *Vid.* DAMNATIO.
Dallæus Homilias triginta novem in Lucam Origeni perperam abjudicat Dallęus, 60. Dallęi objectionibus reſpondetur, *ibid.*
Damnatio, Damnati. Utrum finem habitura ſit Dęmoniorum & impiorum Damnatio, 415. Æternam fore Dęmonum & hominum impiorum Damnationem Scriptura Sacra aſſerit, *ibid.* SS. Patres contra Origenem propugnant, *ibid.* S. Gregorius Nyſſenus Origenis errorem de pœnis Dęmonum, hominumque damnatorum aliquando ſniendis, non propugnavit, 417. Obſcuriora S. Gregorii Nazianzeni de pœnis Damnatorum loca explicantur, 419. S. Ambroſius Damnatorum pœnas ęternas fore exiſtimavit, 419. S. Hieronymus ęternitati pœnarum inferni reſpectu omnium Damnatorum minime contrarius, *ibid.*

Decius Imperator genus ejus, patria, indoles, 81. Christianis fuit infensissimus, *ibid.* Decii persecutio, 2.
Deus. Utrum tres sint in Deo personę, 375.
Diaconi. De potestate Diaconorum qui in carceres mittebantur, ut Martyrum desideria explerent & consiliis suis dirigerent, 133. Utrum Diaconis absolutionis sacramentalis Lapsis impertiendę usquam concessa fuerit facultas, *ibid. & seq.* Eucharistię administratio munus est Diaconorum, 111. Concessum est Diaconis in extrema necessitate, ut confessiones excipiant, & pœnitentias imponant, 113. Non vero ut absolutionem sacramentalem conferant, *ib.*
Diadumenus Imperator, 78.
Diatessaron falso prefert Ammonii nomen, 64.
Diocletianus Imperator. Genus ejus, patria, bellica laus, 81. Imperio se abdicavit, *ib.* De Diocletiani persecutione & tempore quo sævierit, 2.
Dionisius Alexandrinus Epistola Canonica Dionysii Alexandrini, 74. Quid erga pœnitentes in extremo positos constituit observandum, *ibid.* S. Cypriani, Africanorum Antistitum sententię de rebaptizandis Hęreticis Dionysius Alexandrinus adhęsit, *ibid.* Sabelli hæresim impugnans in extremum errorem inflecti visus est. *ibid.* Tamquam violatę fidei reus a Pentapolitanis ad Dionysium Romanum Pontificem defertur, *ibid.* De Sententia S. Dionysii Alexandrini circa Mysterium Trinitatis 290. S. Dionysius Alexandrinus neutiquam Arianis favit, aut Arii performavit errorem, 291. Secundum Catholicam fidem de Filio Dei sensit, 325. Objecta diluuntur, 293.
Dionisius Pont. Max. Sixti successor, 5.
S. Dionysius Romanus. Opera ejus quę vera, queve supposita, 74.
Disciplina. Ecclesiasticę Disciplinę vigor, 91. Profana facilitas, *ibid. & seq.*

E

Ecclesia Romana, *Vid.* Romana. Utrum Ecclesia potestatem habeat remittendi peccata, nullumque sit crimen quod Ecclesię clavibus remitti non possit 324. Novatiani perperam Ecclesię negarunt potestatem remittendi peccata, *ibid. & seq.* Quo sensu peccata per Ecclesiæ Ministros remittantur, 328.
Ecclesiastici Auctores. De Auctoribus Ecclesiasticis tertii sæculi, 55. & seq.
Eucharistia. Vis illata Corpori & Sanguini Domini, 93. Homo debet aliquando ab Eucharistia separari, 132. Sunt quædam peccata mortalia, propter quæ a Christi corpore non separantur Fideles, 133.
Eutichianus Romanus Pontifex. Sub ejus Pontificatu exorta est Manichæorum hęresis n. 5. Huic acceptus refertur ritus fruges & fructus benedicendi, *ibid.*
Excommunicatio minor quid sit, 107. Antiquitus nota non erat Excommunicationis minoris illa appellatio, 111.

F

Fabianus Antero Pont. Max. succedit, 3. Prodigio cęlesti, scilicet columbę in caput ejus advolantis, eique insidentis indicio ad Pontificiam evehitur dignitatem, *ibid.*
Felicissimus. De Schismate Felicissimi, 93. Electionis S. Cypriani cum quinque aliis Presbyteris adversatus est, *ibid.* Lapsus contra S. Cyprianum commovit, *ibid.* De hujus Schismatis auctore & progressu, *ibid.* & seq. Felicissimus anathemate percussus, *ibid.*
Felix I. Pont. Max. 5.
Minutius *Felix*, & ejus pro Christiana Religione Apologia, 56.
Firmilianus. Utrum Firmilianus cum Coepiscopis, ob errorem de rebaptizandis Hęreticis, revera a Stephano Rom. Pont. excommunicatus fuerit, 204. Firmilianus, aliique Orientales errorem de Baptismate Hęreticorum iterando non deposuerunt, 211.
Fletus, primę pœnitentię gradus, 169.
Florianus Imp. 81.

G

Gallienus Valeriani Imp. Filius, 80. Galieni Imperatoris persecutio, *ibid.*
Gallus Decii Imp. Successor, *ibid.*

Gor-

Gordiani, pater & filius Augusti, 79. Gordiani Nepos, Cęsar proclamatus, *ibid.*
Gregorius Neocęsariensis, Thaumaturgus dictus, 68. Modus mirabilis quo fuit creatus Neocęsareę antistes, *ibid.* Expositio Fidei, genuinum est S. Gregorii Neocęsariensis opus, *ibid.* Expositio Fidei ad Ælianum S. Gregorio Neocesariensi suppositа est, 69. Quomodo inscribebatur illa Fidei Expositio, *ibid.* a quibus conficta, *ibid.* Alia Fidei expositio pariter suppositа Gregorio Neocęsariensi, 70. Capita duodecim de Fide non sunt Gregorii Neocęsariensis, 71. Disputatio de Anima non est genuinus S. Gregorii fœtus, *ibid.* Epistola Canonica Gregorio Neocęsariensi vindicatur, *ibid.* Canonum illius Epistolę Synopsis, 72. De Canone undecimo Epistolę Canonicę Sancti Gregorii Neocęsariensis, utrum subditicius sit 285. Canon ultimus Epistolę Canonicę S. Gregorii non est additicius, 286. & seq. Solvuntur Objectiones.

H

Hæreses. De Hęresibus, quę Ecclesiam tertio nominis Christiani sęculo infestarunt, 8.
Hæretici olim absque pœnitentia publica in Ecclesiam recepti, 124.
Heliogabalus. Hujus Imperatoris impietas, mores, sęvitas, vitia 78.
Herculius (*Maximianus*) a Diocletiano in consortium Imperii vocatus, 81.
Hieracitæ. De ipsorum Hęreseos auctore, 42. Pręcipui Hieracitharum errores, *ibid.*
Hyemantes. Inter Hyemantes orare quid sit, 170.
Hyppolitus, 52. Cujus loci fuerit Episcopus, *ibid.* Oratio de Antichristo S. Hyppolito vindicatur, *ibid.* Liber de Theologia & Incarnatione non est S. Hyppoliti genuinum opus, 53.

I

Iliberitanum Concilium. De Concilii Illiberitani Epocha, 301. Illiberitana Synodus celebrata non fuit anno Christi, 324. neque post Nicęni Concilii tempora, 302. Celebrata non fuit Illiberitana Synodus ante Novatianam hęresim & persecutionem Decii, 303. Concilium Illiberitanum, imminente Diocletiani & Maximiani persecutione celebratum est, 304. Morini & aliorum argumentis respondetur 305. De Concilii Illiberitani Canonibus & auctoritate, 307. Illiberitanę Synodi auctoritas, *ibid.* & seq. Illiberitanę Synodi fides integra, *ibid.* Disciplinę ab Illiberitana Synodo constitutę sanctitas, *ib.* Cleri Disciplina, 310. Disciplina circa Sacramentorum administrationem, *ib.* Matrimonii impedimenta, 311. Censuræ Ecclesiasticę 312. Jejunii denique disciplina ab Illiberitano Concilio sancita 313. Quo sensu Illiberitana Synodus imagines prohibuerit, *ib.* Illiberitana Synodus usum dumtaxat pro tempore, non cultum imaginum prohibuit. 314. Quo sensu cereorum accensionem in cœmeteriis interdiu Synodus Illiberitana prohibuerit, 315. Synodus Illiberitana non favet Novatianis, 316. Illiberitana Synodus vetuit ne fideles fœminæ dimissis maritis adulteris, aliis nuberent, 317. Matrimonii vinculum indissolubile agnoverunt Illiberitani Patres, *ibid.* Illiberitanæ Synodi doctrina circa Baptismum in necessitate ab Ethnico vel a Fideli bigamo collatum, 318.
Imagines. Quo sensu ab Illiberitana Synodo prohibirę 313. Tribus primis Ecclesiæ sęculis usus Imaginum infrequens, 314.
Imperatores. De Imperatoribus qui tertio Ecclesiæ sęculo imperarunt, 75.
Indulgentiæ. Vis Indulgentiarum, 74. Indulgentię prosunt pœnitenti, operanti, roganti, *ibid.* Libelli Indulgentię. *Vid.* LIBELLUS.

L

Lapsi. De statu controversię inter Lapsos in persecutione Decii, & Clerum Romanum S. Cypriano consentientem, deque ejus progressu & exitu, 85. Fervente Decii persecutione Lapsi libellos Martyrum seditiose, veniam ut obtinerent ab Ecclesia, nulla licet pœnitentia functi postulabant, 86. Temeraria erat Lapsorum postulatio, & quare, 87. & seq. Pacem & communionem Lapsis absque debita satisfactione pręstare; Evangelio repugnat, 90. S. Cyprianum monet Ecclesię Romanę Clerus qua ratione gerere se debeat erga Lapsos, 92. Non momentaneam neque prępropera Lapsi desiderare debent medicinam, 91. Presbyteri pacem Lapsis dando, Martyres cum Episcopo committebant, 92. Pia severitas in Lapsos, *ibid.* Irrita & falsa pax concessa

ceſſa Lapſis nulla pœnitentia functis, 93. Præcipitata abſolutio antequam dignos pœnitentiæ fructus Lapſi fecerint, illorum animabus impedimentum eſt ad ſalutem. *ibid.* Romana Eccleſia una cum S. Cypriano Lapſorum tumultus fiduciario primum Decreto compeſcuit, 95. Sedata perſecutione peremptorio judicio ſtatuit recipiendos ad communionem Lapſos Libellaticos, 96. Plenam ſacrificatis agendam eſſe pœnitentiam decrevit, ita tamen ut ipſis in exitu concederetur abſolutio, 175. De Libellis indulgentię, quos Martyres Lapſis concedebant. 100. Utrum Diaconi Lapſos, abſentibus Epiſcopis & Presbyteris, ſacramentaliter abſolverent, 107. Imminente perſecutione Lapſis concedebatur abſolutio ante ſatisfactionem impletam, 197. Quare, *ibid.* Lapſis, qui Martyrum libellis commendati fuerant, concedebatur interdum abſolutio, nullis pœnitentię toleratis laboribus, 180. Lapſis, qui poſt ſcelus commiſſum, arduum aliquid & eximium edebant aut patiebantur pro Chriſti gloria, concedebatur abſolutio, priuſquam ſatisfactionem impleviſſent, *ibid.* Cum abſque periculo ſchiſmatis differri non poterat abſolutio; tunc Lapſis concedebatur, ante impletam ſatisfactionem, *ibid.* Cum ex reditu Lapſorum ingens aliquod bonum in Eccleſiam redundabat, abſolutio ſtatim ipſis tribuebatur, & pœnitentię labores condonabantur, 182. Objecta diluuntur, 183.

Libellatici. De Libellaticorum facinore & variis eorum generibus, 114. Utrum omnes Libellatici fidem abnegarent, *ibid.* Libellaticorum crimen proxime ad Idololatriam accedebat, *ibid.* Pœnitentię publicę addicebantur Libellatici, 116. Pœnitentię publicę addicebantur Libellatici non ſecus ac ſacrificati, *ibid.* Non omnes Libellatici fidem abnegaverunt, *ibid.* Nonnulli tamen revera negaverunt, 117.

Libelli. De Libellis indulgentię & venię, quos Martyres Lapſis concedebant, 100. Quis eorum modus, quę vis eſſet, *ibid.* & ſeq. Martyres pacem Lapſis non concedebant, quamquam Libellos eis tribuerent, ſed Epiſcopis dumtaxat pro ipſis ſupplicabant, 101. In Libellis pacificis Martyrum nominatim deſignandi erant Lapſi, quibus pacem indulgeri poſtulabant, 103. Libelli Martyrum vim tantum habebant ab eorum obitu & poſt ſedatam perſecutionem, 104. Qui Libellis Martyrum muniti vel ante ſedatam perſecutionem, vel ante peractam pœnitentiam in mortis diſcrimen veniebant, Libellorum effectu fruebantur, & pacem atque communionem accipiebant, *ibid.*

Libertas. Triplex ſpecies libertatis. 397. *Vid.* liberum arbitrium.

Liberum arbitrium. *Vid.* Arbitrium.

Lucius Pont. Max. 4.

M

Macrinus Imperator, 78.

Manichæi. De Manichæorum hæreſi, 35. De ejus auctoribus, *ibid.* Manichæorum errores, 36. De moribus Manichæorum, 40. Manichæorum debellatores, 42. Manſchæorum error palmaris refellitur, 392.

Marcellinus Rom. Pont. 7. De lapſu Marcellini Romani Pontificis, & de Sinueſſana Synodo, 297. Utrum Marcellinus thus idolis adoleverit, ob idque in Sinueſſana Synodo fuerit damnatus, *ibid.*

Maximiani Imperatoris perſecutio, 2.

Maximinus Imperator. Genus ejus, crudelitas, perſecutio adverſus Chriſtianos, 79.

Maximus Imperator Romanus, *ibid.*

Mœchi publicę pœnitentiæ olim addicebantur, 118. Mœchi, in exitu, a quibuſdam Epiſcopis Africanis abſolutione ſacramentali privati, 158. Severitas illa temperata, 167.

Mors. De converſione & pœnitentia ad horam uſque mortis dilata, 157. Abſolutionis in extremis conceſſę dubius effectus, *ibid.* Vide ABSOLUTIO & Pœnitentia.

N

Nepos. Ægyptiacus Epiſcopus, fabulam de millenario in terris Chriſti regno inſtauravit, 44. Nepos ſchiſma non fecit, *ibid.*

Nicolaus primus, Pont. Rom. falſis Sinueſſani Concilii actis deceptus, 299.

Noetiani & Noetiani, 30. Eorum error, *ibid.* Refellitur, 382.
Novatianus. De schismate & hæresi Novatianorum. 119. Quibus artibus Novatianus Romanum Episcopatum invaserit, 13. In sua factione fulcienda extorsit a suis partiaris in ipsa Eucharistiæ participatione execrandum juramentum de non revertendo usquam ad Cornelium summum Pontificem, *ibid.* Factus Antipapa Novatianus quid egerit, *ibid.* De errore Palmari Novatiani, & Novatianorum, 15. De cæteris Novatianorum erroribus. 19. De Conciliis adversus Novatianum & ejus hæresim congregatis, 21. De scriptiis Novatiani, 74. Novatiani perperam Ecclesiæ negarunt potestatem remittendi peccata, 324. Ante Cornelii Pontificarum Novatianus potestatem in Ecclesia agnovit dimittendi peccata, 326. Novatianos a Christi doctrina recessisse ostenditur ex notis hæreseos evidentissimis, 327. Novatiani remittendorum criminum potestatem soli Deo reservantes ipsi injuriam faciunt. *ibid.*
Novatus. De Novato, 11. Quis ille sit, *ibid.* Novati scelera. *ibid.*
Numerianus, 81.

O

Origenes. De Origene & Origenistis, 44. De Origenis persona & fortuna, *ibid.* Origenis parentes, *ibid.* Origenis functiones, 45. Origenis audax facinus, *ibid.* Origenis ordinatio, *ibid.* Scripturæ sacræ Versiones ab Origene inventæ. *ibid.* Origenis Tetrapla & Exapla, 46. Philosophiæ studia, *ibi.* Hæretici ab Origene impugnati, *ibi.* De Origenis erroribus, 47. De Origenis Sectatoribus, Defensoribus, & Impugnatoribus, 50. & seq. Eusebius Origenis patronus, *ibid.* & 260. S. Pacomius morti proximus, Monachis suis lectionem librorum Origenis interdixit, *ibid.* Origenismus apud Nitriæ Monachos in Ægypto propagatus, 50. Joannes Hierosolymitanus Origenismi fautor, *ibid.* Rufinus Origenista, 51. Anastasius Papa damnat Origenis errores, *ibid.* Melania Origenistis favet, illis adversatur Marcella, *ibid.* Joannes Hierosolymitanus Origenismum ejurat, 52. In Hispanias penetrat Origenismus, & a quo illuc illa-, *ibid.* Augustini liber contra Origenistas, *ibid.* Theophilus Alexandrinus Origenismi impugnator acerrimus, *ibid.* Fratres Longi de Origenismo suspecti, *ibid.* Theophilus congregata Alexandriæ Synodo, Origenem & Origenistas damnat, 53. S. Epiphanius coacta Synodo in Cypro Origenem & ejus sectatores condemnat, 55. Origenistarum occasione Dissidium Theophili cum S. Joanne Chrysostomo, *ibid.* Origeni errores in quinta Synodo Oecumenica damnati, *ibid.* De scriptis Origenis, 58. Homiliæ 28. in Numeros Origeni vindicantur *ibid.* Homiliæ novem in libros Judicum & Homilia unica in librum Regum sunt Origenis genuinum opus, *ibidem.* Rivetus refellitur, *ibid.* Homiliæ quatuor in Cantica Canticorum Origeni asseruntur, 59. Homiliæ 39. in Lucam Origeni adjudicantur, 67. Commentarii in Job non sunt Origenis, 61. Lamentum Origenis apocryphum, *ibid.* Dialogus contra Marcionitas non est Origenis, *ibid.* Origenis elogium, 62. De Ordinatione Origenis, 239. Utrum eviratio Origenis fuerit canonicum illius ordinationis impedimentum, *ibid.* Ob istud facinus Origenem perperam Demetrius insectatus est, *ibid.* Utrum Origenes in persecutione Decii Christum negaverit, & idolis thus adoleverit, 224. Origenes in persecutione revera lapsus est, *ibid.* De fide Origenis, utrum ab omni prorsus errore possit Origenes vindicari, 247. Origenis doctrinam erroris omnis immunem non esse affirmant Patres, 248. Origenis doctrinam erroris puram asserere vetat Ecclesiæ judicium, 252. Ex scriptis Origenis probatur ipsius doctrinam erroribus multis scatere, 25. Origenis errores præcipui, *ibid.* Diluuntur argumenta in gratiam Origenis ab ipsius defensoribus adducta, 257. & seq. Origenis libri summa cautione legendi, 263. Origenes Hæreticus non est, *ibid.* Origenis æterna sors incerta, 264. De Filii Dei majestate ac divinitate Origenes pessime sensit 265. Pelagiani & Semipelagiani erroris fundamentum jecit Origenes, 270. Utrum Origenes de Eucharistiæ Sacramento recte senserit, 2. Testimonia quæ Heterodoxi ex Origene proferunt contra realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, *ibid.* & seq. De Origenis defensoribus, 278. Damnati sunt Hæretici ab Ecclesia qui ita defenderunt Origenem, ut ejus errores sectarentur, & seq. Non sunt damnati hæreseos, qui Origenem ita ab errore vindi-

vindicarunt, ut ipſius errores non propugnarent, 279. Qui Origenem ita vind ab errore, ut formulæ fidei ab Eccleſia contra Origenem editæ non ſubſcrib ſed verbis æquivocis & obſcuris ſuam circa fidei capita quæ violavit Origenes, exponebant, habiti ſunt ut hæretici, 208. Utrum Rufinus Origenis erroribus rit, 283. & ſeq. Monachorum Nitriæ in Origenis libros obſtinatum ſtudium, in m legendis & retinendis pertinacia 284. Origenes baptizatorum crimina abſolute irre ſibilia eſſe non ſenſit, 335. Origenis error de animarum ante corpora creatione, & ſeq. *Vid.* ANIMA.

P

Parochi. Venerabilem Parochorum ordinem jure divino inſtitutum certum ed Contrariam opinionem confixit ſacra Facultas Pariſienſis, *ibid.*

Parvi (Jacobi) Diſſertatio de peccatis publicis & occultis in ordine ad Pœnitentiam, 143.

Paulianiſtæ & eorum errore, 32. *Vid.* Paulus Samoſatenus.

Paulus Samoſatenus. De perſona, & moribus Pauli Samoſateni, 31. Errores Paulia- moſateni, 31. De Conciliis contra Paulum Samoſatenum congregatis, 34.

Peccatum. Utrum omne peccatum mortale pœnitentiæ publicæ olim eſſet obnoxi 118. An propter quælibet peccata mortalia homo ab Euchariſtia ſeparetur 131. U omne peccatum mortale crimen ſit, 133. Vide POENITENTIA. Utrum E poteſtatem habeat remittendi peccata, nullumque ſit crimen quod Eccleſiæ cla remitti non poſſit, 324. Sicut poteſtas remittendi peccata per Baptiſmum con Eccleſiæ, ita & eidem convenit poteſtas ea remittendi per pœnitentiam, 327. ſenſu peccata a Sacerdotibus dimittantur, 328. Qua ratione Servator peccatoru miſſionem quæ ſoli naturæ divinæ debetur, ſuis Diſcipulis attribuit, 329. Utrum catum aliquod ſit irremiſſibile, 330. De peccato ad mortem, quid ſit, 339.

Perſecutiones. De perſecutionibus, quæ in Eccleſiam graſſatæ ſunt tertio nominis Chriſtiani ſæculo, 1. Severi Imperatoris perſecutio, quæ ſeptima vocatur, *ibid.* De ſexta perſecutione ſub quo, quando & cur ſævierit, 2. Nonam perſecutionem in Chriſtianos Decius excitavit, *ibid.* Multi lapſi ſunt in hac perſecutione, *ibid.* Decima perſecutio a Valeriano & Gallieno Imperatoribus mota, *ibid.* Undecimam perſecutionem Eccleſiæ intulit Aurelianus, *ibid.* De perſecutione Diocletiani & Maximiani quæ duodecima perhibetur, *ibid.*

Perſonæ divinæ. Utrum ſit revera tres in Deo Perſonæ, 375. Divinarum Perſonarum pluraliter ex Scripturis probata, *ibid.* Perſonarum diſtinctio Traditione fulcita, 380. Sabellianorum & recentiorum Antitrinitariorum objectionibus reſpondetur, 382. Dei unitas cum trinitate perſonarum conciliatur, 384. In tribus perſonis una numero divinitas 385. S. Gregorii Nyſſeni perſonarum divinarum cum humani perſonis minus accurata comparatio, 386. Michaelis Serveti & Tranſylvanorum objectiones contra diſtinctionem perſonarum divinarum diluuntur, 387. Perſona divina infinita & tamen multiplex, 388.

Philippus Chriſtianorum Imperatorum primus, 80. Leges a Philippo latæ, *ibid.* Mors ejus, *ibid.*

Pierius, Quis fuerit & ſcripta ejus, 75.

Plenarium Concilium. Utrum nomine Plenarii, in quo quæſtio de Baptiſmate Hæreticorum finita eſt, S. Auguſtinus Arelatenſe primum, vel Nicænum intellexerit, 363. Nomine Plenarii Concilii non intellexit Auguſtinus Arelatenſe Concilium primum, 364. Plenarii notiones Arelatenſi non conveniunt, *ibid.* Concilium Arelatense plenarium haberi repugnat S. Auguſtini ſententiæ, 365. Nomine Concili Plenarii in quo quæſtio de hæreticorum baptiſmo abſoluta eſt, Nicænum intelligendum eſt, 411. Satisfit objectionibus, 370.

Pœnitentia. De lapſis qui nulla acta pœnitentia ad Eccleſiæ pacem admitti volebant. 87. Sincerę pœnitentiæ actus & fructus, *ibid.* pœnitentiæ veræ fugæ & oblectationes pœnitentiæ partes, *ibid.* Pœnitentia crimine minor non ſit, 99. Characteres, *ibidem.* ſæculares non conveniunt pœnitentibus, *ibid.* Veræ pœnite-

Presbyteri qui gravium peccatorum reos nulla functus pœnitentia statim ad communionem admittunt, miseros decipiunt, 92. Absolutio præcipitata absque pœnitentiæ fructu perniciem animabus infert, 93. De peccatis publicæ pœnitentiæ legibus tertio sæculo, & deinceps obnoxiis, 118. De peccatis mortalibus in ordine ad pœnitentiam publicam, *ibi.* Utrum omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ olim Ecclesia subjecerit, *ibid.* Tria crimina capitalia publicæ olim pœnitentiæ obnoxia, 119. *& seq.* Omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ non fuisse subdita probat Epistola canonica S. Gregorii Nysseni, 121. Quæ peccata pœnitentiæ publicæ obnoxia in Ecclesiis Cappadociæ ætate S. Basilii, 122. In quibusdam Ecclesiis usurarii pœnitentiæ publicæ subjacebant, si in eo scelere multum diuque perseverent, *ibid.* Omnia peccata mortalia pœnitentiæ publicæ obnoxia non erant in Ecclesia Africana S. Augustini ætate, 123. Hæretici olim absque pœnitentia publica in Ecclesiam recepti, 125. Qui idolothyta comederant, olim pœnitentiæ publicæ non sunt addicti, 126. Objectiones ex Tertulliano & S. Cypriano petitæ diluuntur, 127. *& seq.* Respondetur objectioni gravissimæ ex S. Augustino desumptę, 128. Pœnitentia triplex, *ibid.* Pœnitentia clavium, 129. Quid sit, *ibid.* S. Eligius omnia peccata mortalia publicę pœnitentię subdita fuisse non probat, sed graviora quędam crimina, 133. S. Cęsarii Arelatensis sententia, & illius ętatis disciplina pœnitentialis exponitur, 134. De peccatis occultis in ordine ad Pœnitentiam publicam, 138. Sex prioribus Ecclesię sęculis, peccatis etiam occultis pœnitentia publica infligebatur, *ibid. & seq.* Levior tamen pœnitentia erat quandoque, quam gravitas criminis postulabat, 139. Pro quibus peccatis Clerici majores deponebantur, pro iisdem, laicis imponebatur pœnitentia publica, 140. Utrum sola peccata publica pœnitentię publicę subjicerentur ętate S. Augustini, 141. 148. Mos ille imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, septimo sęculo exolevit, 141. Respondetur objectionibus Jacobi Parvi, 143. *& seq.* Dubiam eorum conversionem & pœnitentiam semper habuit Ecclesia, qui ad horam mortis illam distulerant, 157. Pœnitentes & absoluti in extremis, si convaluissent, pœnitentię publicę iterum subjiciebantur, *ibid.* Pœnitentię in extremis actę dubius effectus, 158. Temperamentum ab Ecclesia Romana & Africana, in disciplina pœnitentiali constitutum, 167. De variis pœnitentiæ publicę gradibus, 169. De prima pœnitentię publicę statione, scilicet de Fletu, *ibid.* Statio illa quid sit. 170. Quid in illa agerent pœnitentes, *ibid.* De secunda pœnitentię publicę statione, quę est Auditio, 171. Ubi situs erat Auditionis locus, 172. Quibus communis, *ibid.* Quibus tenebantur Audientes, *ibid.* De tertia pœnitentię publicę statione, scilicet de subsistratione, 173. *Vide* SUBSTRATIO. De quarta pœnitentię publicę statione, quę Consistentia dicitur, 174. *Vide* CONSISTENTIA. Utrum pœnitentes ad superiorem stationem ab inferiori quandoque ascenderent, media prętermissa, 176. Nimia quorumdam Sacerdotum facilitas, & inutilis atque noxia peccatoribus misericordia, 183. Ad emendanda crimina vox pœnitentis sola non sufficit, 184. De unitate pœnitentię, 190. Iis, qui a[illegible] publice pœnitentia in eadem vel nova crimina relabebantur, nedum publicę, ve[illegible]ru[illegible] etiam privatę pœnitentię pręcludebatur aditus, *ib.* Rationes severitatis quam er[illegible]ga[illegible]catores relapsos exercuit Ecclesia, 191. Peccatoribus qui peracta publica pœni[illegible]tenti[illegible]lutio eadem, vel ęque gravia peccata perpetraverant, privata pœnitentia, & abso[illegible]ricorumorte non denegabatur, 193. Objectionum solutio, *ibid.* De pœnitentia Cle[illegible]voluntar97. *Vide* CLERICI. Vetus disciplina pœnitentiam publicam pro factis in[illegible]sacramentposuit, tametsi in illa hypothesi peccata non essent, 300. Pœnitentia *Pontianus* Put novę legis, 330.

Praxeas & Pr[illegible]ax. 3.

error, 375. [illegible]tres Trinitatis Personas in unam confuderunt, 30. Refellitur eorum

Privatus, incer[illegible]

[illegible]mnatus, *ibid.* [illegible]os auctor, 7. In Concilio Labesitano ab Africanis Patribus da[illegible]

[illegible]s adversus S. Cyprianum pręcipuus fuit incertor, *ibid.*

N

Novatiani vel Sacramentum Confirmationis non administrabant, vel chrismat[illegible] omittebant, 20.

O

Opera satisfactoria non sunt nudæ conditiones, ut Christi passio nobis applicet[ur] 106.
Origenes idolis non thurificavit, 247.

P

Parochi non sunt immediate a Christo instituti, 7.
Peccata occulta publica pœnitentia non plectebantur, 145.

S

Satisfactiones peccatis commensurandæ, 98. Quando satisfactiones canon[icæ] cæperint, *ibid.* Satisfactio non est necessario præmittenda absolutioni, 18[illegible] fuerit circa hoc Ecclesiæ disciplina, *ibid.* Satisfactiones non sunt meræ cond[itiones] unde nobis applicetur Christi satisfactio, 106.
Stephanus Papa excommunicavit S. Cyprianum, 208. Non definivit esse Fidei dogm[a] quod Baptismus Hæreticorum non esset iterandus, 220.
Synodus Sinuessana supposititia, 300.

V

Viaticum damnatis ad mortem non denegandum, 168. Ante diem mortis esset ad[ministrandum] ministrandum, 169.

FINIS TOMI SEXTI.

3211

BIBLIOTECA O. F. M. CAP. MONTEFUSCO (Av)

hr
ta
ri
ma
ti
i
u
80.
Dei
di
nus
tra
nen
rs
ti
63.
n ,
a-
uo
a-

N

nfirmationis non administrabant, vel chrismat

O

conditiones, ut Christi passio nobis applicet

P

isto instituti, 7.
a non plectebantur, 145.

S

dæ, 98. Quando satisfactiones canon
st necessario præmittenda absolutioni, 18
ibid. Satisfactiones non sunt meræ cond
tio, 106.
yprianum, 208. Non definivit esse Fidei dogt
sset iterandus, 220.

V

denegandum, 168. Ante diem mortis esset ad

OMI SEXTI.

inches
cm
Kodak Color Control Patches
© Kodak, 2007 TM: Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black